ribundi occaſum lugentem, de futuræ illius ſalutis certitudine conſolatur. Rurſus viri ægrotantis illi incolumitatem promittit. Amitam verò tertiana febri leuiter laborantem, letho eripiendam præmonet. Barcinonæ Ioanni Gallego, Iuriſperito, qui grauiſſimè ægrotabat, tum futuram morbi curationem, tum pleraque ad illius vitæ ſtatum pertinentia, præſignificat. Matthiam mercatorem de ſerici merce, quam è Neapolitana vrbe expectabat, ſollicitum; qua die Barcinonam cum nauigio appellere deberet, certiorem reddit. Franciſco Alexandro, Barcinonenſi, futuram vxorem; atque alia, quæ illi euentura erant: Franciſco Saulo, Genuenſi, integra valetudine fruenti, intra bimeſtre, vitæ occaſum prænunciat. Plura huiuſmodi prætereo, ne Lectoris animum multitudine obruant.

37 His pleraque etiam accedunt miracula, quibus Deus Opt. Max. Antonij ſanctimoniam cunctis teſtatam voluit: quorum aliqua explicanda ſunt. Digreſſus aliquando Vir Dei Bilbili noua, (vulgò, *Calatacud*,) vt Cæſarauguſtam proficiſceretur, per Almaniam oppidum iter faciens, cuiuſdam, ſui olim familiaris, domum ingreditur; qui cùm in lecto ægrotaret, ſimul atque eum aduentantem conſpexit, maxima voluptate perfuſus, è lecto emergens, ante Virum Dei genuflexus procidit: qui cùm B. Virginis imaginem, quam ſecum geſtare conſueuerat, eidem oſculandam porrexiſſet; vix æger prima illi oſcula infigit, cùm repentè à morbo liber euadit. Alter eiuſdem oppidi vir, qui odontalgia grauiſſimè laborabat, cùm ab eo genuflexus Crucis ſignum poſtulaſſet; eo accepto, ſtatim à morbo curatur. *Pleriſque à Deo miraculis illuſtratur.*

38 Beatrix, Andreæ Pauli Morales vxor, grauiſſima ægritudine, Cæſarauguſtæ detinebatur: quo tempore vir vxoris periculum Dei ſeruo aperiens, ipſius apud Deum preces efflagitat: qui poſt orationem ſurgens, Andream de ægræ vxoris ſalute benè ſperare iubet: breui enim eam incolumem futuram pollicetur: incolumitate deinde poſt breue tempus ſequuta.

39 Franciſcus Dominicus, Tarragenſis, hernia graui laborabat: cui cùm nulla Medicorum remedia, quæ fruſtrà illi ad curationem adhibita fuerant, eatenus profuiſſent, ad Antonij ſuffragia confugit; qui cùm poſt orationem herniæ locum manu contigiſſet, mox conſolidatis membranis hernia euanuit.

40 In oppido Angliſolæ, Maria, Petri Ioannis Dominici filia, omni ſpe ſalutis deſtituta, cum morte colluctabatur, cùm ad eam Vir Dei accedens, Iesv nomen illius brachio alligat, & pauliſper pro ea Dominum rogat: ſtatímque morbi vi repreſſa, quæ iam iam moritura credebatur, in vitam, & incolumitatem vendicatur. *Pleroſque ægrotos ſua oratione curat.*

Ducis de Magueda filius Barcinonæ, cùm acri tibiæ dolore torqueretur, Antonium rogat, vt pallio ſuo ægram tibiam inuoluat. Id cùm Vir Dei præſtitiſſet, ſtatim effugato dolore tibia conualuit.

41 Cæſarauguſtanæ mulieris filium grauiter ægrotantem, vbi cinereum B. P. noſtri Franciſci habitum quinquennio illi deferendum perſuaſit, ſua oratione ſanat. Alium quoque Barcinonenſem Virum, Alexandrum Moxum nomine, morti à Medicis adiudicatum, cùm manu contigiſſet, ac Crucis ſigno obſignaſſet, illicò præſtitit incolumem.

42 Andreæ Regnes filius, tam deſperata ſalute ægrotabat, vt velut mortuo funera pararentur: ad quem accedens Antonius, cùm certum à patre promiſſum accepiſſet, ſe aleis valedicturum, ac S. Antonium Vlyſſiponenſem deinceps præcipua veneratione habiturum; ſua oratione priùs à necis periculo liberat; tum integræ ſanitati reſtituit.

43 Conſueuerat Vir Dei ſacræ Deiparæ ſecum imaginem geſtare: quam cùm ægrotantibus oſculandam traderet, ea illos in incolumitatem vendicabat. Hæc, & alia quamplurima cùm Deus Opt. Max. per eum ſigna patraret, eo fiebat, vt percrebreſcente illius ſanctimoniæ apud homines fama, non modò in Cathalonia; verùm & in Aragonia, quo tempore ſuam in ea Prouincia fundanda operam contulit; clarum eſſet Antonij Neapolitani nomen.

44 At, quandoquidem iuſtorum virtus in tribulationis camino probari, ac patientia,

quæ

*Ipſius ſpiritus, ac patientia durè examinatur.*

quæ opus perfectum habet, perfici ſolet; diuino planè conſilio factum eſt, vt An-
tonius ab Aragoniæ Prouincia Barcinonem à Patribus reuocatus, plurimis mortificatio-
num generibus eo conſilio ab iis probari cœperit, quò clariùs pateſceret, num is aurum,
& argentum; an fœnum, & ſtipulam in animo gereret. Quapropter eo in Barcinonenſi
Conuentu concluſo, ac velut in cuſtodiam dato, cuncta illi cum ſæcularibus viris collo-
quia prohibentur; Fratribúſque ſecreta lege cauetur, ne quis blandum cum eo ver-
bum loqueretur: quin potiùs ſcommatibus, ac ſarcaſmis ab omnibus oppeteretur.
In Refectorij verò Capitulo, inſtar Nouitij tot increpationibus, ac iniunctis pœniten-
tiis exagitatur, quaſi nouam, ac ſeueram Religionis probationem ſubiret. Neque id ad
tertium, vel quartum vſque diem; ſed integros menſes rigida hac in ſpiritus probatione
traduxit; ſed cùm in his non tam illius animi patientia efloreſceret, quàm volu-
ptuoſa quædam mentis iucunditas in ipſius vultu, ac verbis legeretur; perfe-
cta ipſius virtus cunctis perſpecta, illum apud Fratres illuſtriorem reddidit, ſpi-
ritúſque dignis probationibus examinatus, nullum deinceps ſuſpicioni locum re-
liquit.

Vix autem hac tentatione probatus, Vir Dei ad vitæ coronam à Domino voca-
tur: ſtatim nanque pleuritidis morbo laborare cœpit. Cùm verò ſæpiùs anteà obitus 45
ſui tempus præſignificaſſet, aduentante tunc ſupremo vitæ ſuæ periodo, arctiùs Domi-
no patientiæ, & charitatis vinculo copulari curat: ac tandem vitæ huius fabula peracta,
Barcinonæ, in Conuentu Montis Caluariæ, ad perennem cæleſtis vitæ fontem migrat.

*Poſt mortem nõnullis glorioſus apparet.*

At, ne abſque cæleſti teſtimonio ipſius ad cæleſtem gloriam tranſitus fieret; is ea- 46
dem ſui obitus hora, Moniali cuidam Ordinis S. Dominici, quæ in Barcinonenſi vrbe
plurima vitæ ſanctimonia præſtabat, cæleſti ſplendore perfuſus apparet, has edens vo-
ces: En, Soror, hac hora ad cæleſtia regna migro. Alter quoque Carthuſianus Mona-
chus, qui Cœnobium, vulgò *Montealegre* nuncupatum incolebat, eadem hora orationi
vacans, geminos Viros Capucino habitu contectos, & clariſſima luce fulgentes conſpi-
cit, qui ab Oriente cælum verſùs tendebant: quorum alter Thau manu gerens, alteri ſe
viæ ducem præbebat: protinúſque Virum Thau dextra geſtantem R. P. Franciſcum eſſe
intellexit; alterum verò Antonium, quem ille in cælum recto tramite ducebat.

Poſt hæc, cùm Barcinonenſis quidam tabernarius, olim Antonio familiaris, qui pan- 47
nos, ac bombycinas telas venales habebat, nocte quadam in ſtrato ſuo quieſceret; ac-
cidit, vt accenſus ignis ædes ſuas inuaderet: quo tempore Antonius Mercatori appa-
rens, illum excitat; ac dextra apprehenſum eò ducit, vbi flamma ædes deuorare cœpe-
rat: móxque ex ipſius oculis euanuit: mercator verò auxilium à vicinis depoſcens,
flammam exurgentem extinguit, impenſiúſque ſuo liberatori gratias agit. Huius San-
cti Viri corpus ſecundò pòſt ſepulturam anno, integrum, & incorruptum repertum,
amplius illius gloriæ teſtimonium reddit.

Vita, & geſta Fr. Angeli *Valentini Clerici.*

E Valentina quoque Prouincia hoc anno flos multarum virtutum odore flagrans 48
erumpit, Fr. Angelus, Valentinus Clericus, cuius quò breuior vitæ, ac Religionis
curſus, eò copioſior, ac cumulatior virtus fuit: ita vt Eccleſiaſtici illud de eo effari
poſſit: *Conſummatus in breui expleuit tempora multa.* Cùm enim in ipſo iuuentutis
flore pretioſo virginitatis theſauro locuples, plurimáque, tum pietatis, tum inno-
centiæ, tum morum honeſtatis ſupellectile, quam ſibi ex optima parentum educa-
tione comparauerat, diuersè ſæculo ad Religionem emerſiſſet; tot breui tempo-
re in ea ſibi virtutum opes auxit; vt facilè perſpici poſſet, breuem eum annorum
ætatem coaceruatæ virtutis vſura compenſare. Obiit hic nomine, ac re Angelus
in Conuentu Valentiæ: víxque illius anima à corpore ſoluta, matri intempeſta
nocte, (quo tempore is morti debitum ſoluerat) glorioſa, ac cæleſti luce coruſcans
apparet.

*Poſt mortem patri ægrotãti apparet.*

Nonnullis poſt Angeli obitum diebus, cùm ipſius pater, vir multa pietate prædi- 49
tus, vitam cum morte commutaturus, extremo cum morte agone conflictaretur:
B. Virgo ſimul cum Angelo filio ægrotanti apparet, eundem ad cæleſtia præmia alli-
ciens. Poſt verò patris obitum, cùm filius eius iunior, Garridas, matre inuita, ac relu-
ctante vxorem duxiſſet; ob idque à matre è domo eiectus, matris imperium, ac re-

uerentiam

uerentiam contemneret: graui, atque inſanabili à Deo morbo mulctatur. Cuius dum partes Theodora ſoror aduerſùs matrem tuetur, nocte intempeſta ſomno vacans, capitis comam ſibi vehementiùs extorqueri ſentit: quæ dolore expergefacta, Angeli vocem ſibi dicentem audit: Theodora, Theodora, quid in animo verſas? Túne praua fratris veſtigia ſequi tibi in animum inducis? Scito, fratrem noſtrum ob indignum facinus æternæ gehennæ ignibus à Deo mancipandum fuiſſe; niſi mea, ac patris ſuffragia, Dei in eum iram placaſſent; idcircò hoc tam graui morbo à Deo caſtigatus reſipiſcat: quod ſi id egerit, maturè ab eo liberabitur. Atque his dictis abſceſſit.

50 Poſt hæc, cùm eadem Theodora in ſuperiori domus cubiculo circa meridiem nonnihil operis ageret, cuiuſdam vocem percipit, ſe proprio nomine appellantem: Theodora. Cui illa, à quo appellaretur ignorans, quiſnam ille ſit, ſciſcitatur. At vox iterum vehementiùs inclamans: Theodora, Theodora. eam, vt ſtatim egrediatur, compellit. Quæ vt Angeli Fratris vocem eſſe agnouit; ſtatim egreditur. Vix autem, paruo poſt ipſius egreſſum tempore elapſo, cubiculi tectum corruit: ex quo fratrem ſibi è Cælo patrocinatum fuiſſe intelligens, eidem pro beneficio gratias reddit.

## *Vita, & geſta Fr.* Narcissii *Dianienſis, Laïci.*

51 FLoret in eadem Valentina Prouincia Fr. Narciſſij Dianienſis, Laïci, glorioſa virtutum, ac miraculorum memoria: qui cùm in Fratrum, de Obſeruantia nuncupatorum, Familia nouem annorum ſpatio, quo inter eos verſatus eſt, miris virtutibus, ac præſertim oratione, in qua frequentes mentis exceſſus patiebatur, emicaret; inde ad Capucinos purioris obſeruantiæ ſtudio migrans, cæleſtem propemodum vitam agere videbatur: vitæ nanque auſteritate, abſtinentia, obedientia, humilitate, paupertate, charitate, ac cæterarum virtutum laude clarus, diuinarum præſertim rerum contemplatione ita præcelluit; vt diuinæ ſuauitatis, quam in priori Ordine prægustauerat, voluptate abſorptus; frequentiúſque in mentis exceſſum raptus; magis cum Deo, quàm cum hominibus conuerſari videretur. Tanto is erga puerum Iesvm amore flagrabat; vt, quem intùs occluſum in pectore gerebat; hunc ſemper ore eructaret, ac proloqueretur: & quanquam rara eius eſſent cum aliis colloquia; cùm tamen de puero Iesv mentio fieret, de eo vberiùs ora ſoluens, totus exardeſcere cernebatur. Eo fiebat, vt, cùm Quæſtuarij onus ſuſtineret; quid quæreret, interrogatus: Meum Iesvm (aiebat) quæro. Ita vt Sponſæ illius Canticorum amorem æmulatus, verba etiam ſibi arrogare valeret, dicentis: *Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea.*

*Pueri Iesv amore flagrat.*

Cant. 3. 2.

52 Cæleſti porrò hoc pueri Iesv igne accenſus, dum ille noctu in cella oraret, tam ardentes amoris flammas ex imo pectoris efflare conſueuerat, vt ſæpè in has voces Hiſpanicas erumperet: *O amores! ô amores!* Contigit verò aliquando, vt dum his Narciſſus diuini amoris ignibus incenditur, altiúſque ac vehementiùs Iesv nomen inclamat; mox longo ſilentio vocem interciperet: quo tempore Fr. Pacificus Turolenſis, qui contiguam cellam habitans, Narciſſij voces, ac repentinum ſilentium obſeruauerat, pedetentim ad illius cellam pergens, fores aperit, Narciſſiúmque mente excedentem, atque in aëra ſublatum cernit.

53 Interdum quoque quaſi puerum Iesvm ſecum in ſtrato decumbentem teneret, ex hortulo flores colligens, his lecti partem, quam diuino Puero aſſignauerat, aſpergebat. Quod cùm Nouitius quidam aliquando obſeruans, rem admiraretur; is accitum Nouitium his verbis affatur: Ne mirere, (inquit,) Fili, quòd lecti partem floribus aſpergam: non enim hæc mea, ſed pueri Iesv cubilis pars eſt: hîc meus dulcis Iesvs cubat: quapropter æquum eſt, hanc floribus exornari. Hæc ille præter interna, externa etiam amoris ſigna puero Iesv exhibebat; vt Sponſæ illud ſibi aſſumeret: *Lectulus noſter floridus.* Cant. 1. 15.

54 At, quandoquidem Chriſti in Euangelio vox eſt: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Hæc ardentiſſimi amoris flamma, Ioan. 14. 21.

qua

*Plerosque rerum futurarum euentus prædicit.*

qua Narciſſij animus erga puerum Iesvm accendebatur, prophetici illi ſpiritus lucem peperit, qua futuros rerum euentus, qui Deo ſoli perſpecti eſſe ſolent, longè antequàm euenirent, proſpiceret: quod nonnullis exemplis manifeſtum fuit. Cùm enim in municipio, quod vulgò, *la Olleria*, nuncupatur, Capucinorum Conuentus extrueretur; Ioſeph quidam Pla, vir primarius, atque in Ordinem deuotiſſimus, plurimam in eo extruendo auri ſummam conferre parabat. Cui aliquando Narciſſius, qui tunc ibi Guàrdiani munere fungebatur: Ioſeph, (ait,) bono animo eſto: ne te æris copia, quæ tibi in Monaſterij ſtructura inſumenda eſt, exterreat: diuina ſiquidem liberalitate fiet, vt rei familiaris poſt hæc vſuram, & incrementa percipias. Quod ita prorſus euenit: nam Monaſterij ædificatione peracta, Ioſeph duo mille aureorum ſibi ad annuos redditus excreuiſſe comperit.

55 Per id tempus, cùm in hunc Olleriæ Conuentum Frater Seraphinus à Politio Prouincialis aliquando appuliſſet; Socius tunc illi erat Fr. Ioannes à Villafranca, quibuſcum Narciſſius cùm Ioſephi huius domum ſalutationis cauſa adiiſſet; Ioſephi vxor, aliis, quiſnam ſequenti anno ibi Guardianus futurus ſit, curioſiùs inquirit. Cui ſtatim Narciſſius, Ioannem indigitans: Hic (ait) veſter Guardianus erit. Res tunc Narciſſio nulla ratione manifeſta eſſe poterat; cùm ex futura electione, quæ prorſus incerta erat, penderet. At rei euentus Narciſſium id ex Dei duntaxat reuelatione, cui nullum falſum ſubeſſe poteſt, accepiſſe, non obſcurè declarauit.

56 Poſtremò, nonnullis, antequàm è viuis excederet, diebus, Narciſſius per Setabienſem vrbem iter faciens, cuiuſdam Clerici, qui illi familiaris erat, domum ingreſſus, cùm inde illum abeſſe comperiſſet, domeſticis ait: Renunciate Anxio Motfort (hoc enim Clericus nomine appellabatur) Narciſſium extremum illi vale dicturum huc acceſſiſſe: quamprimùm verò mutuum nobis apud Immortales occurſum futurum. His verbis cùm celerem vtriuſque, & ſuum, & Clerici obitum præſignificaſſet, hæc ab eo prophetico ſpiritu dicta, rei euentus confirmauit.

*Nonnulla diuina virtute ſigna edit.*

57 Nonnulla quoque ab eo patrata ſigna referuntur: atque illud primum, quod Seraphino à Politio Prouinciali, cuius tunc is comes erat, per municipium vulgò, *Algemeſi*, nuncupatum tranſeunte, cùm vterque in Onufrij Bledæ, viri in Ordinem beneuoli, domum diuertiſſet; vxor, quæ partui matura erat, à Narciſſio cannabaceum funem, quo præcinctus erat, obnixè poſtulat: quem cùm is tradere renueret; Seraphinus, vt mulieris pietati, ac deuotioni ſatisfaceret, præcepto compellit. Mulier igitur cingulo potita, cùm paulò pòſt primos partus dolores præſentiſceret, eo ſe cingulo præcingens, antequàm ad eam obſtetrix accederet, poſterioribus partus doloribus non expectatis, filiam peperit; factúmque miraculo plenum Narciſſij apud Deum meritis adſcripſit.

58 Dominicus Ioãnes à Villaraſa, erga Capucinos deuotiſſimus, febri grauiſſima aliquando laborabat: quo tempore à Narciſſio, cui is familiaris erat, inuiſitur. Ardebat febris, ægérque præ illa æſtuans, Narciſſij apud Deum opem implorat: qui cùm pauliſper oraſſet, nomen Iesv chartula impreſſum eiuſdem collo appendens, eum benè ſperare iubet. Vix autem ab eo Narciſſius abſceſſerat, cùm paruo temporis ſpatio interlapſo, æger pulſa febri incolumis è ſtrato ſurrexit.

59 Huius poſt hæc vxor (Brianda Frigola nomine) cùm acrioribus inteſtinorum doloribus torqueretur, quibus curandis nulla Medicorum pharmaca ſatis eſſe poterant, ad Narciſſij ſuffragia confugit: qui cùm doloris locum manu contigiſſet, tum ad eam: Confide, Brianda, in optimo Iesv: dolor hic citò euaneſcet; is enim illum à te ſua benignitate expellet: ego verò pro te rogaturus ad Conuentum redeo. Cúmque iter ad Conuentum cœpiſſet, ægra ſe à dolore liberam ſentiens, immenſas Deo gratias retulit. Narciſſius verò domum reuerſus, cùm ægrotare cœpiſſet, ſe ſe ad Domini aduentum, quem breui adfuturum non ignorabat, parans; dum ſua apud Sacerdotem peccata expiat, in mentis exceſſum rapitur. Ex quo tandem ſibi redditus, Confeſſione peracta, ac cæteris morientium Sacramentis eximia pietate ſuſceptis, nono ægritudinis die ſanctimonia clarus, Valentiæ ad Dominum migrat cæleſti gloria coronandus, quam pleraque poſt mortem, ob ipſius merita, à Deo patrata miracula conteſtantur.

60 Cùm enim illius obitus fama per vrbem diffuſa, magna vtriuſque ſexus frequentia

ad illius funera confluere t; æſtuanteque populi deuotione, habitus in particulas diſcinderetur; capilli, barbáque auellerentur, vt quiſque ſibi hæc in reliquias reponeret; inter alios Ludouicus Ferrerius adoleſcens, Angelæ Ferreriæ filius, qui ſtrumis laborabat; quo tempore Narciſſio iuſta in Eccleſia perſoluebantur, matre hortante, cùm ad Narciſſij corpus accedens, idem complexus, defuncti manu ſtrumarum locum contigiſſet, collum ſibi diſcerpi, ac in fruſta ſecari ſibi videbatur. Quod cùm matri retuliſſet, illa: Bono animo eſto, fili: non collum, ſed ſtrumæ tibi è collo Sancti illius Viri merito abreptæ. Neque id fruſtrà dictum: nam paruo temporis interuallo elapſo, Ludouicus à ſtrumis abſque vllo Medicorum remedio liber fuit.

*Poſt mortem ſignis emicat.*

61 In vrbe Valentina Moyſes Mironius, Sacerdos, diutina febri laborans, cùm pallio, quo Narciſſius olim vſus fuerat, caput ſibi operuiſſet; ſtatim pulſa febri, incolumis euaſit. Alter, Ferragut nomine, qui cephalalgia, ac præterea febri grauiter cruciabatur, cùm ſtrophiolum, quo Narciſſij caput extrema in ipſius ægritudine contectum fuerat, ſibi capiti impoſuiſſet, ab vtroque morbo confeſtim liberatur. Idem ſtrophiolum cùm Hieronymo Ferragut, Valentino, ob febrim continuam neci à Medicis adiudicato impoſitum fuiſſet; paulò pòſt, in vitam, & incolumitatem reſpirat.

62 Brianda, Ioſephi Pla, cuius ſuperiùs memini, vxor, cùm eodem fune, quem à Narciſſio olim acceperat, iterum in partus doloribus ſe præcinxiſſet; ab his ſtatim libera fœtum edit: atque eodem, ducentæ aliæ mulieres prægnantes, à partus periculo liberatæ referuntur.

63 Huius filia, Brianda nomine, dyſenteria tam grauiter laborans, vt ipſius vitæ occaſus breui expectaretur, cùm præfatum Narciſſij ſtrophiolum à matre oblatum ſibi impoſuiſſet; Narciſſij ſibi è Cælo opem implorans, poſt breue tempus integræ incolumitati reſtituitur.

*Ad ipſius Reliquias perſanantur ægri.*

64 Angela quoque Ferrera Valentina, diutina odontalgia, quæ nullis remediis tolli, aut leuari poterat, præter modum afflictata, cùm Cruce, quam à viuente quondam Narciſſio acceperat, ſibi molares contigiſſet; eiuſdémque è Cælo ſibi merita opitulari efflagitaſſet; breui temporis interuallo, plenam illius curationem aſſequitur. Hoc ipſo Crucis contactu, huius Angelæ filia pleuritide correpta, cùm laterum dolore grauiter cruciaretur, ſimul à dolore, ac pleuritide paruo interiecto temporis ſpatio, perfectè curatur.

65 Fr. Hieronymus Valentinus, ex noſtris Concionator, qui dentium dolore ſæpè torqueri conſueuerat; ſimul atque Narciſſij pallio genas contingeret, liber à dolore efficiebatur. Alter, qui graui carnis tentatione vexabatur, quam nec ieiunia, nec oratio pellere valerent; vix B. Viri merita inuocans, ipſius pallium ſibi adhibuit, cùm nulla interiecta temporis mora, libidinis ſpiritu effugato, liber de tentatore triumphat.

Mulier, cui lac in vberibus aruerat, quò fœtum enutrire poſſet; cùm habitus Narciſſij particula ſibi vber contigiſſet, protinus lactis fons ex vberibus erupit.

66 Poſtremò, mulier quædam, Bocca nomine, Valentina, cùm ab Angela, cuius ſuperiùs mentio facta eſt, habitus Narciſſij particulam dono accepiſſet, atque in ſinu repoſuiſſet; accidit, vt antequàm ad quietem concederet, ardentes in camino prunas cinere contegens, quemadmodum fieri ſolet, chartula, qua illi habitus particula inuoluebatur, inter prunas è ſinu ſibi excidiſſe non aduerteret. Quamobrem mane illuceſcente, cùm è lecto ſurgens ad caminum acceſſiſſet, ignem ex prunis excitatum, atque inter eas habitus chartulam iacentem cernit: quam ſtatim ex igne ereptam, cùm vndique perluſtraſſet, nulla ex parte ab igne, aut prunis læſam contuens, miraculum prædicat, ac diligentiùs deinceps eam habitus particulam cuſtodit.

67 Meſſanenſis Prouincia Silverii Meſſanenſis Concionatoris ſanctimoniam, ac miracula celebrat: cuius tamen ampliora geſta deſiderantur, quæ vel temporis edacitate, vel Scriptorum negligentia perierunt: quæ autem integra ad nos peruenêre, magna ex parte diminuta habentur; ita vt vix aliqua eius miracula in MS. referantur. Hic igitur cùm omni virtutum genere ornatiſſimus, non verborum tantummodo; ſed & illuſtrium factorum prædicatione in Regno Cælorum magnus euaſiſſet; tantam ſibi apud Deum gratiam compararuerat, vt Deo ipſius vitæ ſanctimoniam ſignis, ac virtutibus conteſtante, iis etiam apud homines illuſtris fieret.

Vita, & geſta Fr. Silverii *Meſſanenſis, Concionatoris.*

*Pleraque illius miracula referũtur.*

Inter huius Viri miracula, primum Paſchalis cuiuſdam adnumeratur, qui cùm in oppido Turturicij, tam graui in crure calcinomate laboraret; vt ne altiùs ſerperet, iam inter Chirurgos de crure ſecando ageretur: intereà accidit, vt æger ſalubrioris aëris cauſa ad campeſtre domicilium deferretur: quo tempore Fr. Vincentius Alenſis, vnà cum Silueтio eò profecti, dum Vincentius cum Iacobo, Paſchalis germano fratre, ſimul in agro colloquuntur, Siluerius ad ægrum pergens, vbi illum lacrymantem deprehendit, fletus ab eo cauſam percunctatur: qui morbum, quo affli̇ctabatur, ac futuræ ſectionis periculum narrans, hanc ſuarum lacrymarum cauſam eſſe aperit. Cui Siluerius: Sine, (inquit,) vt crus ægrotum cernam. Reluctabatur Paſchalis, eò quòd morbi aſpectus grauem illi nauſeam allaturus eſſet. At Siluerio nihilominùs inſtante, cùm æger, ſolutis faſciis, quibus crus obuoluebatur, illud aperuiſſet; mox Siluerius: Quid, Paſchalis, (ait,) tantoperè affli̇ctaris? nullus eſt in crure morbus. Cúmque hoc ipſo tempore ipſius manum apprehendiſſet, è lecto exilire compulit; móxque cancro diuina virtute curato, crus incolume apparuit. 68

Rurſus idem Paſchalis, dum agrum aratro findit, vomer caſu in idem crus delatum, illud tota ferè pelle expoliat: quo ex vulnere cùm humi dolore oppreſſus iaceret; hoc ipſo tempore Siluerius eò fortuitò aduentat: qui ſaucium Paſchalis crus contuens bono animo eſſe iubet, ſpémque omnem in Deo collocare: cúmque lineo panno ſaucium crus attigiſſet, abſcedens, Deum pro illo ſe rogaturum ſpondet. Paſchalis verò domum reuerſus, cùm veſpere crus curaturus tegumen ſoluiſſet, illud integrè perſanatum offendit. 69

Poſt hæc accidit, vt huius Paſchalis filius infantulus hernia laboraret: quem cùm pater Siluerio, aliquando apud eum diuerſanti, ſanandum obtuliſſet; is Paſchali: Quid? (inquit:) num Sanctus ego ſum, vt ægris ſalutem conferam? Tum S. Petri Apoſtoli imaginem, quæ domus parieti affixa erat, indigitans: En (ait) S. Petrus: illum ad tui filij ſalutem inuoca. Atque his dictis abſceſſit: infantulus verò eodem die ab hernia incolumis euaſit. 70

*Cæca puella ab eo perſanatur.*

Ob copioſa, quæ Deus per ſeruum ſuum miracula operabatur, cùm rumor de ipſius ſanctimonia in oppido Turturicij diffunderetur, puella quædam, quæ ex graui ægritudine oculorum cæcitatem contraxerat, eidem à parentibus curanda oblata fuit: quibus ille: B. Luciæ (ait) hoc munus eſt, non meum, cæcis oculorum lumen præſtare: quapropter ad eam potiùs confugite, quæ puellam hanc curare poteſt. Vix hæc protulerat, cùm cæcæ puellæ lumen reſtitutum fuit. 71

Turturicij agros Siluerius ad lanarum mendicationem aliquando peragrans, adoleſcentem gregis cuſtodem offendit, qui ob mutilum crus, iam à multis annis claudicabat: cuius is miſeratus, cùm adoleſcentem ſuauiter ad patientiæ virtutem hortaretur, atque in diuinæ benignitatis ſpem illius animum erigeret, qua fortè aliquando à claudicatione liberaretur; inter hæc vultum ad montem conuerſus: Cernis (inquit) capram per deuia errantem: feſtina, vt eam ad gregem reducas. Protinus exiliens adoleſcens recto crure ad capram aduolat, ac deinceps ex claudo rectus efficitur. 72

Pleraque, præter hæc, alia ab eo ſigna patrata fuiſſe, conſtans horum temporum fama fuit: quo factum eſt, vt haud alio in oppido Turturicij, præterquàm Thaumaturgi nomine appellaretur: qui cùm è Meſſanenſi Prouincia aliquando ad ſacram Lauretanam Ædem, religionis cauſa, proficiſceretur; Neapoli in morbum incidit; ac ſui obitus die prænunciato, magna cum ſanctimoniæ fama vitæ curſum abſoluit. 73

*Vita, & geſta Fr. CHERVBINI Maurianenſis, Concionatoris.*

In Sabaudienſi Prouincia, Fratris CHERVBINI Maurianenſis, Concionatoris, floret præclara geſtorum memoria; Vir enim manſuetiſſimus fuit, præſtantiori ingenio, ac præclaris naturæ dotibus ornatus: cui cùm & cætera virtutum ornamenta accederent, quibus veram, ſolidámque apud Deum, atque homines ſibi gloriam comparauit; tum maximè ardentiſſimo catholicæ fidei zelo efferbuit: quo factum eſt, vt cùm prædicatione plurimùm excelleret, quo tempore Henricus IV. Nauarræorum Rex, etiamnum Hæreticus, Galliæ regnum affectabat; publicè Lugduni præ Concione in eum inueheretur, inuictáque fidei conſtantia omnia vitæ pericula contemnens, populos ab illius obedientia reuocaret. 74

75 Hoc fidei catholicæ æſtu, cùm ad Geneuenſium Hæreticorum conuerſionem adſpiraret, ibi Chablaſij Ducatus populos, magna ex parte à catholica veritate aberrantes, prædicatione, & doctrina; præſertim verò quadraginta Horarum Oratione, ad orthodoxam fidem perduxit. Generale Iubilæum ab apoſtolica Sede obtinuit, trium menſium ſpatio productum; quo tempore prædicatione, diſputatione, ac priuatis colloquiis tot hæretica tabe infectos Eccleſiæ gremio reſtituit; vt Geneuenſis vrbs ſe ſuis incolis viduari extimeſceret. Eo denique auctore, ſacra B. Virginis Domus pro Hæreticorum conuerſione honeſtis redditibus dotata, Tononij inſtituta fuit: quemadmodum ſuperiùs anno 1601. fuſiùs explicatum fuit. Denique multis pro catholica fide tuenda, ac propaganda piè laboribus perfunctus, in Taurinenſi Conuentu magna cum pietatis laude in Domino obdormiuit.

*Tononij Domus ſacra eo auctore fundatur.*

76 Præclari huius Viri merita nonnullis Deus poſt mortem miraculis illuſtrare voluit. Nam quidam ex noſtris Laïcus, Donatus nomine, qui iam à complurimis annis, podagræ morbo afflictabatur; cùm nouem dierum ſpatio ad illius ſepulcrum ex voto accedens, ipſius apud Deum opem imploraſſet; nouenario dierum numero expleto, tam integrè à morbo curatus fuit, vt eo deinceps nunquam vexatus fuerit.

77 Taurini, mulier, quæ vniuerſali morbo ſex menſium ſpatio ita laborauerat, vt è lecto dimoueri nullo modo poſſet, ad Cherubini ſuffragia confugiens, atque illius habitus particulam ſibi collo appendens; poſtridie à morbo libera, & incolumis è ſtrato ſurgit: atque idem viro cuidam ægroto in eadem vrbe contigit: cuius cùm iam ſalus deſperata eſſet; Cherubini habitus ſegmine ſibi impoſito, ipſiúſque nomine, ac præſidio inuocato, poſtera die integram incolumitatem aſſequitur.

*Nõnullis poſt mortem miraculis fulget.*

78 In oppidi Vuarij Aſtenſis Diœceſis, puella quædam graui, ac diuturna odontalgia afflicta, cùm dentes ſibi ipſius habitus ſegmine contigiſſet, ab ea protinus liberata fuit. Altera quoque in oppido Leuariſij, quæ in gena morbo laborabat, ipſius habitus contactu conualuit.

Huius Sancti Viri corpus cùm poſt decimum ſepulturæ annũ integrum, atque incorruptum repertum fuiſſet; illuſtriorem eum apud Deum coronam aſſequutum fuiſſe declarat.

## *Vita, & geſta Fr.* IACOBI *à Manfredonia, Laïci.*

79 MAnfredonia, vrbs eſt Apuliæ Dauniæ, ad montis Gargani radices, ex Siponti ruinis extructa; vnde etiam Sipontum nouum appellatur: ex qua Iacobus honeſta progenie natus, originem traxit: atque in ipſo iuuentutis flore florentes mundi illecebras declinans, potioréſque Crucis aſperitates, quàm ſæculi delicias exiſtimans, ad Capucinos deflexit. Quapropter ab ipſo ſuæ conuerſionis exordio, vt verum ſe Crucis diſcipulum oſtenderet; carnem cum vitiis, ac ſenſuum concupiſcentiis ita crucifigere didicit; vt vix illi vitæ neceſſaria permitteret: cùm enim præter Eccleſiæ, & Regulæ ieiunia, S.P.N. Franciſci quoque Quadrageſimas obſeruaret; ex his quadragenaria Chriſti, & S. Michaëlis ieiunia fabis madefactis tantummodo celebrans, harum, quantùm manus capere poſſet duntaxat, ſibi ad quotidianum victum adhibere conſueuerat. Aſpero ſemper cilicio eſt vſus. Lectus illi, nudæ tabulæ; ac puluillus, vitis ſarmentum, perpetuus fuit. Corpus tot ſæpè flagris cædebat, vt ſanguinis aſperſione impreſſa humi veſtigia relinqueret: verberum verò plagis, nouo medicamenti genere, viuæ, nimirum, calcis cataplaſmate mederetur. Caſtitatis propugnator acerrimus fuit; ita vt, cùm ardentes à Dæmone libidinis faces ſibi in carne aliquando accendi præſentiſceret; brumali tempore nudus gelidiſſimo ſub aëre tandiu immobilis perſtiterit, quoad libidinis flammæ, à Dæmone excitatæ extinguerentur. Verùm, cùm inde herniæ morbum contraxiſſet; genitaléſque partes, quò hernia curari poſſet, Chirurgo ſæpè patefieri neceſſe eſſet; tam pudicitiæ amicus fuit, vt B. Virginis opem implorans, ab ea in momento curatus fuerit. Denique, cùm in die perpetuis corpus, vel horti, vel quotidianæ mendicationis laboribus attereret; noctu verò tam breuem illi ſomni requiem daret, vt vix ſomnum ipſum attigiſſe videretur; feſſa membra haud alia, præterquàm orationis, ac diuinæ contemplationis quiete refouebat;

*Varia ipſius virtutes cõmendantur.*

cuius cùm tanto ſtudio teneretur, vt neque die ab ea vacaret, maiorémque noctis partem
in eam inſumeret; hinc copioſa Dei luce perfundi, vberioribúſque Dei donis in ea potiri
cœpit: quo fiebat, vt ſæpè in mentis exceſſus raperetur; præſertim in Conuentu Turriſma-
ioris, vbi aliquando in Eccleſia orans in ſublime efferri, ac tam vultu emicare viſus fuit,
vt Solis lucem æmularetur.

*Orans ſplendet, & in ſublime effertur.*

Rurſus, dum Laurini, poſt Matutinas Horas orationi incumbens, mentem ad ſacræ 81
Communionis refectionem parat; fulgentiſſimum, quaſi Solis globum ſibi præſentem cer-
nit, quem cùm humanis oculis ferre non poſſet; manibus ſibi oculos contegens, ab eo vi-
ſum declinare conabatur. At globus ille lucidus eidem inter manus inſiliens, tam cæleſti
illius animum voluptate imbuit; vt ab humanis rebus abſtractum, totum in Dei imaginem
transformauerit.

Poſt hæc prophetico ſpiritu à Deo imbutus, cœpit futura prædicere, quemadmodum 82
pleriſque exemplis manifeſtum fuit. Dum enim in Conuentu Turriſmaioris moras trahit,
contigit, vt vrbis illius Dynaſta, qui plurima Iacobum, ob notam ipſius ſanctimoniam, vene-
ratione proſequebatur; ad Lauretanas B. Virginis Ædes, plurimo cum comitatu profectu-
rus, ab eo peteret, vt quotidianas, donec itinere peracto, ad ſuos rediret, pro eo preces ad
Deum funderet: quas cùm is viro pollicitus eſſet, ſtatim prophetico ſpiritu correptus ad-
ſtantibus ait: Haud omnes, qui Ducem comitantur, ad nos incolumes redibunt: vnus neci
iura perſoluet. Duce verò cum ſuis iter agente, cùm B. Virginis Corollam pro eo antelu-
cana hora recitaret; vix præ inſolita animi anguſtia eam proſequi poterat: quo tempore
illi à Deo reuelatum fuit, Ducem magno in vitæ diſcrimine verſari. Cúmque tota periculi
ſeries eidem explicata fuiſſet; protinus Duciſſam rerum certiorem reddens, Ducem à pe-
riculo liberum affirmat: quæ hoc ipſo tempore tabellario ad Ducem expedito, rem ita ge-
ſtam accepit. Cùm Dux Anconam cum ſuis appuliſſet, ſub diei crepuſculum ignotus vr-
bem ingredi optabat: quo tempore milites portæ cuſtodes, eos proſcriptos eſſe rati, cùm
vrbis illis ingreſſum prohiberent, conflictu inter eos excitato, vnus ex Ducis aſſeclis glan-
de peremptus occubuit: at, vbi Dux cum ſuis agnitus fuit; pugna dirempta, Dux cum ſuis
liberè vrbem ingreditur. Hoc pacto propheticus Iacobi ſpiritus, quo vnius necem, & alio-
rum periculum proſpexerat, probatus fuit.

*Multa prophetico ſpiritu ventura prænunciat.*

Poſt hæc Duciſſæ Turriſmaioris, nurus abſentis, ante ſex dies; ac prætereà Duciſſæ Bo- 83
uini filiæ, etiamnum incolumis; demùm S. Seueri Principiſſæ, poſt quintum decimum diem
futurum obitum prænunciat. Æthiopiſſæ quoque captiuæ, quæ in Mahometicæ legis cultu
pertinax erat, futuram ad Chriſtianam fidem conuerſionem præſignificat.

Neapoli per aliquod tempus demoratus, Franciſco de Caſtro futuras nuptias, Regij 84
Oratoris, ac tandem Proregis in Neapolitano Regno munus prædicit: ac Philippi III.
Hiſpaniarum Regis prolem, ac prolis numerum, & qualitatem futuram diſtinguit.

At verò non modò prophetiæ; ſed & miraculorum dono clarus, multos diuina virtute 85
ægrotos incolumitati reſtituit. Inter hos Morconij, cùm Eugenium quendam de Rubeis
deſperata à Medicis ſalute ægrotantem inuiſiſſet; eum ipſius apud Deum opem efflagitan-
tem, his protinus verbis affatur: Euge, Eugeni, in Domino confide, non te mors abripiet;
ſed vita ſuperſtes erit: ne dubites, citò conualeſces. Vix hæc proloquutus fuerat, cùm æger
à morbo reſpirans, parua interiecta mora incolumis redditur.

*Ægros diuina virtute curat.*

Cùm in Conuentu Turriſmaioris verſaretur, in virum quendam vndique vlceribus affe- 86
ctum aliquando incidit: quem cùm vrbis Duciſſa intuita eſſet, ad Iacobum conuerſa, ait:
Iacobe, pauperculi iſtius tam malè plagis affecti, an non miſereris? Cui Iacobus: Ecquidnam
ad ipſius miſeriam ſubleuandam agere valeo? Age, (inquit illa:) Crucis ſignum vlceribus
imprime, vt eo perſanetur. Reluctabatur Iacobus: Neque enim, (aiebat,) vir peccator hæc
poteſt ſigna patrare. At Duciſſa id ab eo importuniùs efflagitante, tandem Vir Dei ſingu-
las vlcerum plagas Crucis ſigno petens, cùm extremam obſignaſſet, æger, plagis conſoli-
datis, incolumis euaſit.

In Prouinciam Barienſem vnà cum Fratre Sylueſtro Roſcianenſi profectus, cùm in quo- 87
dam illius Prouinciæ Conuentu, cuius nomen Scriptoris negligentia in MS. periit, Fratrem
quendam grauiter ægrotantem inuiſiſſent, mox Sylueſter ad Iacobum: Iacobe Frater, (in-
quit,) ſignum Crucis huic Fratri noſtro ægroto impende. Cui Iacobus: Non meum; ſed

tuum eſt, Pater, qui Domini es Sacerdos, hæc ſigna impendere. At Sylueſter: Illud (inquit) ex obedientia redde. Cui cùm Iacobus obſiſtere minimè valeret, ſignum ægroto in fronte præſtat: quo protinus æger conualuit. Hoc modo & puerum, qui graui morbo laborabat, ſanitati reſtituit.

88 Pleraque alia, præter hæc, Iacobum ſigna patraſſe, conſtans apud noſtra MS. fama eſt, quæ cùm ſcripto minimè tradita fuerint, ſilentio oppreſſa periêre.

His cùm tanta apud omnes illius ſanctimoniæ fama percrebuiſſet, vt vbique Vir Sanctus prædicaretur: quò Deo charior, ac virtutibus illuſtrior erat; eò maioribus Satanæ inſidiis petebatur, ita vt illud Tobiæ illi enunciari poſſet: *Quia acceptus eras Deo, ideò neceſſe fuit, vt tentatio probaret te.* Tot enim Dei ſeruus à Satana, cùm clam, tum palam infeſtationibus oppetebatur; vt interdum, dum in Eccleſiæ Choro noctu ſolus orat, Dæmonem ſub canis ſpecie Pſalterij folia crebrò vertentem cerneret: quandoque verò Satan horribilem aſpectum præſeferens, vt eum ab oratione auocaret, terrere conaretur. Semel tandem, cùm eidem pallium ex humeris tuliſſet, in campanarium obeliſcum detulit. Hæc ille Diaboli tentamenta, quibus eius magis virtus perficiebatur, cùm humili patientia deuinceret, ad vitæ tandem coronam appropinquans, in Conuentu Turriſmaioris, quartana febri ſeptuagenarius ægrotare cœpit: quam dum quotidiano labore, ac conſueta vitæ aſperitate ſuperare ſperat; grauiorem in morbum incidit: quo tempore, cùm Medicorum, qui ob loci ab vrbe diſtantiam, eò ægrè accedebant, inopia laboraret; Frater quidam Neapolitani Noſocomij commoda illi ad mentem reuocans, neceſſaria ibi vberiùs ſuppeditanda eidem fore affirmabat. Cui Vir Dei: Si in Neapolitani Conuentus Noſocomio (ait) æger iacerem, in hominum manibus decumberem: hîc verò in Dei manibus libens ſto, id à Dei miſericordia ſperans, me in Domini mei IESV Chriſti ſinu, ac ſub B. Michaëlis Archangeli patrocinio, hîc extremum diem acturum. Triduo igitur ante Dominici Natalis diem, cùm animum à peccatis Sacramento expiaſſet; ac ſacro Domini Corpore refici poſtulaſſet; ſui obitus diem, & horam præſignificans, die ipſo Natalis Domini, circa meridianam horam, Deo ſpiritum reddidit, plurima populorum turba ad illius funera confluente.

*Plures à Dæmone infeſtationes ſuſtinet.*

*Iob 12.13.*

---

## *Vita, & geſta Fr.* ANTONII *Ebolenſis, Sacerdotis.*

89 HIs ex Lucaniæ Prouincia accedit Frater Antonius ab Ebolo, amplo Lucaniæ oppido, in Principatu citeriore, vltra Silarum fluuium, Vir miraculorum gloria illuſtris, qui cùm ex ſæculari Clero, in quo Sacerdotio inunctus, omni virtutum laude florebat, in Capucinorum ſinum emerſiſſet; ita ſe ad omnem apoſtolicæ vitæ rationem compoſuit, vt nullum illi ad perfectam euangelici, ac Seraphici Viri formam virtutis ornamentum deeſſe putaretur: cùm enim humilitati obedientia; obedientiæ paupertas; paupertati morum honeſtas; huic patientia, manſuetudo, vitæ auſteritas, patiendi cupiditas, charitatis ardor, ac iuge orationis ſtudium accederent; hac virtutum corona cæleſtem ita animum exornauit, vt cùm inter homines verſaretur, diuinam planè imaginem, qua cæleſtis homo fieret, in ſe ipſo referret.

90 Hinc Dei in eum abundantiùs dona effluere cœperunt; quibus & longè à nobis remota conſpicere, & futura præuidere; ac demum ſigna, & miracula patrare valeret. Hæc porrò præſtantiſſima Dei dona cùm abſque dubio coaceruatum, & conglobatum quendam virtutum cumulum præſeferant; ſingularia profectò huius Viri geſta in MS noſtris deſiderantur, quibus illuſtrior illius vita, & ſanctimonia apparerent, quæ vel temporum iniuria, vel ſcriptorum incuria interiêre.

91 Plurima Viri huius miracula referuntur, quæ minimè reticeri æquum eſt. In his Franciſcus Antonius Ebolenſis ob catarrhi fluxum, toto corpore dolore affectus, cùm ab Antonio Crucis ſigno benedictus fuiſſet; catarrhi fonte arefacto, à dolore curatur. Hoc ipſo Crucis ſigno, lignea Cruce, quam is ſecum geſtabat, exhibito; Hieronyma Iuliana, Franciſci Antonij vxor, à cordis palpitatione; atque huius filius à gemino abſceſſu, quo grauiter affligtabatur, incolumes redduntur.

*Plurimos ægros ſigno Crucis reddit incolumes.*

Hieronyma Gentilcora Ebolenſis, quo tempore morbo comitiali ſtridebat, ab Antonio

Cruce obſignata, ac pro ea Antiphona, *Salue Regina.* ſemel adſtantibus indicta, ita ab eo morbo curata eſt, vt eo deinceps nunquam vexata fuerit.

Anno 1602. Antonia Cerona, cùm Eboli, Medicorum iudicio, neci adiudicata, iam
linguæ vſum amiſiſſet; ad eam Antonius vocatus, vbi pro illa aliquantiſper ora- 92
uit, ſermo illi reſtitutus, ac poſt octauum diem integra incolumitas reddita fuit.

Anno 1605. Iulia Paganeta, Ebolenſis, maximis per totum ferè corpus doloribus
afflicta, cùm lignea Cruce, quam ab Antonio acceperat, membra dolore affecta attigiſ- 93
ſet, ab his in momento libera fuit.

Anno 1607. Claudia Maſſa, Ebolenſis, grauiter ligni caſu in capite ſauciata, cùm
ab Antonio Crucis ſignum poſtulaſſet; eo accepto, protinus à dolore, tum paulò poſt 94
à vulnere conualuit. Atque eodem anno Victoria Rahona, Ebolenſis, à diuturna cephalalgia, ac Petrus Ioannes, eius nepos, ab odontalgia, qua ad inſaniam adigebatur, lignea Cruce ab Antonio, illi capiti impoſita, huic molaribus admota, nulla interiecta mora curantur.

Anno 1608. Thomas Manfredus, quindecim annorum adoleſcens, ex alta turri 95
campanaria in imum ſolum delapſus, caput, ac totum ferè corpus ita ſibi labefactauerat, vt nulla ipſius vitæ ſpes Medicis ſupereſſet: quo tempore Antonius ad eum vocatus, cùm lignea ſua Cruce bis ter illius caput, ac membra obſignaſſet, mox conualeſcere cœpit, ac breui integram incolumitatem aſſequutus fuit.

Eodem anno Hippolyta Vitolia acerbo humerorum dolore cruciata, cùm nullis 96
Medicorum remediis ab eo curari poſſet, Antonij præſentiam nacta, illius ſe precibus commendat; qui ſua illi Cruce humeros contingens, ſtatim ab his dolorem fugat.

Antonius Scius, Ebolenſis, acuta febri ad mortem ægrotans, cùm Medicorum ope 97
deſtitutus ad necem properaret; Antonij ſuffragia implorans, ſimul atque ab eo Cruce obſignatus fuit, febris miteſcere cœpit: & qui moribundus erat; paulò pôſt in vitam, & incolumitatem reſpirat.

In vrbe Campania Alexandri Maſcrutti filius, quatuor annorum puer, ex alto de- 98
lapſus, ita ex caſu contritus domum delatus fuerat, vt breui expiraturus crederetur: quo tempore Antonius in vrbe ſtipem emendicans, audito pueri caſu ad illum pergit: atque inter manus aſſumptum, cùm Crucis ſigno illum confirmaſſet, patri incolumem reddidit.

Idem Decium Corcionem, Ebolenſem, humeri dolore grauiter vexatum, Cru- 99
cis illi ſigno adhibito, ſtatim à cruciatu liberat. Alteram quoque Antoniam Arminiam, Eboli, ab anginæ morbo ſolo Crucis ſuæ contactu vendicat.

*Cæco puero lumen reſtituit.*

Eboli, Antonius quidam Papatatta, nouem annorum puer, vtroque lumine orbatus, 100
ſpem omnem videndi abiecerat; cùm Antonius ante Corneliæ de Vrſis, nobilis fœminæ, quæ puerum enutriebat, domum aliquando præteriens, ab ea accerſitur; atque vt Crucis ſignum cæco puero impendat, impenſiùs rogatur: qui cùm IESV, MARIÆ, ac B.P. Franciſci nomine inuocato, vtrunque pueri oculum viuifico illo ſigno obſignaſſet; illi protinus viſum reſtituit.

Iulia Sorentina, Ebolenſis, cùm ex catarrhi fluxu ceruicem ita curuam gereret, vt 1
eam nulla ratione erigere valeret; ab Antonio Crucis ſignum accipiens, confeſtim à catarrhi fluxu perſanatur. Plura alia huiuſmodi ſigna ab hoc Dei ſeruo patrata referuntur, quæ, breuitatis ſtudio, prætereo, vt prophetici ſpiritus, quo is abundè à Deo donatus fuit, nonnulla etiam exempla Hiſtoria proſequar.

*Pleraque occulta diuina reuelatione agnoſcit, ac futura prædicit.*

Anno 1601. Ferrans Landolphus, Cilenti Baro, homicidij accuſatus, Neapoli in vin- 2
culis detinebatur: quo tempore Octauia mater Antonium, vt pro filij liberatione ad Deum preces fundat, obnixè rogat: qui ad eam confeſtim: Ne, (inquit,) Octauia, filij te periculum ſollicitet. Haud longum tempus interfluet, cùm liber è carceribus emergens, tibi feſtiuus occurret. Neque aliena à dicto res fuit: vix enim quarto menſe elapſo, Ferrans Iudicis ſententia abſolutus exultans ad matrem rediit.

Anno 1608. cùm inter Hippolytæ cuiuſdam Vitoliæ fratres, & peditum Ducem, 3
tam capitales inimicitiæ graſſarentur, vt mutuas ſibi cædes machinarentur; Hippolyta

ad Antonium confugiens, cædis periculum narrat; atque vt ſua illos oratione ad concordiam adducat, cum lacrymis rogat. Erat Hippolytæ filia adhuc puella, quam Antonius, vt nouem dierum ſpatio ante B. Virginis iconem Salutationem Angelicam deuotè perſoluat, hortatione compellit: quod cùm illa præſtitiſſet, abſoluto horum dierum numero, Antonius Hippolytam adit, hiſque eam verbis affatur: Hippolyta, Deo gratias age: optata iam pace frueris: craſtinæ enim diei ſextadecima hora, pace inter fratres tuos, & peditum Ducem firmata, omnia ſimul odia, ac inimicitiæ extinguentur. Pax porrò eo tempore ad amuſſim ſequuta, diuinam ſeruo Dei reuelationem illuxiſſe probauit.

4 In oppido, quod vulgò, *Rocca dell' Aſpido*, appellatur, Laura Horatij Gallardi vxor, diu ægritudine vexata, in lecto iacuerat, cùm Horatius vxoris ægritudinem ex diabolico veneficio ortam eſſe ſuſpicatus, Antonium, de cuius ſanctimonia multa fama ipſa deferente perceperat, opportunè adit; diutinúmque illi vxoris languorem narrans, veneficij quoque ſuſpicionem aperit. Vterque Antonio ignotus erat: quapropter is in ſequentem diem reſponſum differt. Intereà pro ea ad Dominum preces fundens, quid de Lauræ ægritudine ſentiendum, quæve illius cauſa ſit, diuina reuelatione agnoſcit. Quamobrem Horatio, qui ad eum poſtridie accedit, his verbis reſpondet: Horati, non diabolicum faſcinum, aut veneficium; ſed diuinum planè conſilium diutinam vxoris ægritudinem alit: quædam enim culpæ labes haud illi plenè perſpecta, Lauræ tuæ animum contaminat: cùm enim illi germanus frater ſit, qui turpem iandiu cum pellice vitam ducit; rem illa tantoperè exhorret, vt & fratrem odio proſequatur. Scelus quidem odiſſe, Deo gratum eſt: at fratrem ob ſcelus odio proſequi, quandoquidem fraternam charitatem iugulat, haud Deo gratum eſſe poteſt: ac propterea diuturna hac illam Deus ægritudine caſtigat. Tu verò vxorem admone, vt à fratris odio abſtineat. Cui Horatius, cùm vxorem ante ſuum in patriam reditum fortè morituram eſſe diceret: Ne (inquit) de vxoris vita dubites: longiori enim, quàm putas, per aliquot menſes vitæ vſura perfruetur. Hæc omnia cùm ſucceſſus vera probaſſet; denique poſt Lauræ mortem, certam illius ſalutem Ioanni Angelo, Horatij germano, aperuit.

*Occultum mulieris ægrotæ peccatū penetrat.*

5 Anno 1607. cùm Ioan. Felix, Ebolenſis tabernarius, tam acerbè colico dolore premeretur, vt à Medicis vix duarum horarum vitæ ſpatium illi præſcriptum fuiſſet; is accito Antonio, cui familiaris erat, ſuam illi vitam, atque animæ ſalutem commendat. Antonius verò, vbi ſeorſim aliquantiſper pro illo Dominum rogauit, ad eum accedens: Bono animo (ait) eſto, ô Felix: fœliciter enim tecum agitur: nam fœlix, ac fauſtus ad te nuncius venio. Non morieris; ſed breui Dei miſericordia conualeſces. Id verò non humano; ſed diuino, ac prophetico ſpiritu prolatum, valetudo ipſa paulò pòſt reddita declarauit.

6 Anno 1608. Deianira, Lucretiæ Corcionæ filia, ita febri, ac totius corporis tumore laborabat, vt ipſius apud Phyſicos vita potiùs ad deſperationem, quàm ad ſpem propenderet. Hanc cùm mater Antonij ſuffragiis commendaſſet; is Cruce obſignatam: Æquo (inquit) animo eſto, ô Deianira, longioris adhuc vitæ curſum à Deo conſequeris. Cúmque hæc dixiſſet, ægra meliùs ſe habere cœpit, ac tandem incolumitati reddita fuit.

7 Poſtremò, cùm fidelis hic Dei ſeruus ad vitæ finem accederet; decimo ante ipſius obitum die, Eboli per oppidum incedens, à muliere, quæ Iulia Claria appellabatur, panis placentam accipiens, ait: Deus tibi, ô Iulia, hanc placentam retribuat: hæc enim ſuprema erit, quæ abs te mihi dabitur. At illa: Quorſum iſthæc verba, Antoni? Cui Antonius: Vt me decimo abhinc die ad Deum migraturum ſcias.

8 Poſt hæc ſtomachi languore corripitur, cui cùm pleuritis ſucceſſiſſet, decimo, vti prædixerat, die, qui Purificationis B. Virginis feſtum præcedit, eximiis patientiæ exemplis, magnóque ſanctimoniæ odore poſt ſe relictis, Eboli mortalis vitæ curſum abſoluit, immortalem apud Deum inchoaturus. Porrò obitus eius fama per obitum diffuſa, magna vtriuſque ſexus virorum, ac mulierum multitudo ad illius funus confluere viſa; tantáque in Dei ſeruum populi deuotio efferbuit, vt magna ipſius habitus pars in fruſta conciſa fuerit, illuſtrioréſque oppidi viri ipſius cellam deprædati, ſandalia,

cingulum, papyraceas imagines, libellos manuſcriptos, ſtrophiola, & quæcunque ipſius olim vſui inſeruierant, ſecum abſtulerint, ac ceu Reliquias ſeruauerint. Nec fruſtrà: his enim plerique ægrotantes curati fuêre, ac mulieres à partus doloribus liberatæ.

Poſt huius Sancti Viri obitum, cùm Fr. Bonauentura, Melfitanus, Clericus, biduo Dominum rogaſſet, vt Antonij animæ ſtatus ſibi ſignificaretur; inter ſomnum, & vigiliam, 9 Fratrem Antonium candida ſtola ornatum inter duos Angelos conſpicit, alterúmque Capucinum Fratrem hæc ſibi dicentem audit: Bonauentura, hic, quem inter Angelos cernis, Frater Antonius eſt cæleſti gloria donatus.

*Fr. Bonaventvra Barcinonenſis.*

Gemini adhuc viri, virtutum gloria illuſtres, indicandi ſuperſunt, quorum memoriam, 10 tum Cathalonienſis, tum Lucana Prouincia cum benedictione celebrat. Prior Bonaventvra, Barcinonenſis Clericus, Vir obedientiæ virtute ita inſignis fuit, vt non ſemel pedes in ardentes prunas illæſus intulerit. Humilitate, patientia, charitate, oratione, ac cæteris virtutibus diues, cùm ad vitæ finem perueniſſet, obitus ſui die prænunciato, hinc purus emigrat.

*Fr. Archangelvs ab Auleta.*

Alter Archangelvs ab Auleta, Concionator, prophetico ſpiritu nonnúlla prædixit, 11 obitúſque ſui hora præſignificata, cùm virtute, & ſanctimonia clarus vitam cum morte commutaſſet; eadem hora Fratri Vitali à Grumento nouo, Sacerdoti, cæleſti gloria ornatus apparet.

Multa hoc anno Ordinis beneficis ob ſubleuatam Fratrum inopiam, multiplicato diuinitùs fœnore, panis, vini, olei, ac rerum familiarium fit retributio. Nonnullos etiam B. P. 12 Franciſcus piè inuocatus, tum à morbo, tum à mortis periculo liberat. Beati quoque Antonij Olyſiponenſis Reſponſorio pleræque res perditæ reperiuntur.

Soreſinæ hoc anno, quædam haud vulgaris ſanctimoniæ mulier, dum apud ſe orat, in 13 mentis exceſſum rapta B. P. noſtrum Franciſcum cæleſti lumine micantem cernit, qui per Capucinorum Conuentum, in quo Nouitij educabantur, permeans, ſingulas cellas ſua benedictione proſequebatur. Hæc illa ſe non dormientem; ſed vigilantem, & orantem, viſione potitam fuiſſe, ſub iureiurando aſſeuerauit.

*Nouitius arefactum lignũ ex obedientia irrigans ad viriditatem prouocat.*

In Conuentu Salinarum apud Burgundos, hoc anno, cùm Nouitij ſub optimi Magiſtri 14 diſciplina probarentur, Nouitius quidam inter alios mira ſimplicitate, & obedientia renitebat; cuius cùm Magiſter obedientiam probare vellet, arefactum eum fruticem plantare, ac irrigare, donec reuiuiſcat, præcepto compellit. Paret promptiſſimè vir ſimplex, & obediens; fruticem plantat, aquis quotidie rigat: neque vlla vani laboris ſentit incommoda. Quid plura? antiqua Anachoretarum reuiuiſcunt prodigia: aridus nanque frutex reuiuiſcens, folia germinat, atque in arborem excreſcit, qui etiamnum in eo Conuentu vegetat ſuperſtes.

*1. Tim. 2. 20.*

Sed quoniam, vt ait Apoſtolus, *in magna domo non ſolùm ſunt vaſa aurea, & argentea: ſed & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* nonnulli alij hoc anno paſſim extitêre, qui cùm à recto virtutis tramite declinantes, animum 15 humanis vitiis contaminatum gererent, iuſtas factorum pœnas luunt. In his Frater quidam, qui in Conuentu Diuionenſi Lugdunenſis Prouinciæ commorabatur, cùm plurimos ſacros cereos Agnos ſerico tectos, atque ornatiſſimos ſibi omni ſollicitudine accumulaſſet; clam ij è cella illi ſubrepti fuêre, eo fortè conſilio, vt his expoliatus, animum quoque ab inſano illorum amore expoliaret. At contrà accidit: nam ob illorum priuationem, appetitu præter modum excreſcente; tot cœpit verbis perſtrepere, tot querimoniis Conuentum implere, ac ſurſum, deorſum omnia vertere, vt in furias actus videretur: vehemens enim illa animi cupiditas hominem ſui compotem eſſe non ſinebat: hoc itaque æſtu exagitatus, dum feruentis maris inſtar cogitationum ſeſe allidentium fluctibus iactatur; noctémque inter has animi tempeſtates inſomnem ducit, en Cacodæmon horribili illi ſpecie apparens, his illum verbis compellat: Frater, teipſum mihi in poſſeſſionem trade, mox Agnos cereos tibi, vbinam ſint, aperiam, maioribuſque, ac vberioribus te donis proſequar. Porrò Frater horrenda illa Dæmonis effigie perterritus, mox altiùs exclamare cœpit: Currite, Fratres, currite: citò opem ferte. Hac voce Fratres permoti, è celliſque exilientes, omni feſtinatione ad illum accurrunt; Dæmonémque illius fauces perſtringentem, quaſi qui reluctantem præfocare vellet, oculis cernunt: qui ſimul atque Fratres acceſsêre, pro-

*Dæmon Fratrem rerum cupiditate poſſeſſum præfocare tẽtat.*

tinus

tinus euaneſcens, miſerum tam ingenti terrore oppreſſum reliquit, vt vix ab eo poſt multos dies liberari potuerit.

16 Præterea, in Conuentu Mirandulæ, Bononienſis Prouinciæ, hoc anno Laïcus quidam frater, cui infirmorum cura incumbebat, cùm in ea negligentiùs ſe gereret, crebráſque Guardiani correptiones contemnens, quibus ſeueriùs illum à Deo caſtigandum terrebat, nullam huiuſmodi incuriæ emendationem præſeferret, diuinam mox in ſe ipſo vltionem experitur: nam leui primùm febre correptus, dum vna, aut altera medica potione, ſe ab ea liberandum putat, dextrum illius brachium eryſipelate inflammatur, quæ putreſcens, cùm vlcus peperiſſet, ex quo ſanies intolerabilis fœtoris perpetuò defluebat. His tandem paralyſis acceſſit, qua fiebat, vt cùm nec loco quidem dimoueri poſſet, ſuo in ſtercore compútreſceret; támque graue oleret, vt præ nimio illius fœtore, vix quiſquam inueniri poſſet, qui illius curam ageret. Atque hæc quidem iuſtæ Dei vindictæ ſigna erant, qua hominem parum in ægrotorum cura ſollicitum proſequi voluit. At cùm is diuinam correptionem haud æquo, vti debuerat, animo ferret; eadem, qua infirmos curauerat, negligentia vitæ curſum abſoluit: vt huius periculo ſibi caueant, qui ſegniùs ſe in ægrotorum miniſterio gerunt.

*Frater ægrotorum curam negligenter præſtans, negligentius moritur.*

17 Hoc anno infauſto fine vitæ periodum concludit Fr. quidam Sacerdos, Ludouicus nomine, qui falſis Satanæ reuelationibus deceptus, dum ſe totius Franciſcanæ Religionis Reformatorem iactat, in Aprutij Prouinciam ex Vmbria relegatus, Pinnæ ſub Diaboli poteſtate, qua eatenus detentus fuerat, inexpiatus, & abſque Sacramentis è vita deceſſit.

18 Cæterùm, quàm Capucinis Fratribus à pecuniarum delatione abſtinendum ſit; hoc exemplo diuinitùs declaratum fuit. Geminis Capucinis Fratribus Lugdunenſis Prouinciæ, Veſuntione in aliud oppidum profecturis; vir quidam Fratrum familiaris, eorum alteri litteras ad oppidi illius Procerem argenteis quibuſdam graues deferendas tradit: qui cùm ea pontificiæ gratiæ numiſmata eſſe exiſtimaret, eorum ſe latorem præbet. At itinere confecto, dum nocte ſibi ſomnum conciliare parat, eum variis Dæmon terriculamentis aggreditur: tot prætereà cordis anguſtiis, atque animi terroribus percelli cœpit, quorum ortum, & cauſam ignoraret, vt vix ea nocte ſomni quicquam capere potuerit. Mane verò illuceſcente, cùm litteras viro reddens, argenteos nummos, qui in his latebant, conſpexiſſet; oppidò heſternæ anguſtiæ cauſam agnoſcens, non modò à pecuniis, verùm & à pecuniarum delatione, velut à Dæmone, nobis cauendum eſſe intellexit.

19 Quanta verò ad Satanæ artes debellandas obedientiæ virtuti vis inſit; hoc quoque exemplo perſpicuum. Frater Benedictus à Prateola, Laïcus, in Conuentu Ortoni ad mortem ægrotans, pias nonnullas proteſtationes, quæ à morientibus fieri ſolent, coram Superiore ediderat. Eo verò ad vitæ finem appropinquante, cùm Guardianus, num priores proteſtationes ratas haberet, ab eo quæreret: Quid (inquit) proteſtationes obtrudis? nullas proteſtationes ratas habeo. Rem admiratus Superior Benedicto ait: Túne me loquentem agnoſcis? Cui ille: Quidni te agnoſcam? Annon tu Caïphas es? At Guardianus, qui probè morientis conſcientiam nouerat, rem aliunde oriri intelligens, morientem obedientiæ præcepto compellit, vt quem ſe eſſe exiſtimat, clarè aperiat. Cui ægrotans: Tu (inquit) meus Guardianus es. At ille: Num proteſtationes nuper à te factas confirmas? Cui Benedictus: Confirmo. At quid eſt, ait Guardianus, quòd me priùs Caïpham appellaueras, ac proteſtationes reieceras? Non ego, (inquit ille;) ſed Dæmon erat, qui me inuito loquebatur. Ac venena ob tui, ac proteſtationum odium meo ex ore euomebat. Atque his dictis in Domino piè obdormiuit.

*Diaboli opus obedientiæ præcepto diſſipatur.*

SVB

| Ann. Christ. | Pauli V. | Rodulph. II. Imp. | Hier. a Cast. Fer. Gen. Relig. | Cap. |
|---|---|---|---|---|
| 1610. | 6. | 33. | 3. | 86. |

SVb huius anni milleſimi ſexcenteſimi decimi initium, Pariſienſis Prouincia, quæ nouis paſſim Cœnobiis excreſcebat, cùm tam longè, latéque per multas Regni Prouincias diffunderetur, vt annua, nedum gemina, vti noſtris Conſtitutionibus ſancitum eſt, Prouincialis Miniſtri viſi atione percurri non poſſet; à Turonenſi Prouincia, cui Pictaui, Andegauenſes, aliíque populi adiuncti fuêre, Hieronymi à Caſtro Ferrettorum, Generalis Miniſtri, auctoritate præſcinditur, vtriuſque Prouinciæ Prouincialibus Miniſtris eodem in Capitulo Pariſiis coacto, communibus ſuffragiis electis. 1

*Capucini peſte infectis miniſtrantes piè occũbunt.*

Apenzellæ apud Heluetios, hoc quoque anno lue ſæua pagum occupante, Fr. Stephanus Subſiluanienſis, Concionator, tum prædicatione, tum virtute illuſtris, dum pio verbi, atque ægrotantium miniſterio incumbit, charitatis martyrio conſumptus, occumbit. Alter quoque Matthæus Abbauillenſis, Concionator, acerrimus Hæreticorum expugnator, & catholicæ fidei propugnator, cùm Alenconij ſolenni diſputatione Hæreſis Miniſtrum proſtrauiſſet, nouúmque catholicæ veritati triumphum peperiſſet; tantum ſibi Hæreticorum odium conciliauit, vt ab iis tandem occulto veneno interemptus, ad duplicem propugnatæ fidei, ac martyrij coronam euolauerit. 2

## *Vita, & geſta Fr.* MARCELLI *Curenſis, Concionatoris.*

INter primos illuſtriores virtutis Viros, quos hic annus ad Deum tranſmiſſos Cælo peperit, clariſſimus ex Romana Prouincia Marcellus Curenſis, Concionator, emergit. Eſt Cures (vulgò, *la Torre*) Sabinorum pagus, in quo Marcellus pios parentes ſortitus, atque in Dei timore educatus, præclara ab ineunte ætate pietatis præludia iecit: pueri ſiquidem animo, tam vehemens inſita fuit à Deo Chriſti paſſionum cupiditas, vt in tenella ætate, cùm ad quietem accederet, ſæpè mollem culcitram cum nuda humo commutaret; interdum minutos lapillos inter lintea ſpargeret, vt iis afflictum corpuſculum minùs ſomni voluptate frueretur; vrticarum quoque perſæpè manipulo nudos humeros verberaret. 3

*Admirabilis illius pro Chriſto patiendi ardor panditur.*

Hi porrò præcoces virtutis fructus, quos tenellæ ætatis plantula edebat, quales prouecta arbor, cumprimùm in Capucinorum agro tranſplantata eſſet, latura foret, velut prænuncio declarabant: hic enim dura omnia pro Chriſto patiendi æſtus, quem in pueri animo olim Dei dextera ſeuerat; ſimul atque is Religionis gremio exceptus fuit; in eo tantoperè incaluit, vt huc omnem cogitationem, ſtudium, animúmque intendiſſe videretur, quò vniuerſa corporis commoda perſequeretur, veterem hominem interimeret, atque ad Chriſti paſſi vitam, imaginémque ſeipſum perfectè componeret. 4

Paupertas nanque, quæ omnium prima Chriſti Domini vitam, à præſepi ad Crucem vſque rerum penuria diuexauit; tam altè Marcelli animo infixa fuit, vt ad extremas paupertatis metas rerum ſibi vſum contraheret: vnico enim habitu, breui, anguſto, ac interpolo; tunica demiſſa contentus; cannabaceo cingulo, quod ſemel Nouitius accepit, eodem ad obitum vſque ſemper vſus fuit; ſandalia, linea femoralia, linteola, quibus vtebatur, ſummam paupertatem commendabant. Denique tanta Seraphicæ Regulæ litteram, in qua Domini ſpiritum latere affirmabat; in his præſertim, quæ ad rerum paupertatem ſpectant, obſeruantia complectebatur; vt præter ea, quæ Regulæ præſcripto Fratribus conceduntur, nihil prorſus ſibi vendicandum vellet. 5

Carnem verò, vt Chriſti mortificationem in ſe ipſo referret, tam rigida abſtinentiæ lege coërcuit; vt decemocto annorum ſpatio, ſolo pane, & aqua contentus victitauerit: quo tempore panem, qui aliis ſupererat, arctum ad pondus, aquam quoque ad menſuram 6

breuem ſibi adhibere conſueuerat: nonnunquam verò biduo, ac triduo à cibo abſtinens, Chriſti in deſerto abſtinentiam, pro modulo imitabatur. Breuiſſimo, quoad vixit, ſomno haud vltra tres horas producto, vſus fuit: néve in tam breui illo quietis ſpatio, corpus aliqua voluptate frueretur; nudæ tabulæ lectum, ac ligni ſegmen, ſeu fœniculi faſciculus illi puluillum miniſtrabant.

*Summam vitæ auſteritatem colit.*

7 Corpus denique cùm tam diris verberibus cæderet, vt vicies Pſalmum, *Miſerere*. illud cædendo recitaret; ne minimum quidem, cùm brumale frigus vigeret, igne calefieri vnquam paſſus: ardens enim illa pro Chriſto patiendi cupiditas, cæleſtes animo prunas, quibus & corpus ipſum calefieret, conferebat.

His cùm Marcellus caſtigationibus, carnem Deo hoſtiam ſanctam, ac beneplacentem offerret; animum ita virtutibus imbuere viſus, vt cùm exterior homo corrumperetur, interior mirum in modum ſpiritu renouaretur: atque in nouam creaturam, quæ ſecundùm Deum creata eſt, in iuſtitia, & ſanctitate mutaretur: mira ſiquidem in eo obedientia; mira humilitas; mira manſuetudo; mira rerum aduerſarum tolerantia; mira morum honeſtas; mira denique in omnes charitas elucere cœpit: ita vt euangelicæ perfectionis, ac regularis obſeruantiæ forma omnibus fieret.

8 Orationis verò ſtudium illi tam aſſiduum, ac familiare fuit: vt cùm noctem ferè totam in rerum diuinarum meditatione inſumeret: iugiter interdiu Dei præſentia frueretur: ita vt ſtans, ſedens, ambulans, iter faciens, prædicans, domi, foris, cum Deo verſaretur. Quo fiebat, vt facilè de Dæmonum tentationibus triumpharet: quas enim ieiuniis, ciliciis, vigiliis, ac cæteris carnis macerationibus ſuperare non poterat, oratione vincebat. Hinc, cùm ardentes aliquando immundus ſpiritus in eo libidinis faces accendiſſet; quas nec aſſidua ieiunia, nec humi cubationes, neque horrida cilicia, neque diræ carnis caſtigationes minuere poterant; tandem oratione extinxit. Etenim in oratione ad Beatiſſimam Deiparam confugiens; tot eam lacrymis ad ſui præſidium compulit; vt non modò eam tunc tentationem deuicerit; verùm ab omni deinceps carnis ſtimulo ipſius dono liber fuerit.

*Quampluri-mis virtutibus emicat.*

9 Ardentiſſimè Dei verbum prædicans, non compta oratione, nec verborum lenociniis vtebatur; ſed apoſtolico ſpiritu præditus, in ſimplicitate ſermonis pœnitentiam, ac Dei Regnum populis inculcans, copioſiſſima animarum lucra Deo referre conſueuerat: quo tempore nonnulla Dei virtute ab eo miracula patrata leguntur: cùm enim in Canepinæ oppido Dei verbum quadrageſimali tempore diſſeminaret; Parochi fratria, Maria nomine, quæ graui capitis dolore torquebatur, cùm apprehenſam Marcelli manum ſibi capiti impoſuiſſet, repentè à dolore liberata fuit. Rurſum cùm in Somnini oppido Dei verbum euangelizaret, Sebaſtiani Doctoris filius, octo annorum puer, extremo agone cum morte colluctabatur: quo tempore à patre Marcelli precibus commendatur: qui cùm Sebaſtianum de futura pueri ſalute certiorem feciſſet, eraſum ex B.P. Franciſci ligno puluerem aquæ mixtum puero potandum præbet: qui ſimul atque puluerem cum aqua hauſit, protinus in vitam reſpirauit. Alia quoque eum ſigna patraſſe communi fama peruulgatum.

*Nonnulla in Dei nomine miracula patrat.*

10 Hoc in Somnini oppido cùm Marcellus ægrotare cœpiſſet, Pipernum proficiſcitur; vbi morbo ingraueſcente, plurima cum ſanctimoniæ fama, feria quinta maioris Hebdomadæ, diem extremum clauſit. Ipſius corpus poſt obitum, molle, tenerum, tractabile; vultúſque colore reſperſus conſpicitur: quamobrem magna populi frequentia illius funus celebratum fuit; atque ipſius habitus, cingulum, caputium in fruſta præ ſanctitatis opinione conciſa. Poſt tertium, & quartum ſepulturæ menſem eiuſdem corpus, etiamnum in ſepulcro incorruptum, ſuauiſſimum odorem efflat, ac nonnullis miraculis emicat.

11 Nam hoc ipſo anno, Fr. Bergomas, Sacerdos Romanæ Prouinciæ, cùm Romæ febri, ac tam graui cardialgia cruciaretur, vt extremum ſibi adeſſe diem exiſtimaret; panni ſegmen, quo Marcellus viuens vſus fuerat, ſibi ad cordis regionem adhibens, non modò ab vehementi illa cordis paſſione; verùm & à febri confeſtim perſanatur. Atque hoc ipſo tempore Monialis quædam Piperni, fiſtula incurabili, qua eius facies deturpabatur, laborans, cùm habitus particula fiſtulam contigiſſet, protinus ab ea curata fuit.

*Poſt mortem pleriſque miraculis fulget.*

Anno

Anno 1611. Romæ Dominicus quidam, totius corporis doloribus ita affectus, vt membrorum ferè omnium vſu deſtitutus eſſet; cùm habitus Marcelli ſegmentum à quodam ex noſtris Sacerdote accepiſſet, & ex ipſius conſilio, aqua, in qua illud immerſum fuerat, malè affectas corporis partes lauiſſet; extemplò dolores omnes fugatos ſenſit: ſed cùm ex diuturna corporis ægritudine, ita imbecillis eſſet, vt progredi nullo modo poſſet; eadem aqua, pedes, crura, femora, ac cætera corporis membra iterum abluens, tam firmum corporis robur, ac valetudinem aſſequitur, quaſi nullo vnquam tempore ægrotaſſet; & quod miraculum auget, ab hernia prætereà, qua laborabat, perſanatur.

Eandem habitus particulam, mulier, quæ acerbis partus doloribus per multos dies cru- 13
ciari ſolebat, ſibi in partu adhibens, abſque dolore fœtum emittit. Altera quoque parturiens, cùm ſacrum nummum, quem Marcellus olim Corollæ appenſum gerebat, ſibi collo appendiſſet, à partus doloribus liberatur.

## *Vita, & geſta Fr.* REMIGII *Bergomatis, Sacerdotis.*

FRater Remigius Bergomas Sacerdos inter illuſtres Brixianæ Prouinciæ Viros enume- 14
ratus, Vir fuit Seraphicæ Regulæ obſeruantiſſimus, atque omnium euangelicarum virtutum laude clarus: cui cùm & admirabilis animo prudentia ineſſet, Nouitiorum curæ, & educationi præfectus, grauiſſimum munus ferè ad obitum vſque tanto virtutum ſplendore, ac tam mira ſapientiæ luce adminiſtrauit, vt quotquot ea tempeſtate huiuſmodi magiſterio in ea Prouincia præficiebantur, ab eo curandorum Nouitiorum formam, ac normam ſibi vendicarent. Vir tantæ manſuetudinis fuit, vt eum nemo iratum, nemo vnquam turbatum viderit. Cæteras quoque animi paſſiones aſſidua virtutum exercitatione, ita ſibi ſubiectas habuit; vt tranquillum, imperturbatúmque interioris hominis ſtatum, atque ab omni, tum cupiditate, tum ſpe, metúque liberum gereret: quo fiebat, vt ſuppullulantes cunctas rerum cogitationes, curas omnes, ſollicitudines, incidentéſque humanarum rerum caſus, quibus ſæpè animus percelli ſolet, tam libero pede calcaret, támque perfectè ſuo imperio ſubiiceret; vt quaſi hæc infra animum fierent, ad eúmque minimè ſpectarent, is in mentis ſilentio conticeſceret; atque inter graues ſui muneris ſollicitudines, abſque ſollicitudine verſaretur.

*Ipſius plurimæ virtutes referuntur.*

Hunc verò mentis ſtatum, non tam propriæ virtutis conatu, quàm aſſiduo orandi ſtudio 15
ſibi comparaſſe aliquando affirmauit: in quo cùm multus, ac ferè totus eſſet; tum maximè in Dominicæ paſſionis meditatione verſabatur: quam tam pio mentis affectu proſequutus eſt, vt Pſalmum centeſimum decimumoctauum, cuius initium eſt: *Beati immaculati in via.* admirabili pietate ad Domini vulnerum ſenſum tranſtulerit.

Pia hæc ad affectiuum Dominicæ paſſionis ſenſum Pſalmi tranſlatio, quàm ardenti Re- 16
migij animus erga crucifixum Dominum amore flagraret, non obſcurè indicat. Quare haud mirum, quòd & ipſum Chriſtus Dominus cæleſtibus propheticæ lucis, ac miraculorum donis proſequeretur: cùm enim in Cremenſi Conuentu anno 1599. Nouitiorum curæ incumberet, Arſilia quædam erga Capucinos benefica, inter graues aliquando, occultáſque animi anguſtias verſabatur: quas cùm nulli declarare auderet, Remigius ad illam opportunè accedens, totam afflictionis, quam illa animo occultam gerebat, ſeriem aperit, opportunúmque conſilium præbet, quo illa ità obſtupuit, vt, cùm id à nemine, præterquàm à Deo reuelante, ſciri potuiſſe affirmaret; eum deinceps Prophetam prædicaret.

*Occultas aliorum animi ægritudines peruadit.*

Pompeius Fara, Sacerdos Cremenſis, quaſdam ad exterum hominem litteras dederat, 17
quæ cùm plurimùm ſibi obeſſe poſſent, eas ſe dediſſe pœnituerat. Res ſibi tantùm perſpecta erat: quapropter eam animo celans, fortè in Remigium incidit: qui, Pompeio, cui familiaris erat, ſalutato, his illum verbis affatur: Pompei, ſcriptum manet irreuocabile verbum. Epiſtola ſimul atque è manibus erupit, leuis tranſuolat: ac difficilè reuocari poteſt. Rem anteà maturo conſilio perpendiſſe, quàm poſt factum pœnituiſſe, conſultius eſt. Hæc ab Pompeio haud magna ſine admiratione audita, cùm neminem ſub cælo, ſe excepto, conſcriptæ epiſtolæ conſcium eſſe, ſibi certum, ac perſpicuum eſſet. Rurſus, cùm idem Pompeius, de quibuſdam ad mentis conſcientiam ſpectantibus, quam ſententiam complexurus

eſſet,

eſſet, dubius animo inhæreret, Remigium adit, illius conſilium exploraturus: qui cùm ex diuina reuelatione mentis illius dubitationem accepiſſet; antequàm is fari inciperet, occultum illi dubium proponit, explicat, diſſoluit, ac conſilium præſtat. Maximino Borſatio Cremenſi futurum rei familiaris incrementum: Claudio Faræ, qui in odio pertinax, pacem cum aduerſario inire recuſauerat, imminentem Dei vindictam, ac luctum: Iordanæ Griffoniæ Comitiſſæ ægrotanti futuram incolumitatem, euentu dictorum veritatem comprobante, prædicit. *Plura prophetico ſpiritu futura præuidet, ac prædicit.*

18 His, & aliis à Deo donis cohoneſtatus, cùm ſex, & triginta annos magna cum vitæ ſanctimonia in Religione traduxiſſet; Cremæ tandem haud diſſimili pietate rebus humanis valedixit, grandia in Cælo meritorum præmia laturus; quorum teſtes ſunt, copioſa, quæ poſt ipſius obitum miracula ad ipſius inuocationem à Deo patrata leguntur: vix enim Remigius Deo ſpiritum reddiderat, cùm Marcellus Setegnaritus, Cremenſis, ſtrumis laborans, quibus curandis multa Medicorum remedia haud ſufficere potuerant; ſupplex à Superiore poſtulat, vt defuncti digito, ſtrumæ ſibi obſignentur: cui cùm Superior annuiſſet, ac Remigij pollice ſtrumas contigiſſet; paruo poſt hæc tempore elapſo, ab iis perfectè, abſque vllo Medicorum remedio, incolumis euaſit. *Poſt mortem multa ad ipſius Reliquias eduntur miracula.*

19 Hoc ipſo anno Ludouicus Faſanius, eiuſdem vrbis ciuis, repentino genarũ dolore obrutus, ferè ad inſaniam redigebatur: quo tempore Remigium magna voce inclamans: O Remigi, (inquit,) quandoquidem te nunc in Cælo triumphantem Paradiſi flores, atque aſtra coronant, mei, obſecro, miſerere, miſeróque tuis apud Deum ſuffragiis adeſto, vt à tam vehementis doloris cruciatu eripiar. Vix hæc Ludouicus verba protulerat, cùm protinus à dolore liber, eo nunquam deinceps vexatus fuit.

20 Per id quoque tempus Baptiſta Faiolus, Cremenſis, cùm ſpleneticus, & continua febri laborans, humana præſidia ſibi ad incolumitatem deeſſe cerneret; Remigij, qui paulò antè diem ſuum obierat, impenſiùs apud Deum ſibi opem implorans, ſecundo poſt hæc die ſplene, & febri curata, è lecto ſurgit incolumis.

Eodem quoque anno Baptiſtæ Bocatij illuſtris incolumitas contigit; qui, cùm viginti annorum ſpatio tam graui ſtomachi languore vexatus fuiſſet, vt ſumptum cibum euomere cogeretur, ex quo omnem ferè cibi appetentiam amiſerat; voto ad Remigium nuncupato, tam integra, eo exoluto, ſanitate potitus eſt, vt ne vllum quidem poſt hoc ſtomachi dolorem ſenſerit.

21 Angela denique, Tertij Ordinis S. Dominici Soror, cùm pridie Feſti S. Trinitatis, tam vehementi febre teneretur, vt in tam ſolenni die, ſe ad Eccleſiam accedere, ac ſacra Dominici Corporis Communione refici poſſe, planè deſperaret; mentem ad Remigium conuertens, hanc ab eo gratiam exquirit; vt ſuo illam ita præſidio firmet, quò in Eccleſiam pergere, & ſacra Synaxi frui valeat. Pio illicò Angelæ voto adfuit è Cælo Remigius, cuius patrocinio tum à febre, tum à corporis imbecillitate libera fuit. His, & aliis ſignis, quæ ſilentio prætereo, Deus Opt. Max. ſerui ſui gloriam poſt mortem omnibus teſtatam eſſe voluit.

22 Ex eadem Brixienſi Prouincia, multa virtute, hoc quoque anno, celebris emergit Fr. MANSVETVS à Valle Camunorum, (vulgò, *Val Camonica*,) Laïcus, qui cùm ad extremam vſque ſenectutem vitam mira innocentia, ac mentis puritate, admirabili quoque pietate ornatam duxiſſet; perpetuum ſe, quoad vixit, regularis obſeruantiæ, ac perfectæ virtutis ſimulacrum cunctis ſuſpiciendum præbuit. Huic cùm tam ardens orationis ſtudium eſſet, vt iuges ferè ex interno diuini amoris incendio, quaſi ex clibano diſtillario lacrymæ ex oculis defluerent; hinc admirabilis illius orationis virtus ſe ſe offerre viſa eſt, qua ſæpenumerò in Deum ita rapiebatur, vt à ſenſibus abalienatus, ſolo ſpiritu cum Deo ageret. Id illi aliquando Benacum lacum nauigio traiicienti accidit; in quo trium horarum ſpatio tam immobilis, ac inſenſibilis perſtitit; vt, licèt in varia à Socio diſtractus vix tandem ſibi redditus fuerit. Vita, & geſta Fr. MANSVETI *à Valle Camunorum, Laici.*

23 In Conuentu Alimeni, agri Bergomenſis, cùm manſuetus ſacris Myſteriis de more aliquando in dextro Euangelij latere, (erat enim auris obtuſæ,) intereſſet; lucis globus ex Altari erumpere viſus, qui ad Manſuetum ſe extendens, ipſius caput maximè *Diuinis Myſteriis aſſiſtentem diuinæ lucis globus circundat.*

intuentium admiratione obumbrat. Rurſus, dum ſolus in Eccleſia orat, vocem è Cælo ter hæc verba repetentem audit: Remittuntur tibi peccata tua. Iterum, cùm in Conuentu S. Victoris, vrbis Mediolanenſis, prouincialia Comitia celebrarentur, die quadam contigit, vt cælum denſa, atque atra nube obductum, quæ procellam, ac vaſtitatem frugibus minabatur; rectà ad Conuentum ferretur: quam ſimul atque Manſuetus, qui in eo tunc Conuentu verſabatur, venientem conſpexit, protinus in genua procidens, pauliſper Deum orat: tum Cruce, quam Corollæ appenſam gerebat, ac Regulæ codice manu apprehenſis, in nubem appropinquantem ſignum Crucis vibrat. Mirabile dictu! nubes tam repentè in fruſta diſcinditur, vt puſillo tempore elapſo, vix eius veſtigia viſa fuerint.

Poſtremò, Ioannes Baptiſta Milanus, Epiſcopus Bergomenſis, ſe è graui morbo Manſueti oratione curatum fuiſſe, haud ſemel teſtatus fuit. Is igitur cùm plurimos in 24
Religione annos in iuſtitia, & ſanctitate traduxiſſet; octogenarius tandem Mediolani ad Dominum migrat.

*Vita, & geſta Fr. MARCELLI Piſtorienſis, Sacerdotis.*

MARCELLVS Piſtorienſis, Hetruſcæ Prouinciæ Sacerdos, è Congregatione S.Georgij, ad Capucinorum Familiam à Deo vocatus, tam præclaris religioſæ vitæ curſum 25
moribus, ac virtutibus exornauit, vt in illuſtrium huius Prouinciæ Virorum albo conſcribi meruerit. Orationem is à ſuæ conuerſionis exordio, cùm ſibi ad cæteras virtutes comparandas auxiliare præſidium quæſiiſſet, tanto illius ſtudio tenebatur, vt cum familiare illi eſſet, ſeptem, vel octo quotidie Horas in oratione inſumere, ad duodevigeſimam vſque horam aliquando orans, ita immobilis perſeuerauerit; perinde ac ſi omni ſenſu careret. Cùm verò ab oratione ſurgeret; tanto facies eius ex conſortio ſermonis Dei interdum ſplendore emicabat; vt non terreſtris; ſed cæleſtis planè hominis imaginem præſeferret. Cortonæ, dum in cella orat, ex ea tam ingens ſplendor erumpere aliquando viſus, quaſi è Solis globo intus incluſo proficiſceretur: quo ceſſante, ſuauiſſimus inde odor emanare cœpit. Tam familiares illi erant mentis exceſſus, vt vix vnquam abſque illis orationi incumberet. Aliquando verò, cùm Florentiæ in Eccleſia immaculatæ Conceptionis orationi vacaret, à Religioſo quodam, cui nomen Euangeliſta, Ordinis ſeruorum B. Mariæ, qui eo tempore in eadem Eccleſia orabat; toto corpore in aëra ferri conſpicitur. Hinc plurimis à Satana artibus, vt eum ab oratione auocaret, impetitus, omnium victor extitit: ac tandem Piſtorij ſanctimonia clarus, è viuis exceſſit.

*In oratione frequenter à ſenſibus excedit.*

*Vita, & geſta Fr. THEODORI Panormitani, Laïci.*

In Cathalonienſi Prouincia Fratris Theodori Panormitani, Laïci, illuſtris viget me- 26
moria, qui ex ſæculi mercatura, ad Domini negotiationem tranſlatus, tam præclaram in ea operam, ac laborem contulit, vt credita ſibi, licèt minora in Religione talenta, boni, & fidelis ſerui inſtar, multiplicauerit. Laïcorum hic vitam, quæ circa Marthæ potiſſimùm miniſterium verſatur, ita cum Mariæ otio coniunxit, vt nec Mariæ otium turbaret, neque à Marthæ opere abſtineret: cùm enim actiuæ vitæ, quæ non modò corporis labores; verùm & practicas animi operationes, quæ ad virtutum ſtructuram tendunt, complectitur, negotia ita pertractaret, vt aſſiduo labore, ac ſollicitudine carnem à vitiis abſtraheret; neque ſolùm Conuentus hortulum; ſed & animi agrum humilitate, obedientia paupertatis ſtudio, patientia, charitate, ac cæteris regularis obſeruantiæ virtutibus, quibus egregiè præſtabat, operoſiùs excoleret; tam ſuauiter eodem tempore diuinæ contemplationis otio fruebatur, vt ſæpiſſimè animo à ſenſibus alienato, inter cæleſtium deliciarum conuiuia cum Deo epularetur.

*Orans in ecſtaſim rapitur, & ſplendenti vultu apparet.*

In Perpinianenſi Conuentu, cùm in cella aliquando oraret, ecſtaſi correptus, vul- 27
tu ita accenſo apparuit, vt diuini amoris flammis totus exuri videretur. Hoc modo rurſus, cùm Angeli cuiuſdam Cardonæ Perpinianenſis domus gradus conſcenderet, mente excedens, diu ibi ecſtaticus permanſit.

Prophetico prætereà ſpiritu, pleraſque tum occultas animi cogitationes, tum res 28
futuras, Franciſco Cors, Barcinonenſi Iuriſperito, aperuit; quas, vti prædixerat, eueniſſe, is iureiurando aſſeuerauit. Maxima quoque Theodorus cùm B. Antonium Olyſiponenſem religione coleret, nonnulla in ipſius nomine miracula patraſſe, communis

apud omnes fama fuit. Inter quæ illud refertur. Ægrotabat Barcinonæ iam deſperata à Medicis valetudine, nobilis quædam mulier, Maria Pagnera nomine, ad quam ob morbi contagium cùm accedere nemo auderet, accedens Theodorus: Quid (inquit) intranti aditum prohibetis? Liberum mihi præbete greſſum: mecum enim eſt fidus Achates, qui ægræ ſalutem reſtituet. Cúmque ingreſſus ægram ad S. Antonij opem implorandam prouocaſſet, in eiuſdem S. Antonij nomine ſtatim incolumem reddidit.

29 Poſt hæc ad Blandæ Conuentum profectus, accidit, vt peregrinus quidam à Fratribus hoſpitio exceptus, in lethalem morbum inciderit: qui cùm ſuapte natura ex commercio ad benè valentes transfunderetur; timorem cæteris Fratribus incutiebat. At Theodorus, cùm ex charitate eum curandum ſuſcepiſſet; tam ſedulò illi, quæ neceſſaria erant, miniſtrat, támque familiariter cum eo verſatur; vt eo tandem è viuis erepto, is eodem morbo ægrotare cœperit: quo tempore cùm generali peccatorum Confeſſione mentem expiaſſet; Sacerdos, qui ipſius Confeſſionem excepit; quam ille ex matris vtero tulerat, virginitatem, Deo tunc reddidiſſe, non obſcurè compertum habuit. Obiit apud omnes ſanctimoniæ fama clarus.

## *Vita, & geſta Fr.* BENEDICTI *Canfeldenſis Angli, Concionatoris.*

30 NIhil Dei conſiliis, in his præſertim, quæ ad diuinam electorum, tum prædeſtinationem, tum vocationem ſpectant, vel admirabilius, vel obſcurius excogitari poſſe; tam certum ſemper apud Patres fuit; vt B. Laurentius Iuſtinianus, cuius haud vulgaris inter nos eſt auctoritas, his aliquando verbis docuerit: *Incomprehenſibilis eſt Sanctorum electio, nulli prorſus mortalium nota. Caligat naturale ingenium in conſideratione ipſius; & à nimio ſplendore eius reuerberantur ſublimium oculi. Quis curioſus inſcrutabilia Dei iudicia inueſtigabit impunè? Quis, oro, ineffabile lumen ſecretorum diuinæ maieſtatis, conſtitutus in carne poterit intueri? Solis illis ſpiritibus angelicis, quanuis non ad plenum, datur iudiciorum Dei ſcientia, in quibus, tanquàm in throno proprio, diuina præſidet ſapientia.* Neque id mirum, cùm Apoſtolus, cui cæleſtia Sacramenta, ad tertium vſque Cælum rapto, reuelata fuerunt; admirabundus exclamet: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei! quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!*

*S. Laurent. Iuſtin. in Faſcic. amoris.*

*Rom. 11. 33.*

31 Hæc in diuina Benedicti Canfeldenſis Angli electione, ac vocatione ita eluxêre, vt eas admirari quidem, ac ſuſpicere; verùm minimè attingere liceat. Cui inter denſas Anglicanarum hæreſum tenebras eò inſcrutabiliùs diuina fidei lux affulſit; quò reliquis cæca errorum caligine immerſis, ſolus à Deo eligi, ſegregari, trahi, atque in admirabile lumen ſuum vocari meruit.

32 Hic Canfeldi, quæ Prouinciæ Eſſexianæ in Anglia vrbs eſt, nobili Filchorum ſtirpe ortus, & Guillelmi nomē ſortitus, inter impuros Puritanæ ſectæ, quæ familiæ domeſtica erat, ſinus, à teneris annis enutritus fuit. Qualis eius ad vigeſimum quartum vſque annum, quo ab hæreſi ad catholicam fidem, & à ſæculo ad Capucinorum gremium à Deo vocatus fuit, vita, & conuerſatio fuerit; quæve illius conuerſionis exordia extiterint; idemmet in quodam Soliloquio, quod Capucinus conſcripſit, diſertè aperit: quod hîc potiùs inſerere, quàm meis verbis hanc rerum narrationem proſequi ſatius duxi. Hæc itaque illius verba ſunt.

*In hæreſi vſque ad vigeſimumquartum annum enutritur.*

33 *QVanquam elapſæ vitæ meæ immoderata ſeries, cum parco Chriſtianorum viuendi more comparata, totius improbitatis, vanitatis, & ſpurcitiæ referta videretur: nihilominùs denſiſsimis ignorantiæ tenebris offuſa, necnon tot perditorum hominum, quos calamitoſa tempora pepererunt, mentitæ pietatis fuco adumbrata fuit; vt vix qualis erat appareret. Quemadmodum enim nigrum albo oppoſitum, magis elucescit: ſic nigrum albo permixtum, difficili negotio cognoſci poteſt. Eadem erat vitæ meæ ratio, quæ Chriſtianorum candori, & integritati aſsimilata, tanquàm amictu picto velata, omnium oculis viſenda apponebatur: ſed huius tempeſtatis calamitoſæ tenebris immerſa, illius turpitudo, imò potiùs*

horrendus fœtor nequaquam proſiliit. Nam ab illo fidei, & catholicæ Religionis ſtatu euerſo, & abominandæ hæreſeos, in hoc noſtro Regno Anglicano, progreſſu, morum corrupta eſt integritas, & habenæ conſcientiarum demiſſæ ſunt; ita vt omni virtute labefactata, quæuis ſcelerum, & flagitiorum ſemina pullularint. Vtinam falſa eſſent, quæ dico: ſed nimium experientia comprobatum eſt. Nam, quæ fides in negotiationibus! quæ initi fœderis violatio! quæ mutui amoris ſignificatio! O miſeranda tempora! ô mores deprauatos! Iure, & meritò dicere poſſum, hominum conſcientias, extincto totius virtutis lumine, in omne flagitiorum genus irruere. Prætereà, nónne concupiſcentiæ, & libidinis fræna demiſſa ſunt, cùm vnuſquiſque tectum facinus in pectore verſat, credens in caligine cæca non patere dolos, & veſanæ libidinis ignes? Sed ſilentio præterire, quàm exemplis probare mallem. Verùm, cur ita ſe res non haberet? aut, cur illa mollis carnis petulantia eſſet cohibenda, ſi eadem poſt Baptiſmum, nullo adhibito conſenſu, peccatum ſit? (vt aſſerit Dominus Chargue cum Collega Miniſtro.) Vel ſi quoduis peccatum ſit lethiferum? (vt aſſerunt Proteſtantes.) Vel denique, ſi aliquis eleemoſynam dederit, vel aliquod bonum opus fecerit, non amicus Proteſtantium erit; ſed tandem in Cælum propriis ſuis meritis aſcendere putabitur? Quod autem ad hoſpitalitatem, vt pauperum refectionem ſpectat, illud non ſolùm apud laïcos; ſed & Sacerdotes penè extinctum eſt. Alij totum illud beneficium in vxoribus auro, margaritis, & monilibus adornandis conſumunt: alij meretricibus. De ieiunio verò, & oratione, quorum frequentiam nobis Deus, & verbis, & operibus commendauit: quicunque vigiliis ab Eccleſia inſtitutis ieiunauerit, Papiſta; qui in oratione eſt aſsiduus, Monachus appellari ſolet. Denique ad ſacram Synaxim accedere, cæteríſque Eccleſiæ Sacramentis muniri; illud videtur vniuerſo ſtatui repugnare. Quid plura? Si de peccatorum Confeſsione, reconciliatione, vel vſu imaginis alicuius, vt ſunt medalliæ, Cruces, Grana benedicta, & ſimilia; ſi de Indulgentiis à Summis Pontificibus conceſsis dixero, inter læſæ Maieſtatis crimina reponuntur. Quòd ſi hæc omnia ſuperiùs allata, experientia nimis probata ſint, nónne micans omnium virtutum ſplendor extinctus iacet? Denique, ſi quis noſſe cupiat, quàm lata ſit, & ſpatioſa iniquitatis via; in miſerandum Regni Anglicani ſtatum oculos conuertat; per ſingulos hominum gradus deſcendat: videbit, nullum flagitiorum genus à quocunque ordine hominum prætermitti: viam nanque illam tenent facilem, & latam, Dæmonem malum decipientem ſequentes, qui obcæcatis eorum animæ oculis, ſequaces ſuos ad perditionem ducit, eíſque malum bono præferendum ſuadet: ſícque adimpletur in eis Scriptura: Iniquitatem vt aquam bibunt. quo grauius peccatum nequit excogitari, magíſque Deo exoſum, (teſte Salomone:) ſex enim præcipuè Deus odio habet, quorum primum eſt, veloces pedes habere ad currendum in malum. Sed quædam ponderanda apponamus. Primum, quis honor ſummæ illi Maieſtati redditur, cuius ſanctiſsimum nomen tanta cum facilitate peierando dilaceratur? vix enim aliquis inter generoſos, & nobiles viros reponendus erit, qui ſermones ſuos eiuſmodi horrendis iuriſiurandi fœtoribus non adumbrauerit. Prætereà, quo pacto dies Dominici, & feſtiui celebrantur? cùm his maximè diebus frequentiores fiant deambulationes in Eccleſiis: ludi publici mimorum, vrſorum conflictus, & cætera huiuſmodi, quæ hominem ad quoduis flagitiorum genus perpetrandum prouocant? &, quod peius eſt, id omne, maximè tempore diuini Officij, ſpectatoribus exhibetur: & quanuis vindicem Dei manum experti ſint; cum inani quadam iucunditate capti, theatra innumera hominum multitudine onuſta funditus euerſa ſunt, pluréſque interempti ſunt: nequaquam tamen ab his ludicris abſtinuerunt. Sed quid plura de profanatione feſtorum, cùm Puritani vix ea approbent? Odium prætermitto, malitiam, ſuggillationes, iniurias, temeraria iudicia, æmulationes, inuidias, & huiuſmodi reliqua; quæ, etſi in vſu frequentia, tamen paruipenduntur. Quæ execrabilior diſſenſio inueniri poteſt, quàm ea, quæ inter vicinos, & Parochos oritur, cuius auctor, & fautor eſt Miniſter? De auaritia ſatis conſtat, eum raptorem eſſe, qui aliena bona concupiſcit. Quis inter Proteſtantes, & Puritanos huius vitij expers inuenietur? qui quomodo aliena rapiant, ſibíque vendicent, ſiue fraude, ſiue dolo, totis neruis inſudant? Omitto iuſtitiæ ſtatum muneribus, & pecunia corruptum, cùm multi Sacerdotes, Religioſi, & multi alij Catholici, ſub prætextu iuſtitiæ detrudantur in carcerem, ſpolientur bonis, & ſuppliciis tandem afficiantur. Sed, quid moror in eorum omnium vitiis explicandis, quæ prodita

*in lucem clariùs eluceſcunt , & extincto diuino , & naturali lumine perpetrantur ? Similéſque ſunt illis , qui dicunt* : Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. *Ecce peruerſa , & ab omni humano ritu aliena vita hominum huius noſtri temporis. Hæccine ſanctitas, & diuinorum mandatorum obſeruantia ? Sed, quid mirum eſt, cùm ad eorum obſeruantiam Miniſtri eos non excitent; ſed publicè ea non poſſe obſeruari profiteantur?* Mandata *( inquit Dominus Chriſtus )* grauia non ſunt. *ipſi grauia , & impoſſibilia docent.* Iugum meum ſuaue eſt, *( inquit Chriſtus : )* & onus meum leue. *ipſi contrà , amarum eſſe , & intolerabile.* Si vis *(inquit Chriſtus)* ad vitam ingredi, ſerua mandata. *ipſi ſola fide contenti ſunt. Nónne veriſimile eſt, ex tali doctrina vitam ſimilem procedere ; ex tali ſemine talem fructum: nullus alius ex fœtidis hæreſeos , & ſchiſmatis radicibus naſci poteſt : cùm plerunque poſito vno ponatur aliud : hæreſi , ſcilicet , poſita , vita ſequatur pernicioſa , & contemptibilis : ab his enim fides ſubuertitur , charitas corrumpitur , veritas frangitur. In iis denique tanta eſt peruerſitas , vt veritati cedere neſciant ; ipsámque veram doctrinam euacuare contendant. Vnde B. Martyr Ignatius tanto animi feruore ſeruos Dei excitat :* Hæreticum hominem deuita, *(inquit : )* nam vbi ſana fides non eſt , non poteſt eſſe iuſtitia. Fugite diabolicum virus Hæreticorum , qui ſua peſtifera , & mortifera dogmata emendare recuſant , imò defenſare perſiſtunt. Nolite vos errorum Magiſtris , Simoni Mago, Monandro, Briſilidi , Ebionitis, & Nicolaïtis carnis operibus deditis commiſcere. *Quis veſtrûm, ô fideles Angli, cum D. Baſilio non conqueratur,* nullum integræ fidei, & doctrinæ veſtigium apparere? Paſtores ardenti erga gregem charitate feruidi, tacere coguntur ; obtunduntur ora Doctorum ; contumelioſorum hominum ora laxantur ; ſacra miſcentur profanis ; puſillus Chriſtianorum grex Eccleſias non frequentat , vbi nequitiæ dogmata publicè prædicantur ; ſed , tanquàm in ſolitudine viuentes , multis profuſis lacrymis, & ſingultibus auxilium diuinum efflagitant. *Ecce , quomodo in hoc noſtro Regno Anglicano vitia ſeſe ingerunt, & ſe eſſe virtutes mentiuntur : nam diſſolutio , conſcientiæ relaxatio, quaſi manſuetudo , & pietas habetur. Malorum pertinacia , conſtantia dicitur : ſermonis ſuperbia, & malitia cordis, deuotio nominatur. Vnde vita mea miſeranda, perdita, tantis ignorantiæ tenebris circunſcepta, quandiu in hac maledicta regione, velut in Ægypto lucis vſura fruita eſt, ex obſtruſiori erroris ſpecu in lucem veritatis erumpere nequaquam potuerit.*

*Optimo iure , & meritò , his temporibus , cum B. Polycarpo eloqui poſſum :* Bone Deus ! in quæ tempora nos reſeruaſti ! Heu, Domine , quæ ſæcula ! qui mores ! fides exulat : Eccleſia ſpernitur , virtus proſtrata calcatur pedibus : vitium extollitur : heu peccatum, ſchiſma , & hæreſis vbique dominantur ! *Hoc tempore , bone Deus, natus ſum , iis moribus imbutus , & eiuſmodi hominibus traditus ſum educandus : me ( inquam ) tua ſic diſponente bonitate, calamitoſa hæc tempora pepererunt : ſed iudicia tua , Domine, abyſſus multa ; & miſericordiarum tuarum non eſt numerus. O altitudo diuitiarum ſapientiæ , & ſcientiæ Dei ! quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius , & inueſtigabiles viæ eius , & ſapientiæ eius non eſt numerus ; miſericordia autem ſuper omnia opera eius : tibi cantabo canticum laudis , & ſacrificabo hoſtiam gratiarum actionis. Tua enim infinita bonitate , quocunque me rapuerit veſana huius temporis noſtri libertas , circunſeptus ſum ; quæ quidem tacitè monebat , virtutem ſolidam potiùs eſſe hauriendam , quàm fugientes vanitatis vmbras, quas conſectari non poſſum. Nec libet , Domine , obliuioni tradere latam illam , & ſpatioſam viam , quam habui : quoniam ab illo malo duce illectus , mendacium veritati , & vitia virtutibus prætuli. Erraui , ſicut ouis , quæ periit , dum tu non ceſſaſti quærere ſeruum tuum : quomodo enim appellari poterit præceps illa via gurgitibus interciſa ? quæ me in æſtuantes vitiorum flammas , nullo Sacramentorum Eccleſiæ adhibito refrigerio immerſit? Iſne Chriſtiani nominis dignus eſt , qui nullius Sacramenti fuit particeps , qui nec Sacrificio Miſſæ , nec Matutinis , & Veſpertinis precibus interfuerit ? qui nec vnquam Sacerdotem viderit ? is potéſtne vocari Chriſtianus ? In hoc tamen miſerando ſtatu verſatus ſum : huc me via vitiorum pernicioſo dogmate imbutum , in illam perditionem induxit. Delicta iuuentutis meæ , & ignorantias meas ne memineris , Domine : nihil in me , niſi malitia , & improbitas Chriſtianis coloribus depicta : ſi enim palmes veræ vitis non eſſem , quomodo bonum fructum producere potuiſſem ? Si membrum obtruncatum , quid capiti vſui eſſem ?* Iesv Christi *membrum non eram ; quoniam Eccleſiæ*

*non adhærebam: cùm (vt quidam Sanctus ait) non habeat Deum Patrem, qui non habuerit Eccleſiam Matrem. Ita corpore viuens; anima autem mortuus eram. Heu! Domine, quàm ſæpè mandata tua neglexerim, lethifera peccata commiſerim, graui peccatorum ſarcina onuſtus; tamen in dies iracundiam tuam prouocabam, ſecretiores animæ meæ partes ſtimulis acutiſsimis pungebantur; effrænatis, & inſatiabilibus omnium libidinum illecebris rapiebar; auaritiæ, ſcilicet, ambitionis, mulieroſitatis, gulæ, liguritionis, temulentiæ, cupediæ, & ſimilium peſtium, quæ mihi ita accidere, & optatum bonum, ſpe fallente, præoccupare viſæ ſunt; vt inhumana dulcedine illectus, crebríſque ſucceſsibus inardeſcens, non ſatietatem, imò contrà maiorem ſui cupiditatem incuſſerunt. Omitto reliquas peſtes, ne piorum hominum aures offendere videar: ſed tu, Domine, ex his omnibus eripuiſti me. Ecce, Domine, quos habui ſocios vitæ meæ, quibus manum porrexi, fidem ſeruaui: tu tamen nunquam elongaſti à me auxilium tuum, neque faciem tuam auertiſti à puero tuo; eóque ſeptennij tempore, quo Londini in vanitatibus volutatus, totum me in contemplandis ludicris ponebam. Heu! Domine, quoties in ciuitatis foro inertiam ſequutus! quandiu mimorum, & Comœdiarum ſpectator! quoties ſcholas non doctrinæ, ſed ruinæ, artis, ſcilicet, gladiatoriæ frequentaui quoties templum D. Pauli profanatum viſurus acceſsi, vbi mentem meam non diuinis, ſed iuris lectioni affixam tenebam! Sed heu! quàm auerſa, & peruerſa corda mortalium, qui fœlices res humanas putant, cùm effodiuntur fundamenta virtutum, & labes non attenditur animarum. Me adoleſcentem bonæ indolis, & optimæ ſpei credebant. Hæccine vita Chriſtiana, animum, neque libidinis, neque delicti expertem gerere? Peccaui, Domine, in Cælum, & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus. Cum iniquis à recto virtutis tramite aberraui. Heu! perditam illam viam, quæ ducit ad Inferos, tenui; tamen inueni neminem, qui me cadentem erigeret, titubantem teneret, lapsúmque exhortaretur; qui me in bonorum præceptorum inopia virtutem erudiret: qui me denique ad quodlibet ſcelus ruentem retraheret. Tu ſolus, Domine Deus, extraxiſti me de faucibus draconis: tu, Domine, præſciens me multa peccare poſſe, ab hac flagitioſa via perditionis deterruiſti; ſed tanto errorum ſomno ſopitus vocem non intellexi; tantis (inquam) ignorantiæ tenebris obuolutus, vt ne meos quidem minimus lucis radius oculos feriret: rectas illas vias, quas Deus humanæ vitæ aſsignauit, diſcernere non poteram, in quibus & bona, & mala ſingulis eligenda proponit; donec hi ſalutares, & ſuauiſsimi ſermones auribus animæ meæ reſonarent:* Fiat lux. *& illicò facta eſt, illáque denſiſsima nubes, quæ oculos obnubilarat, euanuit. Tunc vidi lumen tuum, & vocem audiui. Dixi: Verè Deus meus es tu, qui eduxiſti me de tenebris, & vmbra mortis, & me in tuum inuiolabile veritatis lumen introduxiſti. Immortales tibi gratias refero, Deus meus, illuminator meus; quòd me tandem ad te conuertiſti. Noui tenebras, quibus inuoluebar; illúdque periculoſum, & obſcurum chaos, in quod præceps rueram. Dixi in corde meo: Pereant tenebræ, quibus implicatus ſum: pereat nox illa, qua mihi cæleſte lumen oculis meis gratiſsimum obtectum eſt: pereat cæcitas, quæ me à tuo conſpectu exulabat, in quo tota mea ſpes, dulcedo, lumen, & deſiderium reconduntur. Tu, (inquam,) Domine, qui me peccatorem tanti amoris ſignificatione excepiſti; animum, & cogitationem ex huius ſæculi illecebris expediſti; vt tuo munitus præſidio ſolennia hæc vota obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis reddiderim, quæ in Ordine S. Franciſci fideliſsimi famuli tui obſeruanda propoſui. Sed quibus modis id præſtiti? Quos Dæmonis incurſus, non meis meritis; ſed tua ſemper protegente miſericordia effugi? Quibus periculis in hoc primo conflictu circunſeptum, tua iandudum probata benignitas liberauit? Me etenim aberrantem in viam ſalutaris tui reduxiſti; ignorantem docuiſti; animam curis, & anxietatibus oppreſſam ſubleuaſti; cadentem erexiſti; ſtantem tenuiſti; venientem ad te collo meo procumbens amplexatus es; dormientem cuſtodiſti; vigilantem à framea animam meam eruiſti: me denique clamantem ad te, intra medullas, & viſcera miſericordiæ tuæ fouendum perſtrinxiſti. Fac, Domine Deus ſalutis meæ, vt cor meum te ſemper meditetur, tuorúmque beneficiorum memor, tibi infinitas laudes referat actionis: nihil enim mihi ſuauius accidere poterit, quàm in frequentiſsima tuorum erga me meritorum recordatione, repetitione, & confeſsione firma, fixa, & immobiliter radicata ſit mens mea, vt dulcedine ſaporis tui repleatur, te ſemper ſitiat fontem vitæ, fontem ſapientiæ, & ſcientiæ, fontem æterni luminis; te quærat, te inueniat, & te in æternum ambiat. Deus meus, qui es vera ſatietas*

*omnium in te ſperantium, gaudium indeficiens omnium te quærentium, & peccatorum dulce refrigerium.*

34 *Poſt multos in his oblectamentis, & ludicris rebus conſumptos dies; placuit Deo Opt. Max. cor meum cæca errorum caligine inuolutum, lucenti veritatis radio ferire, eo modo ſequenti. Cùm quodam æſtiuo die apud me conſtituiſſem pro meo more rus proficiſci, animum cum amicis relaxaturus, præſertim in venatione, equis, canibúſque, & cæteris huiuſmodi, quæ iuuenilem animum decent; domum alicuius familiaris mei ingreſſus, mutaui propoſitum: nam tribus, vel quatuor diebus poſt aduentum meum incidit in manus paruus liber, cuius aſpectu recreatus, legendum operæpretium duxi; in cuius capite hoc erat inſcriptum:* Formula benè viuendi. *Aliquid legi; ſed ea, quæ legeram, non attento animo complexus ſum: nihilominùs vlteriùs pergens, finem Auctoris animaduerti (: is enim in vita, & moribus, Lectorem ſecundùm virtutis tramitem dirigendo totus verſabatur:) qua & cognita, optaui detegere argumenta, quibus vtebatur ad perſuadendum, quæſi fortè grata mihi forent, eis pro meo arbitrio vterer. Sed legendo inuaſit me ingens tremor, qui anxium, & perturbatum animum reddidit: quare librum deſerendum, & in craſtinum diem, quò commodiùs proſequi poſſem, reſeruandum eſſe cenſui. Orto autem die, quoniam ſacer erat, cœtui Hæreticorum interfui; reliquum verò temporis in ludis, & oblectationibus ſolitis conſumpſi. Die lunæ ſequenti nihil prorſus legi. Poſtridie, omni relicto impedimento, hunc librum euoluendum conſtitui; cuius lectione, cruciatus, & ſupplicia peccatoribus minitante perterritus, cauſæ meæ fauere conabar, ac ſi mihi non eſſent deſtinati: ſed quò plùs legebam, eò acutioribus conſcientiæ ſtimulis premebar; tempúſque ordinandum eſſe cenſui, quo me ad meliorem frugem recipere poſſem. Túncque conſtitui, priuſquàm indecentes diſſoluti animi mei, & corporis motus in melius emendarem, aliquantulum genio indulgendum eſſe: quandoquidem (pro meo iudicio) rectæ, & piæ reſolutionis ſpecie tegebatur. Sed id, Domine, prorſus à ſalutari tuarum inſpirationum via alienum, ad fores cordis mei obdurati vehementiùs pulſare non ceſſaſti: quare neſcio quo cæleſti motu percitus, fluctuantibus anxietatum, & perturbationum procellis, agitata mens non ſtetit, & conſcientia in dubia ſpe eligendi boni verſata eſt: non enim me præteribat, in his pernicioſiſſimis voluptatibus peſtiferum quoddam latere virus, quo delibutæ hominum mentes ſæpè frangantur, & corruant. Illa tamen cæca, & dominatrix cupiditas ſpiritualibus deliciis potior mihi viſa eſt, nec eam legendo penitùs relinquendam eſſe: & ſi quid horrendum in peccatores occurreret, ab eo, quantùm in me erat, cogitationem auocabam. Hoc tandem abſoluto capite, in quo de ratione coram Deo iudice reddenda agebatur; coactus ſum inuitus, ea omnia, quæ à me deberent exigi, examinare; quorum recordatione commotus, meipſum hunc peccatorem credidi, in quem hæc omnia ſupplicia parabantur: & ſi contempto diuino illo munere, in peruerſo propoſito hærerem, vindicem adeſſe Deum, qui peruicaces ſuæ legis tranſgreſſores opprimat, oppreſſos æternis ignibus cruciandos condemnet. Eo inſtanti languentem animum, & in hoc erroneæ cæcitatis abyſſo iacentem cognoui; móxque ad me conuerſus, vitam emendare propoſui; eámque viam eſſe ineundam, qua iuſtè, piéque homines viuere aſſueſcerent. Sed, heu! quot, & quantis interceptus ſum impedimentis! Quoties ille leo rugiens circuiuit quærens, vt me deuoraret! Qua fraude, quo dolo, ille ſcelerum artifex non laborauerit, vt vota, & conatus meos inanes redderet! Videte, quæſo, quomodo inceperit. Abhinc paucis diebus id commodiùs exequi poteris, & optata tranquillitate frui. Si hanc rigidam vitam inſequeris, nullis deinceps oblectationibus potieris. Iuuenis es: cùm ætate prouectior fueris, omnia ſuperflua reſecabis, & deprauata corriges. Parere parentibus debes. Non eſt, quòd eos contriſtes; ſed potiùs te filium bonum præbes. Quidquid honoris, & auctoritatis apud homines adeptus es, facilè euaneſcet. Deinde nunquam poteris à conſuetis vitiis abſtinere; bona enim vita nimias ſecum fert difficultates, tuámque reſtringere ſub diſciplinæ vinculo non poteris. Niſi æſtimatis viribus aggrediaris ſarcinam, ſubiacebis. Vides neminem, qui ſimiliter viuat. Deinde, quomodo vitam ab omni cura immunem ducere poteris, cum quoduis peccatum ſit lethiferum, (vt inquiunt Proteſtantes.) Procul pelle hanc cogitationem: ſola enim fides ſufficit, vt ſaluus fias. Quid pluribus opus eſt? huiuſmodi venenatis telis vbicunque obruebar: aderat & homicida Diabolus non gladio armatus, non ferro accinctus; ſed illecebris; vt fluctuantem animum ad latens malum induceret;*

*credens eſſe potiùs rationis argumentum, quàm inimici ſuggeſtiones. Aderant & momentaneæ oblectationes, quæ me captiuum ducerent; quoniam recens meum deſiderium Deo ſeruiendi præualere in contrarium non poterat; carnis, videlicet, blanditias, & incitamenta malorum. Sæculi pompis, & vanitatibus ad ſummum nefas compellebar: ſed horrendum tormentorum locum poſt corporis, atque animæ diſsidium paratum ante oculos verſari putarem. Salutares inſpirationes auribus meis continuò perſonabant; ſed mundus, caro, Dæmon diuerſa mouebant prælia: ita vt duæ voluntates in vno corpore dimicarent; vetus vna, & noua altera; ſpiritalis vna, & altera terreſtris: & caro concupiſcebat aduersùs ſpiritum, & ſpiritus aduersùs carnem. In hoc miſerando conflictu, per triduum ſteti; vitam emendare cupiendo, mundum tamen fugere nolebam, & me in periculo conſtitutum videndo, occaſionem peccandi vitare recuſabam. Talia apud me euoluens copioſis indulgens lacrymis, ingenti dolore excruciabar: nihilominùs renuebat conſolari anima mea, quæ totam ſuam ſpem, & conſolationem in voluptatibus collocabat; quibus ſublatis, mortem vitæ præferendam cenſeret. Non deſinebat antiquus hoſtis tentationum laqueos vbique prætendere; vt quocunque modo conatus meos valeat corrumpere: ſed inſurgentem, (tua, Domine, auxiliante miſericordia,) euerti, æſtuantem contempſi. Apparuit mihi (inquam) ille Diabolus in ſpecie Angeli lucis, vt me ſeduceret: ſed tu, Domine, inſultantem conturbaſti, & quodam ſupernæ tuæ diſpenſationis moderamine, tantò robuſtiùs repulſam paſſus eſt, quantò me tentationis impulſu expugnare contendebat: his etenim monitis ſalutaribus animum muniſti; etſi via virtutis primo aditu ſit ardua, & confragoſa; ſaltem tamen benè viuendo dabitur mihi corona virtutis; & à Deo pro laboribus, quos in vita propter iuſtitiam pertulerim, immortalitate donabor. Contrà verò quicunque præſentium bonorum ſpecie captus, & in his conſequendis, & fruendis occupatus, non præuiderit ea, quæ poſt mortem ſequutura ſunt, ſéque à Deo auerterit; is ad Inferos deiectus, in æternam damnabitur pœnam. Hac autem tenui ſpe ſalutis illectus, quæ velut exiguus ſplendoris radius è ſtella emiſſus lucente ortus, per denſum aëra appareret, animum meum mirum in modum recreauit; fecítque, vt reiecto omni impedimento, fugatíſque ignorantiæ tenebris, vincula exuerem, quæ me mundo alligatum tenebant: nihil enim eſt tam difficile, & arduum, quod non (diuina auxiliante manu) humana mens vincat; nullíque tam feri mores, vt non diſciplina perdomentur. Quod videns inimicus humani generis, nullum tempus prætermittendum putat, quin me verſutiis, fraude, ac ſine reſpirandi mora concutiendum aggrediatur. Tum falſum prædeſtinationis dogma protulit, quo nullam mihi parari gloriam poſt mortem perſuadere conabatur; omniáque bona opera, quibus poſsem incumbere, mihi irrita eſſe, pluréſque annos in iuſtitiæ, & virtutis exercitatione conſumptos nihil proficere, ſi ex neceſsitate ab æterna vita exulem. Heu! miſer, quanto terrore affectus ſum? Memini loci huius, in quo tunc penè totius ſenſus expers iacui. O quàm fortunatus fuit exitus! Extendiſti manum tuam, Domine, ſuper ſeruum tuum; & ſaluum me fecit dextera tua: nam hac ſancta inſpiratione animum afflictum leuaſti; debito, ſcilicet, Chriſtiani officio fungendum eſſe: tum viderem, an ad gloriam, vel ad pœnam deſtinarer: ſalutare remedium, quo quicunque vtetur, tranquillam vitam, & ab hac tentatione immunem aget, cùm non tardes promiſsionem (ſicut quidam exiſtimant;) ſed patienter agas propter nos, nolens aliquos perire; ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. Quibus ille doli inuentor, nouum hunc tentationis motum excitauit, videlicet, omnia benè viuendi propoſita, quæ hactenus feceram; breui in leues auras euaneſcere; nihílque eſſe aliud, quàm furorem quendam ob huius libri lectionem excitatum; qua finita, nullum inde fructum ſucceſſurum, vt cæteris aduenerat, qui ob hunc librum ſimilibus, vel acrioribus ſtimulis conſcientiam exagitari ſenſerant. Quis enim eorum melior euaſit? Nónne ſimili modo, quo anteà viuunt? Tunc cognoui vera eſſe, quæ diceret, multóſque, qui legerant, approbarant, nec ſe in meliorem frugem receperant. Num tu (obiiciebat ille) maiora præſtare poteris? Putas eos in tam difficili negotio antecellere? Credis maioribus neruis pollere? Hoc maximo tentationis impulſu concuſſus ſum vehementer, tantóque animum afflixit, quantò ſacra huius libri lectione fuerat refectus. Vrgente hac animi agitatione, in locum ſolitarium pro meo more ſeceſsi; miſerandum meæ conditionis ſtatum deploraturus. Tu ſcis, Domine, quibus indulgerem lacrymis, & ſingultibus. Cùm autem ſub arboris tegmine*

recubuiſſem,

*recubuiſſem , donec cæleſti gratiæ aura afflarer ; & tua ſumma bonitate , & miſericordia vota mea, precéſque audires ; non poſſum non recordari, quomodo quotidie mane expergefactus , crebris tentationum procellis obruerer , quæ me ad omne opus bonum peragendum inanem reddebant ; tamen ex vna parte inextinguibilis gehennæ fornax , ſulphureos ignes euomens , & horridus Dæmonum aſpectus ; ex altera , immarceſcibilis Cæli gloria , & ſine aliquo tædio manens ſemper æternitas , ita cogitationi meæ obiiciebantur , vt hæc omnia libidinis incitamenta , animum à ſancto propoſito auocare minimè potuerint : imò potiùs aggreſſum iter ſub tuis fœlicibus auſpiciis proſequutus fuerim. Tunc ornatum ſæculi, eiúſque deſiderium ita cœpi contemnere ; vt eius ſectatores , quaſi omni iudicio deſtitutos crederem ; vel ſimiles pueris , qui res leues , & ludicras magnifaciunt. Tuáque gratia, Domine, ita me præuenerat ; vt , quaſi alterius regionis nouus incola , huiuſmodi vana colloquia facili declinatione effugerem.*

*Sublatis omnibus impedimentis , & mundi , & carnis illecebris contemptis , quærendum eſſe modum Deo ſeruiendi operæpretium duxi ; quem ſi maiores noſtri ſedulò retinuiſſent , vitam cum ſecuritate conſcientiæ degiſſent : ipſe enim quotidianus corruptionis exceſſus , quid aliud eſt , niſi aſſiduitas peccati , & diuini cultus obliuio ? Tamen votis meis ſatisfacere propter miſerandum temporis ſtatum non licebat. Dum talia mecum euoluerem , tentatio cæteris multò periculoſior me aggreditur ; quam , ſcilicet , Religionem eſſem amplexurus. Sed tuæ, Domine , miſericordiæ præuenerunt me , & immenſa bonitas hæc nubila excuſſit ; cùm conſideraſſem , quot erroneæ opiniones hominum mentes inuaſiſſent , & à vera Religione catholica ſeparatæ, in multas , & diuerſas hæreſes prolapſæ eſſent : & præcipuè hoc noſtrum Regnum Anglicanum , religionem cæteris longè diuerſam amplecti. Præterea , ipſam à iuuenilibus annis , omni alia poſthabita , coluiſſem. Quibus attento animo ponderatis , anxius admodum , & perplexus hæſi , quænam mihi eſſet eligenda : multos enim ſapientes , & eruditos viros , meam doctrinam inſectari videbam : quod quidem tanta anxietate , & perturbatione agitabat animum , vt vix optato veritatis lumine fruiturum ſperarem. In quam profundum chaos immerſus ſum! ( inquiebam : ) quàm graue onus humeris ſuſtinendum ſuſcepi ! Sed tuo, Domine , ſemper munitus ſum auxilio , & diuinis admonitionibus , quæ me in his periculis conſtitutum leuabant ; nilque deſperandum ; ſed potiùs interpoſitis mediis ad optatum finem peruenturum promittebant. Quare tantiſper exhilaratus , omnem meam curam , cogitationem , & laborem in vera Religione indaganda conſumpſi : quod vt faciliùs præſtarem , die Lunæ proximè ſequente conſtitui Londinum reuerti , vt mihi libros Controuerſiarum compararem ; ibique ſolitarius legere , & commodiùs orare , ieiunare , humi iacere , & cætera huiuſmodi deuotionis officia exercere poſſem : quanuis enim Proteſtantes his omnibus actionibus ex intimo corde fluentibus aduerſarentur , eíſque conſentire viderer ; nihilominùs fructus inde naſcentes videre cupiebam , dicens : Si ad virtutem curſum non promoueant , ſaltem non impediunt : quidquid enim noueram mihi eſſe adiumento , id minimè prætermittendum putabam. Cùm igitur ſtudere conſtituiſſem , animus cura , & languore oppreſſus leuabatur : nihilominùs dubitabam , quem finem hoc ſuſceptum negotium eſſet adepturum : ſed recordatus horum ſermonum :* Quærite , & inuenietis ; pulſate , & aperietur vobis, *&* , Venite ad me omnes , qui laboratis , & onerati eſtis, & ego reficiam vos. *deinde Cornelij Centurionis , qui licèt antea fidem non haberet ; tamen ob probatos mores , & mentem rectam , fidei lumine illuſtrari meruit ; hoc præſertim exemplo , & aliis ſermonibus conſolatoriis , omnis reliqua cura, omnis ſollicitudo euanuit. Præterea , quantùm fragilitas mea permittebat , & ne corruptio morum , & anteacta vitæ meæ fœtor hunc fœlicem conatum impedirent , conſcientiam frequenter examinabam , ſecundùm regulam in hoc paruo libro præſcriptam ; & ſi tantiſper aberrarem , emendare conabar. Die Veneris , poſt meridiem , prædicto libro finem impoſui , & ſerò egreſſus , rus , deambulandi gratia , & aliquid meditandi , profectus ſum : vbi cùm per aliquod tempus permanſiſſem , domum reuerſus ſum : cui cùm ſatis eſſem proximus , & fortuito caſu ad latus reſpiciens , numerum equorum ſimul gradientium in prato vireſcente animaduerti : primo aſpectu id eſſe reuerà credebam , quod intuerer : ſicque iter inceptum proſequebar ; vixque quatuor paſſibus peractis , retrò aſpexi , & ibi iterum conuertens oculos , non mihi ampliùs equi videbantur , ſed ſpiritus : quare ad eos feſtinanter*

ter perrexi. Sed breui itineris ſpatio peracto, veri equi mihi viſi ſunt: tunc ſteti, &
me ipſum leuitatis arguens, ſic loquutus ſum: Sed, quid habeo, quòd hos equos ſpiritus
eſſe credam? Tunc inceptæ viæ me tradidi, víxque ſex paſsibus peractis, & aſpiciens
poſt terga, nihil eorum, quæ videram, prorſus apparuit; ſed eorum loco turbam pau-
perum animaduerti, qui fuſco colore tenuiter induti, candidas peras humeris impoſi-
tas ferebant, alij lagenas coriaceas in manibus. Hac noua, & repentina mutatio-
ne, magis ſolito obſtupui: quare ad eos conuerſus cum feſtinatione perrexi, vt faciliùs
contemplarer: & ſatis longo itineris ſpatio peracto, eóſque attentiùs conſiderans, far-
ri meſſores eſſe credebam, (erat enim tempus meſsis:) quò frequentes operarij illuc
conuenerant, ſecúmque victum ferentes, ſimilibus peris, & lagenis vtuntur; quare
proculdubiò eos eſſe putabam. Sed hæc omnia euoluens animo ad eos pergere conten-
di, atque procedendo non potui non admirari ea, quæ mihi ſub equorum ſpecie an-
teà apparuerant, & quò perrexerant: quæ omnia multùm animo volutabam. Ite-
rum in hunc locum conuerſus, hæc omnia euanuerunt; atque eorum loco elegantem ho-
minum, & puerorum turbam vidi, ſubalbido colore indutorum, ad quos confeſtim ire
contendi. Nec mihi licitum fuit propiùs accedere: quantò enim eos appellare contende-
bam, tantò longiùs recedebant: tamen eos facilè conſideraui. Simili veſte omnes erant
induti, oblongis, ſcilicet, togis leucophæi coloris, quibus inſutæ erant latæ manicæ in vna-
quaque eorum toga, aliquid à collo ad zonam demiſſum, Hiſpanicæ chlamydi ſimile pende-
bat, vnuſquiſque cinctus gradiebatur. Nonnulli verò ſub illa prima veſte togam can-
didam ſuperpelliceo ſimilem, cum magnis, & latis manicis gerebant. In capitibus ge-
ſtabant pileos eiuſdem coloris. Homines in medio ſimul congregati, pueri ab vtroque
latere ordinatim incedebant. Venerando erant aſpectu, & quaſi ſaltantes, licèt in ſi-
gnum exultationis manus extollentes. Libenter eos conueniſſem: ſed quò eos appellere
properarem, eò velociori gradu adinſtar præcedentium recedebant. Quibus indiciis
arbitratus ſum me ad ſe attrahere velle, vt eos imitarer. Cùm per longum tempo-
ris ſpatium eos inſequutus eſſem, ſteti aliquantulum, clausíque oculos, vt eos poſteà cla-
riùs intueri poſſem: quo facto, eos vidi, qui, vt anteà, fingebant me expectare:
tum velociter properans, ad eos perrexi, credens, ſi vlteriùs eſſent proceſsuri, ſal-
tem ad vicinam ſepem gradum ſiſterent, mihíque res foret apertior. Quò cùm
acceſsiſſem, nihil prorſus vidi, ſed eminùs conuertens oculos, hominem ex maioribus
candida veſte indutis vidi, qui ſolus mihi apparebat. Móxque omnia euanuerunt, do-
múmque reuerſus ſum: quo in itinere, quidquid actum erat, tacitus conſiderabam. Tu ve-
rò, Domine, cui reuelata ſunt abſcondita cordis, intellectui meo horum notitiam abſcon-
diſti, & in tempus opportunum manifeſtanda reſeruaſti: quare irritæ, & vanæ fuerunt
omnium opiniones, quas conſuluit, & à rei veritate prorſus alienæ; quæ mihi vſ-
que denegata eſt, donec tua ſapientia, nullo vocis miniſterio, nullo vſu litterarum indi-
gens, propriis, ac tacitis viribus inaudita hæc arcana præfixo tempore pectori meo appa-
ruerit.

Domum autem reuerſus, etſi libenter perſtitiſſem ieiunus; tamen cœnationi cum ca- 35
teris menſæ accubui: ſed cùm minori cibo, quàm anteà, vterer, quæſierunt à me, an of-
fenſa eſſem valetudine: reipſa etenim laborabam; ſed, qua parte corporis, aut, quo mor-
bo ignorabam. Peracta cœna receſsi cubitum, eáque viſione per aliquod tempus diligen-
ter ponderata, totam cuidam Catholico ſodali meo narraui, cui, licèt neceſsitudinis vin-
culo iunctus eſſem, nihil adhuc aperueram. Cùm autem ei omnia, quæ acta fuerant, hac
hebdomada expoſuiſſem, quantis tentationum impulſibus concuſſus, quo mærore, quibus
anguſtiis conturbatus fueram: quomodo omnes meas curas, cogitationes, & ſtudia confer-
re propoſueram ad ea omnia; quæ verum Dei cultum, certámque Religionem ſpectarent, di-
ligenter perquirenda; eáque potiſsimùm de cauſa Londinum proficiſci decreueram: tum
ille gaudens, me his verbis aggreditur: Quod ad Religionem ſpectat, eum cultum, eam pie-
tatem, aut Religionem vanam, ac falſam eſſe, tibi perſuadere debes, quæ à ſtirpe ſanctæ ra-
dicis auulſa, nouos ſibi mores, & inſtituta pro arbitrio condidit; quæque vt omnia facilè
in deterius vergat, & mala multiplici radice latiùs ſerpat, ignorantiam ſectatoribus
ſuis reliquit. Quod autem de ſtudio loqueris, illud mihi videtur perdifficile, tam propter

longum

*longum temporis ſpatium, quàm mediocrem tuam litterarum cognitionem. Cui reſpondi: Ne à ſtudendi propoſito auidum animum reuoces: res enim maximi ponderis eſt. Quare nulla interpoſita mora, Londinum ſimul proficiſci decreuimus, (quanuis alibi eſſet perrecturus,) vbi aliquandiu commoraremur, & faciliùs aliquos Sacerdotes Catholicos percunctari, reliquúmque temporis in ſtudiis conſumere poſſem; ſed ipſe ſtatum conſcientiæ ſtudiis præferens, aliquando meo ſtudendi deſiderio aduerſabatur, verúmque Religionem eſſe priùs amplectendam ſuadebat. Cui dixi: Omitte iſta, (quæſo:) iſtud enim mihi planè conſtitutum eſt. Tum mihi: Ille fortè Sacerdos non tecum liberè aget: quoniam tuæ conuerſionis dubius videbitur, ne quid ſibi mali contingat: etſi enim Sacerdotes calamitatibus, & aduerſis rebus minimè turbentur; tamen vt ij, cum quibus viuunt, tuti & ſecuri ſint, nulliſque exagitentur incommodis, diligenter, cum quo ſint conuerſaturi, animaduertunt. Cui inſiſto: Si catholicam religionem elegero, omnes mei conatus, curæ, & cogitationes, in aduerſam euertendam dirigentur. In his ſermonibus tota conſumpta eſt nox: nec mihi licitum eſt tota hac hebdomada tantiſper quieſcere. Summo mane diei ſequentis Londinum perreximus; quo in itinere multos de vera, & falſa religione ſermones habuit; dixítque aliquando, Proteſtantes librum antiquiſſimum in rima muri inueniſſe, qui ſui dogmatis cauſam ſuſtineret; eúmque tanti facere, vt in publicis Conuentibus ex eo authoritates depromant, & ſuæ religionis fundamentum à priſcis ſæculis ortum in obiurgantes Chriſtianos comprobent; tempus inſtare, quo Chriſtiani ſaluti ſuæ conſulere debeant. Sed tandem hic liber ſummo cum pudore, & ignominia ab iiſdem Proteſtantibus, vt vitioſus reiectus eſt: quandoquidem mihi verum eſſe affirmabat, quod deinceps ita eſſe cognoui. Prætereà de quodam exorciſmo à Sacerdote Catholico habito, multíſque aliis admirandis, quibus vix fidem adhibebam. Confiteor tibi, Rex Cæli, & terræ, in diſcipulos tuos infidelitatem meam, quibus ligandi, atque ſoluendi poteſtatem tradidiſti, dicens: Habete poteſtatem ſuper ſpiritus immundos. Sed præueniſti me in multitudine miſericordiarum tuarum; réſque, quæ mihi prima fronte videbatur obſcura, & incredibilis; tot, tantíſque exemplis patuit, vt in dubium reuocandam minimè cenſuerim. Quare ſit nomen tuum benedictum in ſæcula. Hæc omnia mihi narrari volebas; vt tandem ex his ignorantiæ tenebris exurgere, & ad diuini nominis notitiam peruenire poſſem. Nihilominùs mihi erat in animo fixa ſtudendi voluntas; eóque fundamento omnem veræ fidei, & luminis vim ſtabiliendam eſſe; diligenter in hoc toto itinere anteactæ vitæ meæ curſum memoriæ mandabam: tum ex intimis viſceribus has voces deprompſi: O ſi his perditis, & calamitoſis temporibus mortuus eſſem, quò in perpetuas æternitates eſſem fugiturus! Heu! quantis irretitus periculis, errore obcæcatus, ſtultitia obrutus, tenebris circunfuſus, illæſus euaſi! Fac, Domine, vt quandiu hac lucis vſura fruar, tibi gratias rependam immortales. Tum ad ſocium conuerſus narraui, quo pacto, confracta ſpina dorſi, in priſtinum valetudinis ſtatum ſumma Dei bonitas me adhuc iuuenem reſtituerit: quomodo aliàs ex tam periculoſo morbo, multíſque inciſionibus perpeſſis, vt inteſtina apparerent, ſuperſtes fuerim. Deinde, qua ratione mortem euaſerim, cùm admodum iuuenis in feruentis olei dolium inciderim, vbi expiraſſem niſi (fauente in primis Dei auxilio) vir præſens immerſum arripuiſſet. Demum, quo pacto ego inflatus, & ſuperbiens ex conflictu ſaluus remearim, cùm ſocius meus ſemimortuus humi mecum iaceret. Ex his omnibus, multiſque aliis ſaluus permanſi, tua me protegente miſericordia, in quibus ſi occubuiſſem, nunquam ad illam lucem Patris luminum ſperare auſus eſſem. Quare tibi, Domine, habeo gratiam immortalem, non pro his tantum, ſed innumeris terra, marique fugatis periculis. Mihi, Domine, licèt immerito, multa beneficia contuliſti, quæ per ſuperbiam, & cæcitatem neglexerim. His omnibus ita mens mea fixa hærebat: vt per aliquid aliud diuagari non pateretur. Si aliquando ad prata animi relaxandi gratia conuerterem oculos, meipſum arguebam, ne fortè in aliquod delictum laberer. Quando autem ingreſſus ſum Londinum, vbi illa incitamenta libidinum mihi in mentem venerunt, cohibere non potui, quin copioſis indulgerem lacrymis: ita vt obuios habens condiſcipulos, demiſſo capite ambularem. Abhinc, Domine, cor meum ſuperba elatum inſolentia, tumens humiliaſti, mihíque ſtatum miſerandum, in quo hactenus iacueram, oſtendiſti; vt ex equo effrænato, & furibundo tauro, factus ſim vt iumentum*

*apud te, & ſicut ouis ad audiendam vocem ſermonum tuorum parata.*

*Cùm Londinum veniſſemus, ſimul vrbem ingredi noluimus, ſed mutato conſortio, decretum eſt, vt quiſque ſolus incederet; ne aliquid ſiniſtri contra nos moliretur, ac facilius deliberemus de his, quæ aggreſſuri ſimus: ibat enim acturus cum Catholicis, & eorum argumenta collecturus: ego ſimiliter cum Proteſtantibus. Sed ante diſceſſum locus nobis fuit aſſignandus, vbi poſtridie argumentorum fraudes, & nodos, ſoluturi conueniremus. Intereà domum rectà profectus. Quò cùm veniſſem, prouolutis humi genibus, & copioſis indulgens lacrymis, quorum anteà impetum cohibueram; te Dominum rogaui, vt lumen meo pectori infundere, auxiliúmque conferre dignareris, quo mens mea cæleſti percuſſa radio, abiectis vanitatibus, & errore miſerabili, te Deum cognoſcat, & tibi ſoli ſeruiat: quod tandem conſequutus ſum. Tum exurgens, quædam puncta controuerſiæ ſtudenda ſcriptis mandaui. Cúmque ſæpiùs hæſitanti mihi, quam faciliorem methodum ſequuturus eſſem; puncta quædam ex præcipuis occurrerunt; videlicet, illud de vera, & reali præſentia Corporis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ: hac enim potiſſimùm ratione inducebar; quòd ſi Corpus Chriſti non eſſet verè, & realiter in hoc Sacramento, tum hanc non eſſe veram Religionem, & Sanctam Eccleſiam non dubitarem, quæ tot miranda falsò proponit credenda; illúdque dogma contumaciter defenſare perſiſtit. Contrà verò, ſi Corpus Chriſti ſit verè, & realiter in hoc Sacramento, tum minimè crederem, eam eſſe veram Chriſti ſponſam, quæ eius præſentiam denegaret, ſuámque peſtiferam, & mortiferam doctrinam emendare nollet: quo diluto dubio, quænam Religio mihi eſſet amplectenda, & quæ abhorrenda, facilè compererim: quoniam in inſipientiam cadit is, qui cùm ad cognoſcendam veritatem aliquo impeditur obſcuro, non ad apoſtolicas litteras, non ad euangelicas auctoritates; ſed ad ſemetipſum erroris Magiſtrum recurreret; &, vt rectè Diuus Auguſtinus, qui in minimo fidei puncto vacillat, ſaluus fieri non poteſt. Hoc igitur puncto deſcripto, cum quibuſdam obiectionibus ad catholicam opinionem euertendam ſelectis, quendam Puritanum mihi neceſſitudine coniunctum appellere deſiderabam; ſed cùm minimè domi inueniſſem, tandem in horto deambulantem inueni, qui multis ſermonibus vltrò, citróque habitis, petiit à me, an ſequenti die Cænam facturus, ſecum in templum pergere vellem: cui ſtatim (hac petitione admodum recreatus, quoniam iam mihi licebat quæſtionem proponere) reſpondi: Si tantum Sacramentum ſumus percepturi, debemus ritè præparati accedere: quod nunc non licet ob anguſtias temporis. Hic tamen ſatis eſſe ad buccellam panis deuorandam, vinúmque ſumendum dicebat. Ego autem duplici periculo irretitus fui: cauendus enim erat ipſe, qui ſpeciem bonæ vitæ habebat, & malè tuta tempora formidanda: tamen eum aggredi malui, quàm his ſemper tenebris inuolutus animæ detrimentum pati. Nihilominùs, quoniam in hunc ſermonem inciderat; hanc quæſtionem de Sacramento Euchariſtiæ mouendam operæpretium duxi: hic enim ſcrupulus nonnihil mouebat animum. Sed tu, Domine, qui dirigis greſſus quærentium te, & ſemitas tuas edoces eos, qui ambulant in directione, & ſimplicitate cordis, protexiſti me à Conuentu malignantium, & à via peccatorum perambulantium in circuitu. Noluiſti me tantiſper à regula legum tuarum deflectere, nec quærentem veritatis lumen in hæreſeos voraginem ruere. Cùm enim iam iam aggreſſurus eſſem, de improuiſo interuenit alter, qui noſtros ſermones interrupit; ſed cùm aſſiduè eos inſequerer, interuenerunt & alij ſocij huius Puritani, qui eum ſecum abduxerunt. Ego autem intelligere appetens, qualis eſſet illius doctrina, diligenter obſeruabam, an ſolus remaneret, nullum in veritatis perquiſitione refugiens laborem: ſed tandem omnes mei conatus irriti fuerunt. Heu, Domine, miſerator, & miſericors, à quantis malis eripuiſti me! Sciebas, Domine, me falſo, & perículoſo dogmate imbutum, nunquam ad verum animæ meæ lumen peruenire potuiſſe.* 36

*Cùm omnes mei conatus redderentur inanes, irritúmque ineundi colloquij cum hoc Puritano deſiderium ægrè admodum tuli, ſperánſque id negotium in ſequentem diem protelatum, commodiùs expediri; quendam mihi amiciſſimum, & catholicæ religionis acerrimum defenſorem inuiſi; vt quædam mihi ſuppeditaret argumenta, quibus obiectiones Puritani diluere poſſem; eóque modo veritas magis illuceſceret: quare domum eius*

*perrexi, ſed eum minimè inueni: mihi tamen nunciatum, eum breui rediturum; quoniam nouiſſimè in vrbem aduenerat; quod tua, Domine, ſapientia factum eſt. Quando verò mihi tunc temporis non occurrerit; tua id prouidentia omnia diſponens ſuauiter, permiſit, mutuúmque colloquium in tempus valdè opportunum transtulit; vt poſteà clarius patebit. Sed, quo pacto eum poſſem alloqui excogitans, ſchedulam rimulæ ſerræ oſtij infigendam putaui, qua eum obnixè rogabam, vt ex vrbe reuerſus, ad me citò conuolaret. His peractis, domum reuerſus ſum, rémque tacita mente euoluere cœpi; & irruente nocte, in Muſæolum Deum rogaturus ſeceſſi. Tum longè cæteris periculoſior conflictus mihi denunciatus eſt: tum hoſtis noſter antiquus, quæſitis vndique nocendi cauſis vehementiores ſolito motus excitauit; vt quoquo modo firmum meum propoſitum valeat corrumpere: tantò enim, inquam, robuſtius infirmitatem meam concutere, animúmque metu, & mærore opprimere conabatur, quantò me ſibi rebellare conſpiciebat. Quid nobis, Domine, ſupereſt virium, cùm luctam inſpicis, nec adiuuas; certamen ſpectas, nec deficientem ſubleuas? Gratia tua ita eram circunſeptus, vt nullo mihi tentationis impulſu concuti poſſe videretur. Heu! auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus: mihi perſuadebam eſſe aliquid; ſed ſubſtantia mea tanquàm nihilum ante te: credebam fieri ſapiens; ſed contrà in hominem ſtultum euaſi. Mihi videbar ita prudentem, & benè conſideratum habere animum, vt nihil mihi improuiſum, nihil inopinatum accidere poſſe arbitrarer. Sed hæc mea inſolens audacia ſcintillæ exurgenti ſimilis eſt, quæ leui aura rapta euaneſcit. Iam ſatis mihi compertum, id omne à te bonorum omnium fonte proceſſiſſe; & niſi ſalutaribus tuis muniamur auxiliis, omnes noſtros conatus irritos eſſe: niſi enim cuſtodieris ciuitatem, fruſtrà vigilat, qui cuſtodit eam. Gratia, quæ per te nobis data eſt, à ſapientia tua modificatur, nec ſemper eodem modo in nobis operatur; ita vt demiſſis genibus, non cum ſolita cordis puritate, feruore, & ſpirituali hilaritate permanſerim; ſed cum anxietate, & magna cordis perturbatione. Tu, Domine, faciens clementiæ tuæ menſuras, me in oratione languidum videbas, vt probares, & magis ad rogandum prouocares. Tunc excitauit in me inimicus tentationis motum, & vbi me in vera Religione indaganda diligentiùs occupatum vidit, inde cauſas nocendi quæſiuit. Quare obiicit, me rem nimis arduam ſuſcepiſſe, viámque virtutis cliuoſam, & ſpinis horrentibus aſperſam proponebat. Nam, ſi viri docti ſummo labore, ac pedum tritu, cacumen pertingere non valeant; ſed præcipitati in profundum ignorantiæ chaos quotidie ruant; quid ego ignarus ſperare audeam? Poteris quibuſdam coniecturis ductus; ſed nunquam eam cognitionem aſſequi, qua fretus poſſis ſalutem tuam ſtabilire. Heu! quàm hiſce tentationibus exagitatus ſum! quàm turbatus, quàm perterritus; & quò plus deuotionem ſenſibilem aſſequi conarer, eò languidior perſeuerabam. Tandem ſurrexi: & vt faciliori declinatione has tentationes effugerem, accepi hunc prædictum librum;* Regula benè viuendi. *inſcriptum, & aliquid de horrendis Inferni cruciatibus legere propoſui, vt ardentius orationi incumberem: ſed fruſtrà. Iterum flexis genibus maiori cum deuotione orare putaui; ſed quò auidiùs tentabam, eò frigidior recedebam. Tot, & tantis anguſtiis, fraudibus, & fallaciis ſæuiit in me hoſtis ille antiquus; vt miſerè oppreſſus fuerim. Sæpè ante mentis oculos ponebat, me nunquam poſſe, nec ſtudio, nec induſtria ad optatam veritatis metam peruenire; mentíſque aciem vigiliis, & lucubrationibus obtundi, quæ ſtatim ad inſaniam eſſent perductura. Quid nunc dicent tibi amici tui, cùm tam graue onus humeris imponere volueris, vt te ipſum oppreſſerit? Nunquid dicent: Tibi nimiùm ſapere cupienti, ſtultitiam meritò impertitam eſſe? Heu! Domine, quàm callidus, quàm verſutus eſt nequiſſimus ille humani generis hoſtis, qui in me tela hæc mortifera vibrauit, ne ea retorquere poſſem. Creſcente pugna, ſperans has omnes tentationes ſomno repellere, (præteritis enim noctibus parcè admodum dormiueram,) diſcubui, non in lecto, ſed humi. Tum vndique cogitationes, ſuggeſtiones, & mille nocendi artes, tanto impetu in me malignus hoſtis contorſit; vt penè exanimatum reddiderit: verùm tanta harum tentationum vis fuit, vt me in periculoſiorem deſperationis laqueum inuoluerit, nec vlla quiete frui permiſerit. O noctem acerbam! ô acerbas vigilias! (inquiebam:) hæc enim diſ-*

*cubandi ratio tam moleſta , & inuiſa fuit inimico , vt multoties perſuaſerit hinc ſurgere , ac ſi commodiùs dormire vellem , eſſe in lecto , non humi recubandum : hic tamen permanſi ; quod non feciſſem , ſi mecum ſocios leuandi animi cauſa habuiſſem: ſícque totam noctem curis confectus , diabolica fraude , & machinis grauiter oppreſſus conſumpſi. Et tu , Domine , vidiſti afflictionem meam , & tacuiſti : probaſti cor meum , & viſitaſti nocte , igne me examinaſti , vt me cognoſceres : permiſiſti enim diabolum diuerſis tentationibus contra me inſiſtere , non ad perdendam , ſed probandam, & perficiendam virtutem. Quòd autem tibi placuerit , me conuerti ad te, non mihi , ſed tuæ immenſæ bonitati tribuendum eſt : tanta enim ſuperbia extollebar , vt inani quadam exiſtimatione , & inſolentia tumeſcerem , & me ſatis habere virium ad impetus inimici propulſandos crederem: ſed ineptus ego , & malè conſideratus, tuo muniri auxilio non videbam , ſempérque in hoc errore permanſi , donec te à me receſſiſſe cognoſcerem ; omnem ſalutem , quietem , & turpium cogitationum effugationem, non aliunde profectò , quàm à tuæ charitatis theſauris promanare putandum eſt. O indifferens lumen , fugaſti tenebras , & oculos illuminaſti. Tunc vidi , & cognoui , vitam hominis mille periculis , innumeris tentationibus , anguſtiis , & inſidiis obnoxiam eſſe , omnémque carnem aſſiduè fatiſcentem , non poſſe in conſpectu tuo gloriari : quoniam nullo fruitur bono , niſi à te bonorum omnium fonte effluxerit.*

*Benedictus Dominus , qui non dedit nos in captionem dentibus eorum: anima noſtra,* 57
*ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium , laqueus contritus eſt , & nos liberati ſumus. Benedictum ſit nomen tuæ maieſtatis in æternum , Domine , qui prope es afflictis omnibus inuocantibus te , nec eos tentationibus obrui permittis; ſed potiùs vires ſuppeditas , ne crebris tentationibus ſuccumbant. Nam poſt has fluctuantes procellas, tempeſtates , & denſa nubila , nouum immenſæ tuæ bonitatis ſydus in pectore effulſit , cuius ſplendore occultiſſimus tot fraudum aceruus in lucem prodiit ; omneſque aduerſarij ſordes , & laquei contriti ſunt , ita vt omni cura , anxietate , & cæteris huiuſmodi oneribus , quibus premebar , leuatus , & poſteà tranquilla pace fruitus ſim. Cúmque animaduertiſſem , qua arte callidus hoſtis meum propoſitum immutare conabatur , multò firmior poſteà remanſi : quare ſtudia proſequi cum maiori diligentia conſtitui. Sed tua , Domine , miſericordia , & bonitas ſunt in tanto numero , vt ne minima pars ab aliquo intellectu creàto poſſit comprehendi : quia circundediſti me lætitia , & abundantia pacis. Tunc mihi ( inquam ) adfuit virtus Spiritus Sancti , tantam eius gratiam , & copioſa chariſmatum dona cordi meo infudiſti : vt oblitus mei , & mundi vanitatum , te Deum meum toto mentis affectu quærerem ; & impletum eſt illud Prophetæ : Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo , conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Præterea , ac ſi tanta tuæ largitatis munera non ſatisfacerent , mihi longè excellentius largitus es munus ; mihi reuelando , ſcilicet , modo indicibili , claram , perfectam , certámque tuæ ſolius ſanctiſſimæ Religionis cognitionem. Idque , vt tanta cum fiducia in hoc propoſito , non tantùm firmus , & immotus permanerem ; ſed vt eos , cum quibus acturus eſſem , minimè in dubium reuocaturos crederem. Quod cùm ego vilis homuncio , & vermis inutilis accepiſſem , ex ſecretioribus cordis medullis has voces deprompſi : Nunc video , Domine , & cognoſco , quòd nunquàm quærentes deſolatos dimittis. Prope es enim omnibus inuocantibus te , inuocantibus in veritate. Lacerat animum , & premit frequens tuorum beneficiorum recordatio , quare cùm eadem menſura menſuram reddere non valeam , ardenti charitatis Zelo ſuccenſus , hos ſermones elicui : Bona , terra , vita , & omnia nihil ſunt: in quibus relinquendis non minori ardebam deſiderio , quàm hi , qui hoc tempore calamitoſo bona Catholicorum rapere parati ſunt. Sed , quò tandem abierunt ſtudia ; quò colloquia futura , propoſitiones , ieiunium , oratio , & durum cubile , quibus tanquam mediis vti conſueueram , ad notitiam veritatis aſſequendam ? Tu verò me in exequendo paratum præueniſti. Quàm promptus es fideliter petentibus auxiliari ! Meritò id de te Propheta :* Reuela Domino viam tuam , & ipſe faciet. *& alibi :* Non dabit in æternum

fluctuationem iuſto. *Præterea tua præueniens miſericordia in hoc negotio clariùs innotuit: nam hoc præſertim tuæ viſitationis tempore aliquem ad fores mei cubiculi pulſantem audiui; ſed propter indecentem recubandi modum, & horam tardiorem, aperire non auſus ſum; tamen ſperans omnia hoc tam grato tempore pro votis meis ſuccedere, locutus ſum, noménque ſciſcitatus: quem vt cognoui, excepi gaudens: is enim erat, à quo recepturus eram argumenta veritatis cognoſcendæ. Quo ingreſſo, mirum in modum religionem catholicam extollens, eámque cum animi feruore commendans, inquiebam: Scito, nullam aliam indagandam eſſe veritatem. Et ipſe tantis attonitus, conſentire cœpit. Tum quæſiui, an eſſet reconciliatus Eccleſiæ. Reſpondit: Non ſum: ſed breui (Deo dante) ſpero fore. Quare ipſe omninò conuerſus, & ego conſtituimus nulla mora interpoſita Eccleſiæ conciliari, multíſque ſermonibus de hac re habitis, nobis tota conſumpta eſt nox. Sequenti die, qui Dominicus erat, aurora fulgente, ſanctum noſtrum propoſitum ſumus proſequuti; in quo peragendo, nullus nobis commodior locus occurrit, niſi teter, & ſqualidus carcer,* Portanoua *nuncupatus, in quo frequentes conueniebant Catholici, & Sacerdotes, ex quibus vnum ſocio meo notum aggreſſi ſumus, qui ab Anglia exul factus, Antuerpiæ, Carthuſienſium Ordinem ſuſcepit; nóſque ſanctæ Eccleſiæ conciliatos, in portum ſperandæ ſalutis introduxit. Quis vnquam, Domine, immenſæ largitatis tuæ beneficia, quæ in nos exundarunt, narrare poterit, qui me Atheum perditum, à multis annis vacillantem, nunc breui ſermone permotum, ad veræ fidei, & catholicæ religionis gremium reuocaſti? Quod accidit feſto Diui Petri ad vincula, cuius precibus proculdubiò adiutus ſum, cum tali feſto Eccleſiam ingreſſus fuerim, cuius Caput in terris extitit; ſolutis peccatorum vinculis debita confeſſione. Eo etiam die ſoluta ſunt B. huius Apoſtoli vincula ab Angelo. Hoc (inquam) die cum Eccleſia decantare poteram:* Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea: dirupiſti enim vincula mea: tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Ego enim ſeruus tuus, & filius ſanctæ Eccleſiæ Ancillæ tuæ.

Poſteaquàm *ab his erroribus tua, Domine, miſericordia liberaſſet animum, necnon ab omni ſchiſmate, & hæreſi vacuum, in optatum Eccleſiæ ſinum introduxiſſet, ne venenatis Hæreticorum ſermonibus caperer, quorum conſortia fugere non poteram, ſacrarum Litterarum lectioni operam dedi, vt horum obiectiones faciliori methodo diluere poſſem: in qua exercitatione cùm aliquod tempus conſumpſiſſem, tam parui ponderis eſſe eorum argumenta comperi, quòd non mirabar, ſecundùm Diui Pauli elogium, ſi Hæreticus proprio iudicio condemnetur, conſideratè impugnando veritatem, eámque falſam, & peruerſam ſententiam pertinaci animoſitate defendendo. Cùm autem vererer, ne cum illis conuerſando, mihi illud Prophetæ vaticinaretur:* Cum peruerſo peruerteris. *nihil ardentiùs exoptabam, quàm piorum quorundam conſortio frui, vt contrà ſequens illud elogium (tua fauente gratia) de meipſo adimpleretur:* Cum electo electus eris. *Quocirca honoribus, patria, amicis, ipſáque vita neglectis, in aliam regionem pergere conſtitui, in cuius Eccleſiis famuli tui maiori cum fiducia publicas tibi laudes referunt; te Deum verum prædicant, venerantur, adorant, nec in latebris ſubterraneis, & ſpeluncis ſecretioribus deliteſcere, vt in hac miſeranda patria coguntur. Ad quod votum meum peragendum, poſt longam retardationem, ex improuiſo commoda ſe ſe obtulit occaſio, qua mirum in modum recreatus ſum, & media circiter parte patrimonij ſubleuandis pauperibus erogata, cæteríſque negotiis expeditis, vale dixi non ſolùm meis parentibus, qui ob amorem tuum, Domine, liberè mihi egredi permiſerunt; non tamen ſine luctu, & lacrymis: verùm & amicis meis, præſertim alicui Conſiliario, qui tam repentina mutatione percitus, hunc meum diſceſſum, non tantùm maximo animi mœrore tulit; ſed etiam affirmauit, ſe malle omne lucrum ex cauſis forenſibus proueniens abrogare, quàm meo conſortio priuari. Tum in* Galliam *venturus, nauem conſcendi: ſed ventis agitatum mare, crebríſque procellis æſtuans nos diu huc, & illuc fluctuantes, & in multis periculis conſtitutos retinuit: ſed tu, Domine, qui es protector omnium in te ſperantium, tempeſtates cohibens, noſtra nauis tuta, & integra optatum portum cœpit, in regione, videlicet, catholica, vbi permulta ſe viſenda obtulerunt, quæ prorſus ignorabam. In primis maieſtas, ornamentum, decus, & magnificentia Eccleſiæ tuæ. Animaduerti enim ordinem, & ſtatum*

huius Eccleſiæ militantis, à cæleſti non differre, à ſupremo gradu dignitatis vſque ad inferiores minoribus Ordinibus initiatos: ſæculares quoque qualiter ſtatus inferior ordinatur, vt ſuperiori adminiſtret, ad imitationem cæleſtis Hierarchiæ, licèt non in omnibus. Quemadmodum enim cæleſtis ſubdiuiditur in tres Hierarchias, & vnaquæque earum in triplicem ordinem, eadem eſt ratio terreſtris Hierarchiæ: vt enim prima cæleſtis Hierarchia Seraphinos, Cherubinos, & Thronos complectitur; quorum ſplendore ſecunda Hierarchia illuminatur, quiſque pro ſuo ordine, & dignitate; eodem modo prima terreſtris Hierarchia triplicem ordinem complectitur; videlicet, Summum Pontificem, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, quorum officium eſt, auctoritatem interponere, & inferiores ordines illuminare. Solus autem Summus Pontifex, Cardinales, Patriarchas, & Archiepiſcopos illuſtrandos comprehendit. Secunda cæleſtis Hierarchia, in triplici ordine conſiſtit, videlicet, in Dominationibus, Poteſtatibus, & Principatibus, eíque non à Deo immediatè, ſed à ſuperioribus Angelis, ſicut inferiores ab ipſis illuſtrantur: primi enim à Seraphinis, velut primi tertiæ Hierarchiæ ab ipſis illuminantur; tertij à Thronis, tum ipſi tertios vltimæ Hierarchiæ illuſtrant. Ita ſecunda Hierarchia Eccleſiæ militantis tres ordines complectitur, Abbates, videlicet, Priores, & Curatos, qui ab Angelis primæ Hierarchiæ lumen, & auctoritatem tanquàm à Superioribus ſuſcipiunt, & Angelos inferiores tertiæ Hierarchiæ regunt, docent, & illuminant. Tertia cæleſtis Hierarchia componitur ex Virtutibus, Archangelis, & Angelis, qui illuminantur, nec alios illuminant. Similiter tertia Hierarchia terreſtris tres ordines complectitur, Virgines, ſcilicet, continentes, & nuptos, qui verbum Dei, Sacramenta, luménque recipiunt, nec aliis adminiſtrant. Hæc ordinum venuſtas maximum Eccleſiæ tuæ ſplendorem afferre mihi viſa eſt; ac ſi rem omnem non ſpeciatim, ſed confusè conſiderarem, quantùm mihi per minimum cognitionis lumen licebat. Secundò, quando mihi ante oculos excelſas templorum ſtructuras, Monaſteriorum ambitus, & miranda arte ſculptas imagines, & picturas argento, auróque ornatas ponebam; tuæ Sanctæ Eccleſiæ maieſtatem, & grauitatem non potui non conſiderare. Nec illud immeritò à Propheta dicebatur: Confitebor tibi in Eccleſia magna, & in populo graui laudabo te. licèt enim habitatio tua non ſit in manufactis templis, cuius ambitu contineris, tamen cum Pſalte Regio: Dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. quam tibi cum Filio, & Spiritu Sancto habitandam elegiſti. Rectè autem cum Pſalte licebit dicere: Domum tuam decet ſanctitudo, Domine, in longitudine dierum, ſcilicet, vſque ad conſummationem ſæculi, iuxta illud inuiolabile promiſſum: Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. His (inquam) ditiſſimis Monaſtériis, zelus, pietas, & deuotio Chriſtianorum apparebat, velut vice verſa, funditus diruta Monaſteria, cultúſque ſacrarum imaginum contemptus, calamitoſa, & deploranda hæreſeos tempora teſtantur. Tertiò, ad eius gloriam augendam, fouendam, & conſeruandam, quotidiana vota, & fuſæ ſine intermiſſione preces, plurimùm valebant: quando enim videbam ſacra Miſſarum ſolennia, à Sacerdotibus, Diaconis, Subdiaconis, & Acolytis ſummo ornamentorum apparatu eſſe peragenda, Altare opiparè conſtructum, ardentibus cereis, & lampadibus ſeptum, necnon pio, venerandóque affectu, thure, & odoribus incenſum: quando ſolennes proceſſiones, quibus aderat infinita populi multitudo cum facibus cereis, candelis, & infinitis luminibus; quando, inquam, hæc omnia intuerer, pulchritudo, magnificentia, & maieſtas Eccleſiæ tuæ, velut in ſpeculo mihi viſenda proponebatur. Quartò, harmoniæ dulcedo, & ſuauis ille muſicorum Chorus, cùm ſacros hymnos organis, voce, & fidibus canoris decantabat, exultantem animum demulcebant: verùm ſonorus ille cantus tam ſuauiter in interioribus animæ viſceribus profluebat, vt intellectum obtuſum acuerit, & terreno deſiderio grauatum, ad cæleſtium bonorum appetentiam induxerit. Fuit haud dubiè in animo potentiſſima muſica, vt me nonnunquam ad ſanctum, & deuotum gaudium, piáſque lacrymas ſæpiſſimè mouerit: vt mihi fas eſſet, cum Diuo Auguſtino fideliſſimo famulo tuo dicere: Quoties his egregiis canticis, hymnis, & gratiarum laudibus, quibus Eccleſiarum tecta perſonabant, illectus fui, toties cæleſtium recordatio imis viſceribus, velut aquæductus infundebatur. Cantantibus organis, mihi videre videbar Angelorum Choros in terras deſcendiſſe, vt nos in Cælum veherent,

*& nobiſcum diuinum illud melos perſoluerent. Muſicorum Chorus exhibebat populum Chriſtianum, qui tantis laudibus intentus, terram relinquere, & Cælum aduolare paratus erat. In his omnibus, ita fixa, & radicata mens erat: vt ferueret cor meum, & lacrymæ ex oculis fluerent copioſæ. Sed attende, Domine, etſi non tibi neceſſe ſit attendere: preces enim noſtras exaudis, antequàm ſonent; præuenis verba noſtra, & affectus anticipas. Vide, Domine, licèt non indigeas, quoniam neceſſitates aſpicis, antequàm veniant, & exitus noſtros ſpecularis, antequàm nati ſimus. Vide, inquam, Domine, & conſidera, quanto timore concutiar, cùm tua beneficia enumero. Ignoſce, Domine, ignoſce, precor, ingratitudini meæ. Hæc omnia igitur multùm ad tuæ Eccleſiæ grauitatem, pulchritudinem, maieſtatem, & magnificentiam conferunt: ego autem expers totius Hæreticorum calumniæ, nec Miniſtrorum audire liceat ſacrilegas voces, quas eorum faucibus impuris Diabolus vomit: ſed nunc in religione Chriſtiana, maiori quiete, & ſecuriori mente viuens, dulcem tuam vocem multò clariùs intellexi, quæ me negotiis huius ſæculi priùs reiectis, ad perfectioris vitæ amplexum hortabatur: tamen in re tanti ponderis dubius hærens, quoniam nonnunquam audieram omni ſpiritui minimè eſſe credendum, eam meis familiaribus communicandam cenſui, quidve mihi eſſet agendum; ſed quot capita, tot ſenſus erant: alij enim illud, alij aliud perſuadebant, omnéſque ſimul huic viuendi rationi aduerſabantur: ego enim mundum, & concupiſcentiam eius fugere deſiderabam: ij contrà reſiſtebant. Sed tu, Domine, tantis me cumulaſti bonis, piiſque motibus, vt tuis parerem inſpirationibus; quòd tandem euerſis diabolicis machinis, & conculcatis amicorum opinionibus, ſanctum propoſitum peragendum conſtituerim. Quarum prima hoc euangelico elogio innixa erat:* Anguſta eſt via, quæ ducit ad vitam: & pauci ſunt, qui ambulant per eam. *Deinde conſiderabam mundum innumeris periculis obnoxium, eiúſque incolas homines in profundam peccati voraginem præcipites ruere: tum ponebam mihi ante oculos mentis Chriſtianos primitiuæ Eccleſiæ, qui ſanctitate vitæ, & probitate morum, homines huius noſtri ſæculi antecellebant, ſe meliorem vitam ſequentes, à communi hominum ſocietate ablactarunt; quique vt animam ab omni leui culpa immunem redderent, antra deſerti incolenda petierunt: his etenim exemplis permouebar, me fragilem, & infirmum debere in ſolitudinem ſecedere, ne prauis moribus, & exemplis multorum Chriſtianorum imbutus, ad acerbas amaritudines, miſeriáſque perducerer. Præterea recordabar multitudinis animarum à recto virtutis tramite aberrantium, quæ ſunt in Anglia; & ego omnium peſſimus eadem pericula euaſeram: quorum recordatione, tanto charitatis igne ſuccenſus ſum, vt mundum deſerere propoſuerim. Id etiam meditandum proponebatur, licèt tibi Deo meo planè fuerim mancipatus; tamen cùm hos ſermones attento animo euoluebam:* Multi ſunt vocati; pauci verò electi. *certiorem, & perfectiorem viuendi modum quærere tanto tenebar deſiderio; vt ne tantiſper animum ab hac cogitatione recedere poſſem. Tum illud: quemadmodum ſperata vitæ æternæ merces vim patitur, illiúſque nobis non patere aditum, niſi priùs tranſierimus per ignem, & aquam: ita vt vocationi meæ extraordinariæ reſponderem, vitam à communi hominum ſocietate ſemotam, mihi eſſe eligendam. Denique conſiderabam inordinatam elapſæ vitæ meæ ſeriem, quæ pœnitentia in hac vita, vel in futura compenſari debet, iuxta illud elogium:* Quantùm glorificauit ſe in deliciis, tantùm date illi tormentum, & luctum. *vel iuxta illud cuiuſdam magni Doctoris:* Vulnus obduratum non facilè; ſed igne, & ferro ſanandum. *Et vt concludam, ſæpè illud* Iesv *Chriſti occurrebat in mentem:* Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cælis. *His omnibus conſiderationibus ita permotus ſum; vt quaſi vi ab huius mundi illecebris auulſus ſim. Hæc omnia, Domine, non à me ipſo; ſed à te liberaliſſimo largitore procedebant, vt me in ipſo nouæ vitæ limine titubantem corroborares; votúmque ſuſceptum confirmares. Tibi igitur honor, tibi gloria, tibi gratiarum actio in ſæcula ſæculorum.*

39 *Quanquam tot exemplorum recordatio me maximoperè commoueret; vt ſpretis huius terreſtribus ſimulacris, rectum iter vitæ ſolitariæ tenerem; nihilominùs ſæpiſſimè motibus contrariis agitatus, vix id negotium ad exitum perducere poteram. Tu verò, Domine, qui iis ades, qui tribulato ſunt corde, cor contritum, & humiliatum non deſpexiſti:*

*nam tota futuræ vitæ meæ ſerie magna cum animi anxietate examinata, multíſque ad tuam clementiam fuſis precibus, denique ter iterato Miſſæ Sacrificio, quod in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis Sacerdoti celebrandum commiſerim, vt mihi gratia fugiendi ſæculi facilius impertiretur; vocaſti me, Domine, ad perfectum religioſæ vitæ ſtatum; ſed tam clara, & aperta voce, vt & corpore, & animo fixus, tam potenti, & inſolitæ vocationi calcitrare non potuerim. Cùm autem ſolus eſſem in cubiculo, ſub mediam noctem ad te mentem eleuans, ſupernaturali lumine ita obumbratus, & ardentibus charitatis faculis inflammatus ſum; vt mei immemor, & in te penitus abſorptus, quaſi totius ſenſus expers, & ab omni mundana ſollicitudine liber permanſi; in quo raptu, & ſenſuum alienatione, tuam de mea vocatione voluntatem, tam ineffabili modo cognoui, ac ſi Angelus è Cælo demiſſus, ad eam mihi indicandam viſibili ſpecie apparuiſſet. Quare vehementer ſtupefactus ob tuam erga me miſericordiam, tuíque amoris iaculis ſaucius, non potui, quin extenſis ad cælum manibus exclamarem, dicens: Domine, quis ſimilis tibi? Omnia oſſa mea dicent: Domine, quis ſimilis tibi? Tam copioſum cæli rorem imis animæ medullis tua liberalis dextera infudit; vt tanto ſapore recreatus totam noctem conſumpſerim; ſícque attonitus, & tua munificentiſſima bonitate victus, coram te, & reliquis Cælitibus terrena deſpicere, & omnia bona mea pauperibus erogare promiſi: cuius promiſſi nunquam me pœnituit: ſed, quod magis eſt; tuo fretus auxilio nihil magis deſiderabam, quàm illud exequi: quod tandem Feſto Sanctiſſimæ Trinitatis accidit: quod credo mihi eueniſſe propter deuotum mentis affectum, in eius laudem, & gloriam exhibitum; videlicet, quando meæ conuerſionis die, in pœnitentiam mihi iniunctum eſt triduanum ieiunium, tres eleemoſynas tribus pauperibus elargiri; velut etiam die præcedenti tres Miſſas celebrari, in honorem eiuſdem ſanctiſſimæ, & indiuiduæ Trinitatis conſtitueram.*

*Cùm diebus præteritis, apud me planè conſtituiſſem, Ordinem S. Franciſci ſuſciperes* 40
*nihilominùs aliqua orta eſt difficultas, quem, videlicet, habitum, vel Cordigerorum, vel Capucinorum eſſem ſuſcepturus; vel quinam eſſent S. Franciſci veri æmulatores: etſi enim non me lateret, Capucinos vitam longè auſteriorem ducere, vt ſatis ex ſtatu exteriori conſtat; nihilominùs ignorabam, an Regulam S. Franciſci in omnibus obſeruarent, aut verum illius habitum ferrent, quod minimè mihi perſuadebam; præſertim quoad habitum. Tum Cordigerorum Ordinem ſuſcipiendum conſtitui; vidénſque eos à vera, & ſtricta Regulæ obſeruantia deflectere, & modum viuendi longè opulentiorem victu Capucinorum, triſtis, & afflictus conſtiti, credens non poſſe verè, & perfectè S. P. Franciſcum imitari, vt mihi paulò antè propoſueram. Cùm igitur æſtuanti animo, quid facto ſit opus, excogitarem, admodum anxius hæſi, Romámque pèrgere ſtatui, vt de hac re à S. Sanctitate certior fierem. Sed rem attentiùs conſiderans, Lutetiam primùm proficiſci conſtitui, vt quibuſdam ſermonibus habitis cum vtriuſque Religionis Patribus, res mihi clarius innoteſceret. Quo facto, noui Capucinos, ſiue quoad Regulam, ſiue habitum eſſe acerrimos S. Franciſci imitatores: ita vt, reiecto omni ſcrupulo, habitum PP. Capucinorum penè ſuſceperim, P. Capucino perſuadente, qui olim Cordigerorum Ordinem profeſſus fuerat: quíque rigidioris vitæ zelo ductus, aufugerat: cuius conſilio licèt parere conſtituerem; tamen nonnullos pios, & deuotos homines conſulebam, qui me certum reddiderunt; nihilominùs, quantùm poterant, diſſuadere conabantur, ob nimiam victus penuriam, veſtitus rigiditatem, & in cohibendis motibus vigilantiam, illúdque ponebant ante oculos: Tranſire ab extremo in extremum difficile eſt; neminémque viuendi Regulam debere aggredi, quam obſeruare non poſſet; id enim mihi propter debiliorem naturam dicebant, quod denuò grauiori vulnere animum ſauciauit. Quare penè mærore confectus, Lutetia egreſſus ſum, vt PP. Capucinos Conuentus Meudonenſis inuiſerem, & prædictum Patrem alloquerer. In itinere, Deum ſine intermiſſione deprecabar, donec me Conuentui proximum ab omni cura, & ſollicitudine leuatum comperirem, tantúmque animi robur mihi de Cælo largitum eſt; vt ea, quæ ex præcedenti viſione mihi fuerant indita, cognouerim, vt fuſius patebit; reiectóque omni ſcrupulo Capucinorum Ordinem ſuſcipere propoſuerim: cùm autem Lutetia egreſſus eſſem, aliquid de hac re cum his piis Patribus deliberaturus veneram: ſed Monaſterium ingreſſus, mutato conſilio, ab eo quæſiui, quando Religionis habitum eſſem ſuſcepturus. Tum id omne, quod*

*mihi, Domine, in inſtanti conuerſionis meæ prædixeras, perfectum eſt: his enim equis, quos prius animaduerti, non ſolum anteacta vitæ meæ peruerſitas; ſed & inanis in ipſis ſordibus lutoſis iactantia oſtendebatur: his hominibus interpolatis veſtibus indutis, mundi contemptus, & ſumma rerum omnium paupertas mihi colenda proponebatur: colore fuſco, habitus forma, lagenis coriaceis, ad Ordinem Capucinorum amplectendum commouebar. His verò pueris, & hominibus leucophæo colore, & ſuperpelliceo veſtitis, Cordigeri mihi verè exhibebantur: quoties enim eos in Choro ſimul diuinas laudes decantare vidi, toties illius viſionis ſenſibus impreſſa effigies mihi veniebat in mentem. Cum autem eos ſemper perſequerer, id, quod deinceps erat futurum, indicabat: Cordigeros, videlicet, me vacillantem multoties excitaſſe ad ſuum Ordinem ſuſcipiendum; & quando ſtante me, gradum ſiſterent, nihil aliud ſignificari velim, niſi quando mihi occurrebat de Regula obſeruanda difficultas, meum propoſitum ſtabilire conarentur, ſéque in extremo die Iudicij pro me reſponſuros promittebant, ſi in eorum inſtituto morerer. Quod denique ad eum ſpectat, qui, relictis cæteris, longiùs ſeceſſerat, & mihi vltimus apparuit, Cordigerum ſignificabat, qui relictis Sociis, eos demum vitæ auſteritate antecellebat, & in aliam terræ partem pergebat, ſuſcepturus, videlicet, Ordinem Fratrum Capucinorum rectà, id eſt, versùs rectum perfectionis tramitem, méque poſt ſe videbatur attrahere, videlicet, relicta Cordigerorum ſocietate, in eam Capucinorum; quod (Deo dante) paulò pòſt Lutetiæ ſum exequutus, die, ſcilicet, 23. Martij, elapſis menſibus à mea conuerſione ſexdecim, méque paulò pòſt ſequuti ſunt alij duo Angli nobili orti genere, qui ob eam cauſam, patria relicta, in Galliam mecum venerant.* Hactenus ille.

*In Capucinorum gremio Pariſiis recipitur.*

41 Hoc pacto Guillelmus ab hæreſum tenebris, & ab Ægyptiaca ſeruitute liber, cùm ſeipſum hoſtiam viuentem Deo ſacrificaturus, ad Religionis deſertum profugiſſet; Guillelmi in Benedictum nomine mutato, probationis annum auſpicaturus, tanto animi æſtu in Religionis arenam deſcendit; vt ab eo tempore carni, ac cæteris ſpiritus hoſtibus, mox bellum indicens, illuſtre virtutum tyrocinium inſtituerit. At Satan, qui bonorum ſemper primordia ſtudet conuellere, tantam in eum tentationum aciem inſtruit, tótque nouum tyronem artibus, ac inſidiis aggreditur; vt foris beſtiarum impetus, hominum pugnas, atque horrenda ſpectra oculis obiiceret, intus terroribus animum quateret: quo fiebat, vt ſæpè ingenti timore perculſus, clamores edere compelleretur. Verùm is haud animum deſpondere, aut arma deponere: ſed inuictus in acie ſtare videbatur.

42 Inter hæc contigit aliquando, vt communi orationi cum cæteris vacans, ſibi Inferorum loca patefieri cerneret; variáſque ibi Damnatorum animas, horrenda tormentorum genera, ac terrificos Dæmonum vultus conſpiciens, tam ingenti timore corriperetur; vt exclamans, ab Eccleſia aufugerit; ac trium, vel quatuor dierum ſpatio, hoc animi terrore exagitatus, amens videretur. His accedat, quòd ab eo tempore frequenter mente excedere, atque à ſenſibus aberrare cernebatur; ita vt biduo ſemel ita ecſtaticus perſeuerauerit; vt planè mortuus crederetur: quo tempore, cùm varia Medici remedia, quibus illum ad ſenſus reuocarent, fruſtrà experti fuiſſent; rem à Deo profectam ignorantes, naturæ defectui, ſeu apoplectico ſymptomati adſcribebant. Patres verò, quanquam rem altiùs perpenderent, atque ex Nouitij vita, quæ vndique virtutibus ſcatebat, Dei donum in eo ſuſpicari poſſent; haud tamen facilè in id omnes collimabant; præſertim cùm illud perfectorum donum ſit, quod nouis Tyronibus à Deo haudquaquam conferri ſolet. Quamobrem alij Medicorum ſententiæ inhærentes, eum ab Ordine dimittendum ſentiebant. At Hieronymus à Caſtroferrettorum, qui tunc Pariſienſem Conuentum moderabatur; rem meliori conſilio ponderans, Familiæ, vt in ea deliberatione maturiùs procedat, ſua prudentia perſuadet.

*Nouitius frequẽter à ſenſibus alienatur.*

43 At verò, cùm biduanus ille mentis exceſſus valdè omnium animos ſollicitaret; Guardianus accito Patrum conſilio, Nouitium coràm præcepto interrogat; vt, quid in ea mentis alienatione cum eo actum fuit, candidè aperiat. Erubuit ille; quæ ſibi tunc acciderant, ſilere potiùs, quàm eloqui optans: at præcepto obſtrictus, altiſſimas quaſdam euangelicæ perfectionis vias, quæ ſibi eo tempore reue-

latæ fuerant, diſtinctè explicat: plura etiam de diuinorum attributorum excellentia, & perfectione in eo exceſſu ſibi exarata aperit: quæ cùm Patres per omnia fidei orthodoxæ, ac Sanctorum Patrum doctrinæ conſentanea deprehenderent, omnem quidem ab animo ſuſpicionem abiecêre; quin ea vera, ac diuina ecſtaſis eſſet: ea præſertim ratione, quòd Nouitij mens iis inſtructa, magis ſibi ſui cognitione vileſceret. Veruntamen, vt ſi quis fortè ex rerum tam diuinarum reuelatione, illi ſpiritus tumor irrepſerat, abſtergeretur; perfectiúſque illius mentis conſtantia, ac ſpiritus virilitas probaretur; velut amentem, ac mente imbecillem intra cellulæ anguſtias præcepto compellunt: atque inde, præterquàm ad Sacrum audiendum, illi egreſſum prohibent: cunctis etiam, Magiſtro excepto, ne cum eodem colloquia miſceant, edicto cauent.

*Biduo in mentis exceſſu perſeuerat.*

Hoc modo cùm ad quadrageſimum vſque diem non ſolùm conſtanter; verùm & alacriter incluſus perſeueraſſet, quo tempore maiorem is diei, ac noctis partem in oratione, & vigiliis conſumpſit; inde liber dimiſſus, & ad cæterorum Nouitiorum cœtum admiſſus, dura is, ac ſeuera præ aliis probatione examinari cœpit: vt, qui præ cæteris donis cæleſtibus fruebatur; maiora, amplioráque ad ea integra ſeruanda, virtutum præſidia ſibi compararet. Quapropter tunc cuique illum verbis inſectari, correptionibus aggredi, conuitiis laceſſere, ac velut amenti illudere licuit; tótque à Superiore, tum publicè, tum priuatim, vitia illi conficta inuri, tam acutis verborum aculeis pungi, ac verecundia ſuffundi cœptum; vt niſi ſolida illi animo virtus adfuiſſet, facilè vis eundem ad ea ferenda defeciſſet. 44

*Duro probationis genere examinatur.*

Hæc itaque duriora probationis genera cùm Benedictus conſtantiſſimo animo ferret; eo tantùm illius animus mirum inmodum angebatur, quo ſe ab Ordine dimittendum paſſim à Fratribus audiebat. Quapropter, cùm B. Virginis, fuſis lacrymis, aliquando ob id opem poſtulaſſet, in ecſtaſim raptus; ſibi funem, quo præcingebatur, diſſolui cernebat: vt eo ſublato, etiam habitu expoliaretur: quod cùm is ſummo luctu proſequeretur, confeſtim adfuit Virgo Deipara, quæ fune iterum ſuis illum manibus præcingens, his eum verbis conſolatur: Ne extimeſcas, Benedicte: nemo te hoc habitu expoliabit; ſed in eo extremum ſpiritum duces. Id verò tantummodo cura, vt eo te dignum tua virtute præſtes. Hac igitur B. Virginis pollicitatione confirmatus, cùm cætera acerba, quibus ipſius ſpiritus, & conſtantia examinabantur, tanquàm leuia, & ludicra haberet; tentatus tandem per omnia, & tanquàm aurum igne examinatum, probatus, ſolennia Religionis vota, ſummo omnium Fratrum conſenſu, nuncupat. 45

Satan porrò, qui hactenus Nouitio, vt eum à Religione expelleret, dura prælia, licèt fruſtrà, intentauerat; cùm ſua ſe ſpe fruſtratum cerneret; vires omnes exerit, extremúmque illi bellum parans, fidei fundamenta conuellere; antiquámque vitæ libertatem proponens, ad hæreſim reuocare omni ſtudio contendit: vt & fidei, & Religionis ſimul extorrem efficeret. Vrgebat improbè noui profeſſi animum ſuis argumentorum arietibus Satan; vt in eo fidei veritatem proſterneret. At fortis Chriſti Athleta, fortiter decertans; poſt tentationes huiuſmodi ex animo pulſas: quò fortiùs, ac velut aperto Marte ſuperbum hoſtem debellet, catholicæ fidei Confeſſionem, quam priùs in ſæculo ediderat, iterum publicè coram Pariſienſi Guardiano ſponte repetit, refricat, ac ſolenni iuramento confirmat: qua antiqui hoſtis ita vires confractæ fuêre; vt pulſo diuinitùs tentatore, pacatam deinceps à Deo fidei poſſeſſionem acceperit. 46

*Grauiter à Dæmone tentatur.*

Reddita itaque, poſt varias hominum, Dæmonúmque conflictationes, animo pace: generoſus Chriſti Pugil, quæ retrò ſunt obliuiſcens; perinde ac ſi nulla eo vſque Deo obſequia præſtitiſſet; ad maiora, præſtantioráque virtutum ſtudia animum prouocat, carnem duriùs macerat, ſenſus ſeueriori ſub lege cohibet; cunctas ex animo cupiditates expellit, voluptates domat, vniuersóſque ſpiritus hoſtes tam acri bello perſequitur; vt eos tandem, vel ſub ſpiritus gladio expirare, vel ipſius imperio parere coëgerit. 47

Sed, quoniam ex vitiorum extinctione virtutum vita conſurgit; mali ſiquidem 48

corruptio,

corruptio, boni generatio eſt: hinc tot in Benedicto virtutum germina pullulare cœperunt; vt qui in eum oculos intenderent, quaſi Domini hortulum vniuerſis virtutum floribus conſitum contemplarentur. Inter hos verò cæleſtium virtutum flores, potiſſimùm oratio, ac diuinarum rerum contemplatio eminebat: quam cùm ſummo ſtudio excoleret, inde raptus, inde ecſtaſes, ac mentis exceſſus frequentiſſimos; ac præſertim ardentiſſimi in Chriſtum amoris flammas colligebat. Quo factum eſt, vt cùm poſt philoſophica, & theologica ſtudia, eidem Prædicationis officium creditum eſſet; poſtulata, ac impetrata à Generali Miniſtro facultate, necnon apoſtolici Nuncij benedictione, anno 1599. martyrij pro Chriſto obeundi deſiderio flagrans, Lutetia digreſſus, in Angliam, Comite Ioanne Chryſoſtomo Scoto, Concionatore, profectus fuerit. Anglicani tunc Regni habenas moderabatur Eliſabetha Henrici VIII. & Annæ Bolenæ filia: quæ cùm ſummo Catholicos omnes odio proſequeretur; eos carceribus, pœnis, atque omni tormentorum genere ad internecionem vſque perſequebatur.

*Martyrij cupidus in Angliam proficiſcitur.*

49 Benedictus igitur cùm Dubrim, Angliæ portum, cum Socio appuliſſet; rectà ad vrbem Santuich, quæ Londinum ducit, feruntur: vbi ex Breuiarij Codice deprehenſi, quòd Catholici Sacerdotes eſſent, in carcerem detruduntur. Inde Londinum perducti, coram Barone quodam de Coblam, carcerum Præfecto ſiſtuntur: à quo de genere, patria, religione, ac profectionis cauſa interrogati; Benedictus, vbi priora duo interrogationis capita, opportuna reſponſione excepit; liberè ſe cum Socio catholicam, ac Romanam religionem colere; Romanæ Eccleſiæ Sacerdotes, regularíque Capucinorum Inſtituto ſolenni votorum nuncupatione affixos eſſe profitetur. Quod verò ad profectionis ſuæ cauſam attinet, eam ſolam, ac potiſſimam eſſe aperit, vt patriæ, cui vix iuſta reddi poſſunt, ac populis cæca errorum caligine immerſis, veræ fidei lucem afferrent; neque id ſe ignorare affirmat, iis, qui talia auderent, carceres, equuleos, ſupplicia, ac varia mortis genera parata eſſe: at eos nihil horum vereri; quin etiam pro fratribus, qui ſecundùm carnem ſibi coniuncti erant, ſe libentiſſimè cruces, ignes, gladios, necémque acerbiſſimam ſubituros: dummodo & ipſi veram Chriſti fidem, ac ſalutem conſequerentur.

*In Anglia in carcerem detruditur.*

50 Hæc Benedictus tam ſuauiter, tantáque ſpiritus eloquentia Baronis illius animo inſtillauit, vt his ille haud leuiter commotus, humaniter eos tractari iuſſerit: atque ab eo tempore ita rebus Catholicorum fauerit, vt tandem Catholicus obierit. Nonnullis poſt hæc diebus elapſis, in arcem Nouſuchium, in qua Eliſabetha Regina tunc commorabatur, vterque perductus, Regio Commentarienſi ſiſtuntur; Viro, ſi quis alius, hæreſis propugnatore: qui cùm à Benedicto multa ad fidem catholicam ſpectantia quæſiiſſet; eo rationem reddente, ita miteſcere viſus, vt & carceris expenſas pro iis exſolui iuſſerit; melioremque in Catholicos animum induerit. Hinc Londinum reducti, cùm ex Reginæ mandato, ſeiungendi eſſent, ac diſtinctis carceribus mancipandi; cùm nullam, præterquàm necis, ſententiam expectarent, peccatorum confeſſione animam expiantes, mutuam ſibi abſolutionem impendunt: tum, quaſi dies illa vltima eſſet, qua ſe mutuò aſpectu ſolarentur; chariſſima pacis oſcula, multis lacrymis perfuſa, ſibi inuicem reddentes, tandem ſeparantur.

51 Iam duodeviginti menſes Chriſti Pugiles in carceribus conſumpſerant, cùm rumore ad Pariſienſis Conuentus Guardianum de Benedicti, & Socij vinculis perlato; oppidò is ab Henrico Galliæ Rege litteras ad Eliſabetham Angliæ Reginam impetrat, quibus vtrunque in ſui gratiam à vinculis liberari poſtulat. Regina verò Henrici epiſtola accepta, Chryſoſtomum quidem libertate donat, atque in Galliam remeare iubet; Benedictum verò, eò quòd Anglicani Regni beneficiarius cliens eſſet, in vinculis retinet, atque Londini carceribus ad Vviſbitchi caſtrum duci, atque ibi vnà cum aliis Catholicis, tum Eccleſiaſticis, tum ſæcularibus viris, diligentiùs cuſtodiri curat.

52 Id verò ſilentio haud prætereundum; vtrunque, & Benedictum, & Chryſoſtomum cumprimùm ad inſulam acceſſêre, diſpenſatione ſibi à Pontifice facta, Religionis habitum ſæculari veſte contectum geſtaſſe: at ſimul atque alter ab altero diſiunctus fuit; Benedictus ſæculari veſte abiecta, Capucinorum habitum palam detulit, calceos exuit,

*In carcere Religionis aſperitates obſeruat.*

cunctáque Regulæ ieiunia, B. P. Franciſci Quadrageſimas, Religionis aſperitates, car-
nis macerationes, orationis tempora, quæ in Monaſteriis obſeruari ſolent, inter vincu-
la exactiùs colere cœpit; ita vt cæteris concaptiuis virtutum, & totius pietatis norma
eſſet. Deus autem, qui vinctos ſuos inter vincula, & carceres non deſerit; ſed cæleſti-
bus plerunque donis accumulat; ſeruum ſuum Benedictum, diuino amore flagran-
tem, atque inter vincula exultantem, maiori eo tempore cæleſtium conſolationum
vbertate proſequitur: eúmque à diuturno ſtomachi languore, quo per decem annorum
ſpatium grauiter afflictatus fuerat, in momento curat.

Trium igitur annorum curriculo à Benedicto inter vincula exacto, cùm Henricus,
Gallorum Rex, nouas ad Eliſabetham Reginam ad Benedicti liberationem litteras de- 53
diſſet; is tandem perpetuo ab Angliæ Regno exilio mulctatus, liberè carcere dimit-
titur, & in Galliam deſtinatur. Itaque Lutetiam Pariſiorum reuerſus, ob eximias
Viri virtutes iam cunctis perſpicuas, Nouitiorum curæ præficitur: quo in munere ita
excelluit, vt integros de præſtantiori euangelicæ perfectionis via tractatus, qui prælo
dati leguntur, tam altis myſticæ Theologiæ ſenſibus reſperſos conſcripſerit, vt qui de
ſpirituali animæ profectu profundiùs ſcripſerit, haud facilè inuenias.

*E carcere liber redit, & Nouitiorum curæ præficitur.*

Hæc dum Religionis Tyrones ſibi creditos docet, haud raró viſus eſt mente excede- 54
re: quandoque etiam diuinum ex illius vultu ſplendorem erumpere. Denique tam
frequentes hoc tempore, ac familiares erant illi mentis ecſtaſes, & exceſſus; vt nun-
quam ferè abſque iis orationi vacaret. Carnutenſis Conuentus cùm aliquando habe-
nas moderaretur, in grauem morbum incidit: ex quo, vita comite, haud reſurrectu-
rus ſperaretur: quo tempore B. Virginis Deiparæ imaginem ſibi ad lectuli pedes
collocari iuſſit: quam vbi tantiſper fixis oculis contemplatus eſt, mente excedens,
per duodevicenas horas, ita à ſenſibus abalienatus fuit; vt nulla attractione, ſtrepitu,
vociferatione, aut alia ratione ad ſenſus reuocari potuerit. Porrò poſt decimamocta-
uam horam ſibi redditus, maxima tum Fratrum, tum Medicorum admiratione, qui
mortuum ſuſpicabantur, perfectè à morbo curatus fuit. Iterum, cùm diutino morbo
correptus, eò maximè doleret, quòd in Choro cum cæteris pſalmodiæ vacare non
poſſet; vocem protinus ſibi dicentem audit: Benedicte, in die feſto S. Franciſci à mor-
bo curaberis. Cúmque eo die conualuiſſet, illum panis, & aquæ ieiunio celebrauit.

Rurſus, cùm in Aurelianenſis agri oppidum, hæretica tabe infectum, prædicationis 55
cauſa profectus eſſet; quandoquidem is illi mos erat, prædicationem longa priùs ora-
tione præcurrere; eò tunc ardentiùs Deum orare cœpit, cùm de Hæreticorum men-
tibus, altis errorum tenebris immerſis, veræ fidei lumine imbuendis agebatur. Qua-
propter, dum feruentiùs orationi vacat, illum Socius clara luce perfuſum, atque altiùs
ex humo ſublatum conſpicit. Neque id fruſtrà: ipſius nanque prædicationem inſignis
illius populi ad catholicam fidem conuerſio ſequuta eſt.

Poſt hæc, dum Benedictus in Rothomagenſi Conuentu Guardiani munere fungi- 56
tur; accidit, vt Concionator quidam, Franciſcus nomine, ſupremum in eo Conuentu
diem clauderet: qui tertio poſt obitum die, Dei ſeruo ante, & poſt Matutinas Horas
oranti, vultu, qui mœſtitiam præſeferret, bis apparet, hanc ſemper edens vocem:

*Multorum manibus grande leuatur onus.*

Oppidò Vir Sanctus multo illi Fratrum ſuffragio opus eſſe intelligens, à Sacerdotibus
omnia Miſſarum pro eo Sacrificia Deo offerri, ſacras Communiones, orationúmque
ſuffragia ad ipſius liberationem multiplicari mandat. His omni charitate expletis, ſe-
quenti nocte defunctus à Benedicto in Eccleſia cum cæteris orante, iterum; ſed hila-
rior conſpicitur: qui ſe ipſius, ac Fratrum precibus à purgatoriis pœnis liberum aſſe-
rens, gratias agit, ac Cælum conſcendit.

*Defuncti animam ſua oratione à purgatoria pœna liberat.*

Diuinarum quoque Benedictum reuelationum, ac prophetici ſpiritus luce à Deo 57
illuſtratum fuiſſe, pleraque huius rei exempla teſtantur. Cùm in Montisfortis Con-
uentu Guardiani munus ageret: qua die Eliſabetha Angliæ Regina è medio ſublata
fuit, ipſius obitum diuina reuelatione acceptum, cuidam ex ſuæ Familiæ Fratribus
aperuit: qui cùm ab eo, vndenam id accepiſſet, percunctaretur: Modum, (ait,) ne
quærito: rem tantùm velut certiſſimam habeto.

Fr.

58 Fr. Emmanuël à Pontearco, adhuc in ſæculo verſabatur; qui cùm nonnulla cum Benedicto negotia pertractaſſet; iis abſolutis, Vir Dei: Emmanuël (inquit) te mundus fatigat: ſed tempus erit, cùm tibi mundus areſcet, ac ſæculo maior, ad Capucinorum ſinum conſcendes; vt Deo ibi inter B. P. N. Franciſci filios famuleris. Res verò longè poſt hæc dicta, prænunciatum effectum ſortita eſt.

59 Ambiani, Adriana quædam à Dæmone obſeſſa, cùm ſacris exorciſmis oppeteretur; Dæmon per obſeſſæ os ſe inde nunquam egreſſurum affirmat, donec eò Benedictus Anglus accedat. Quapropter Ambianenſis Epiſcopus datis ad Benedictum litteris, rogat; vt quamprimùm ad puellæ liberationem Ambianum ſe conferat. At verò Dei ſeruus, Diaboli artes agnoſcens, quibus illum in inanis gloriæ vitium pertrahere ſtudebat; atque eodem tempore diuina intus luce illuſtratus, quid de puella diuino conſilio ſtatutum fuiſſet, Epiſcopo reſpondet: Dæmonem ſolito ſibi mendacio ludere, cùm puella nulla vnquam exorciſmorum vi (Deo ita diſponente) à Dæmone liberanda ſit; cúmque Exorciſtæ in ea fruſtrà inſudare, oleúmque, atque operam perdere debeant; iis ab exorciſmis abſtinendum perſuadet. Rei porrò euentus certam dictis fidem reddidit: cùm enim poſt hæc fruſtrà in Dæmone eiiciendo ab variis Exorciſtis ſummo labore inſudatum fuiſſet; diuinum tandem, iuxta Benedicti vaticinium, in obſeſſa puella conſilium agnoſcunt.

*Futura ex diuina reuelatione prædicit.*

60 Dilectus igitur Deo, & hominibus Benedictus, cùm his, atque aliis à Deo donis cohoneſtatus, extremum ſibi vitæ occaſum imminere diuina reuelatione accepiſſet; Pariſiis in morbum incidit: quo tempore mente ante omnia à peccatorum ſordibus Sacramento expiata, ac ſacro Chriſti Corpore ſaginata, dulcia cum dilecto cœpit miſcere colloquia: quibus ita ſe iugiter occupatum præferebat, vt vix in aliud animum intenderet. Inter extremæ illius ægritudinis dolores, tot patientiæ, humilitatis, ac diuinæ charitatis in eo exempla eluxêre; vt qui illius curam gerebant, Viri perfectionem ſuſpicientes, facilè animaduerterent, maximas illum virtutum opes in animo congeſtas habere. Chriſti crucifixi imaginem cùm ſibi in extrema lectuli ſui parte collocari curaſſet; in eam oculos perpetuò intendens, lacrymarúmque ex his imbres fundens, dilectum ignitis orationum iaculis vulnerabat. Vitæ verò fine appropinquante, cùm tanta mentis humilitate, ac ſuiipſius abiectione, à Fratribus lecto circunfuſis, ſi quem verbis, aut prauo vitæ ſuperioris exemplo læſiſſet, veniam petiiſſet, vt vniuerſos ad lacrymas compulerit; ſtatim Fratres his verbis obteſtatur: Fratres mei, extrema iam interpellat hora: nihil mihi, præter IESVM, & MARIAM loquimini. Cúmque animum totum ad diuina collegiſſet; quodam ex Fratribus dicente, diem illum B. Virginis Præſentationi ſacrum eſſe; O B. Virgo! exclamans, Deo paulò pòſt ſpiritum commendat.

*Vitam magna cum pietate claudit.*

61 Præclari huius Viri vitam, ac geſta, hiſtoria Gallico ſermone conſcripta, proſequutus eſt Iacobus Broſſius, Theologiæ candidatus, libello Pariſiis impreſſo anno 1621. cui anni duntaxat, quo Sanctus hic Vir è viuis exceſſit, error obrepſit: cùm enim apud nos certum ſit, Benedictum hoc anno diem ſuum obiiſſe, idque ex Pariſienſis Prouinciæ monumentis conſtet, is in ſequentem annum ipſius obitum diſtulit. Viri huius ſanctimoniam celebrat Monialis quædam Bruxellenſis, Ordinis S. Benedicti, Latino carmine, quod apud Broſſium legitur.

## *Vita, & geſta Fr.* ROGERII *à Tipherno, Sacerdotis.*

62 ROmæ hoc anno ex hac luce migrat Fr. Rogerius à Tipherno ex Vmbriæ Prouincia Sacerdos, cuius virtutum fama adhuc poſt funera viget: quandoquidem priſcorum illorum Patrum, qui piis eorum laboribus Religionem inſtituerunt, propagarúntque, tam egregiè vitam imitatus eſt; vt non infimum inter eos ſibi locum vindicauerit. Qui circa annum Domini 1535. ex antiqua & honeſta Manaſſæorum Familia ortus, Petri Rogerij nomen è ſacro Fonte tulit: & ad decimum vſque octauum ætatis annum ea pietate vixit, vt, mollem ſæpè lectum refugiens, ſibi ſarmenta ſubſterneret;

inclytam

*Petri Rogerij virtutes deſcribuntur.*

inclytam Cælorum Reginam ſingulari amore diligeret; eámque mentis, & corporis pudicitiam ſeruaret, quæ mulierem ad venerea propellentem, à ſe longiùs propulſaret, & ab incepto deſiſtere cogeret. Cúmque in ipſo adoleſcentiæ flore, quæ vitæ poſteris prænuncia eſſe ſolet, præclarum huiuſcemodi futuræ ſanctitatis ſpecimen dediſſet, dum mundi præterlabentis vanitatem ſpernit, ac ſolida cæleſtium bona in Capucinorum Ordine ſibi quærenda decernit, Rogerij ſibi nomine retento, Capucinorum albo inſcribitur. In quo haud facilè verbis referri poteſt, quàm ſingulari ſtudio Seraph. Patris veſtigia ſibi calcare ſtuduerit. Super omnia autem tanto Seraphicæ paupertatis amore flagrauit, vt præter ea, quæ à Regula præſcribuntur, nihil vnquam ſibi adeſſe pateretur. A ſuperfluis ita ſemper abſtinuit, vt ea quoque, quæ ſibi neceſſaria eſſe videbantur, ad extremum vſque vſum reſtringeret. Ex quo fiebat, vt viliora, & pauperiora ſemper deligeret; habitum, & pallium vtrunque breue, anguſtum, ſacci, ac panni ſegminibus reſarcitum; cannabaceum cingulum rudiori fune compactum; ſtrophiola plerunque lacera; femoralia penè conſumpta; ſandalia ſæpè renouata geſtaret; ac lectum, qui frequenter nudas ei tabulas ſubſternebat, haberet: quibus ſolummodo contentus, ac valdè diues, nunquam ex ſupradictis quicquam nouum in vſum ſibi aſſumpſit in Religione.

*Paupertatis in Religione diligens cultor fuit.*

*Summa illius auſteritas exaratur.*

Huic parſimonia quædam in victu reſpondebat, quæ tantùm corpori indulgebat, 63 quantùm neceſſitati ſolùm ſatis eſſe comperiebat. Tam enim parcus in cibo, ac potu ſemper fuit, vt quæcunque ſuperflua, & in cibis iucunda eſſe poterant, ita mortificationis falce putaret; vt vel cæpas, & allia ipſa ſcrupuloſis haberet in deliciis. Vnicam tantùm, eámque parcam in die comeſtionem citra ſaturitatem ita ſumebat, vt auarus nemo tam auri cupidus, quàm Rogerius ſemper ſobrietatis fuerit. Ieiunia Seraph. Patris familiaria tam arcta ſibi lege colebat; vt ſerotinam refectionem ſumere nunquam viſus fuerit. Quadrageſimam verò omnium Sanctorum tanta deuotione celebrabat, vt interdum, præter panem, & aquam nihil omninò ſibi addere voluerit. Et licèt ſibi auſteriſſimus eſſet; tanta tamen veneratione proſequebatur vitam communem, vt ſæpè percunctantibus Fratribus, quid ſibi, vt perfectionis culmen attingerent, eſſet agendum, hæc eadem ſemper repetere ſoleret: *Vita communis, ſed feruens: & hoc vnum, ſi benè fiat, tantùm ſufficit.*

*Silentij amātiſſimus aſſeritur.*

Intereà, ne ſuum linguæ frænum vllo tempore deeſſet, tam ſeuerã cuſtodiam adhibere ſolitus erat; vt otioſum nihil, nihil ſcurrile ex illius ore audiri vnquam potuerit: quod, 64 vt faciliùs præcaueret, omnium, quoad poterat, colloquia vitabat; & in Eccleſiam, aut in cubiculum ſe recipiens ſolitudini vacabat: ita tamen, vt corporalia exercitia minimè deſerens, vilioribus ſe Conuentus, & ægrotorum miniſteriis manciparet; tantóque in humilitatem æſtuabat amore; vt, ſi quempiam de illa verba facientem audiret, quaſi calore liqueſceret, lacrymæ ſtatim ex ipſius oculis erumpere cernerentur.

*In humilitatem quanto æſtu ferretur.*

*Oculorum mortificatione excellit.*

Tale & ſuum oculis frænum iniecit, vt cùm menſæ accumberet, nihil eorum, quæ 65 Sociis à dextris, & à ſiniſtris appoſita erant; néve quid in panis caniſtro, qui menſæ circunfertur, acciperet; néve aliorum quoruncunque ex aduerſa Refectorij parte diſcumbentium faciem; néve vllius vnquam mulieris vultum aſpectaſſe adhuc fama volet, & apud omnes euulgatum ſit: eóque in rebus agendis conſilio, ac prudentia floruit, vt Guardiani munus ſæpè multis in locis obierit; tótque præclariſſimarum virtutum ſplendoribus ſubditos anteceſſerit, vt maiorem ſemper, quàm ab ea acceperit, ſplendorem ſuæ dignitati contulerit.

*Aquæſpartæ Duciſſa quātoperè eius colloquiis afficeretur.*

Verùm, cùm hæc, & alia Dei dona, Rogerio collata, Aquæſpartæ Duciſſæ innotuiſſent, Virum Dei confeſtim in ſui Ducatus Monaſterio collocandum curauit: cuius 66 poſteà colloquiis, ac ignitis ſermonibus adeò afficiebatur, vt inde Romam profecta, ſtatim à Superioribus impetrata licentia, Rogerium Romam proficiſci, & ſecum denuò commorari complacuit. Cumprimùm Vir Dei Romano in Conuentu apparuit, tam præclaris virtutum omnium exemplis die, noctúque reſplenduit; vt nouum Conuentui ſydus omnibus ortum eſſe videretur; ibíque cellulam ſibi elegit, quæ ita loci arctabatur anguſtia, vt nec tabulam ſcriptoriam capere vllo modo poſſet: cuius loco menſulam, quæ ægrotis ſe reficientibus offertur, perſimilem ſibi lætus apponebat; eáque

duodecim

duodecim annis, quoad vixit, ſemper vſus fuit : iiſque B. Virginis, ac Sanctorum exemplis in vnum colligendis vacauit, quæ operibus maritabat : ex quibus deinde bonorum operum, ac meritorum fœtus, tanquàm ex cæleſti quadam copula, plurimos vbique Deo generare, ac parere non ceſſauit.

67 At ſuper hæc omnia orationi potiſſimùm adeò deditus erat, vt reliquum temporis, quod à charitate, & obedientia illi ſupererat, totum in Eccleſia, aut cubiculo ſupernarum rerum ſtudio conſecraret, ita vt ne minimam quidem temporis particulam abſque eo fluere pateretur : cuius efficaciam cùm perſpectam experimento haberet, plus orationi, quàm ſomno tribuere ſolitus erat. Nam ante Matutinum ad trium, aut quatuor ad ſummum horarum ſpatium ſomnum extendebat : tum è lecto exiliens in Eccleſia Deo, & orationi vacabat. Matutinis horis poſtmodum perſolutis, reliquam partis noctem ad auroram vſque in cæleſtium rerum contemplatione tam indefeſſo ſtudio diſpenſabat; vt Rogerius ad cæleſtia magis, quàm ad terreſtria meditanda natus eſſe videretur. In oratione verò, quæ diu, noctúque apud noſtros celebrari ſolet, erecta facie, genibus flexis, & immobilis perinde ac ſi è marmore ſtatua eſſet, ſuperna meditari, & lacrymas ſæpè fundere conſpiciebatur; ſuæque mentis in Deum aſcenſio, & recollectio adeò aſſidua illi ſemper erat, vt non ſolùm nocturnum tempus orationi aptum ſibi adeſſe experiretur; ſed diurnum quoque tempora, ac loca omnia ad orandum illi idonea miniſtraret. *Orationi quàm aſſiduè inſiſteret.*

68 Cùm moras Romæ Dei ſeruus traheret, accidit, vt Cardinalis Burgheſij aulam ingrederetur Socius Fratris cuiuſdam, quocum illic, propter confluentium vndique multitudinem, trium, aut quatuor horarum ſpatio ſibi præſtolari opus fuit : verùm, ne tempus illud incaſſum præteriret, in eiuſdem aulæ angulum ſe recepit; ibique coram tota multitudine, inter euntium, & redeūtium ſtrepitum, inter confabulantium ſibilum ita placidè Deo vacare cœpit, vt non ſecùs ac ſi à ſenſibus alienatus fuiſſet, toto eo tempore immobilis viſus ſemper fuerit. Quam mentis vnionem etiam noſtri Romani Conuentus admirabatur Sacriſta, qui Virum Dei, quouis temporis momento ad ſacra facienda vocabat, eundem ſemper paratum offendebat; rectà ſtatim ad Sacrarium feſtinabat, protinùs ſacerdotalibus ſe veſtibus induebat; & Miſſam tanto pietatis ardore, ac exterioris hominis compoſitione celebrabat; vt & audientes longiùs attraheret, & eorum animos vi quadam ſurſum eleuaret. Ob cuius rei gratiam viri, ac mulieres, nobiléſque in primis, ac Dynaſtæ noſtram crebriùs frequentabant Eccleſiam; vt & Viro ſacra facienti adſtarent, & diuini amoris flamma incaleſcerent. Inter quos ſæpiùs præ cæteris in Capella præſtolari videbatur Olympia Aldobrandina, aliæque permultæ ex primariis, & ſelectioribus. *Inter multitudinem hominū in aulæ obſtrepentiū, Deo vacare non deſiſtit.*

69 Iucundius nihil, nec charius quicquam Viro Dei eſſe poterat, quàm in ſolitudine diuinis vacare amplexibus : at, ſi interdum cum aliquo colloquendum eſſet, oculis in humum defixis, totóque corpore maximo cum decore compoſito; tanta illi ex conſortio ſermonis Dei vis in colloquio indita erat, tantáque ſuauitate res diuinas eructabat; vt omnes ab illius ore penderent, & ipſius verba mentes hominum, ignis, inſtar, ardenter ſic adurerent; vt Angeli potiùs, quàm hominis verba omnibus viderentur : & quomodo audientium animos illius verba non adurerent; cuius & ipſe in loquendo adeò diuino incaleſcebat ardore; vt dum Romæ vnà cùm Excellentiſſima Peretta de ſpiritualibus ſermonem protrahit, in ipſo ſermonis fluxu in ecſtaſim raptus, & à ſenſibus planè abalienatus fuerit? Tantáque huic homini ad quæcunque agenda lepos, ac ſuauitas inerat; vt nemo anguſtia, aut tribulationis pondere preſſus, ad eum accederet; quem eloquij ſuauitate recreatum non ſubleuaret : nullúmque inimicitiæ genus, quod ſua prudentia, ac dicendi venuſtate peremptum, ad pacem non componeret : quod, vt duobus tantùm exemplis magis innoteſcat : *Quantum ſuauitatis, & fructus colloquiis eius ineſſet.*

70 Clericus inter alios è S. Franciſci Prouincia graui à Dæmone, & aſſidua tentatione pulſabatur : quæ cùm indies magis, magiſque excreſceret, ac ſe in maximo, & imminentiſſimo periculo verſari conſpiceret; ad Rogerium adiit; eique ſeriem totius tentationis aperuit. Quem Rogerius verbis tam mellifluis excipit, recreat, ſubleuat;

mentémque illius tentationum nubibus agitatam, tam mira, ac ſubita tranquillitate ſerenat; vt tota illa tempeſtas, à Diabolo excitata, protinus diſſipata, ac diſſoluta fuerit.

71 Guardiani munus Vir Dei in Colliſpiperis Conuentu adminiſtrabat, cùm orta inter duos pugna, ex his alter ſæuum vulnus accepit: qui in odio, ac ſimultate nutrienda plus æquo ferueſcens, quo pacto acceptam iniuriam vlciſceretur, ſecum diu, noctúque in animo verſabat. Cui cùm perimendæ ſæpiùs plerique ſemper incaſſum operam nauaſſent, illéque in immani, & implacabili odio perſiſteret; nouiſſimè omnium Guardianus accerſitur, qui hunc tanto ſpiritus feruore, tantáque dicendi affabilitate adoritur, vt ſtatim ita animo immutatus fuerit, vt in virum alterum euaſerit, & pacem illicò cum inimico inierit.

*Propinquorũ conuerſationem abhorret.*

72 Et licet Rogerius eorum familiaritatem minimè negligeret, quorum ſaluti conſulere verbo, aut vitæ exemplo poterat; à propinquorum tamen conuerſatione, ſimul atque ſe Deo in Religione conſecrauit, adeò ſemper abhorruit; vt omnem prorſus ab intimis præcordiis conſanguineorum, & patriæ amorem, propenſionémque exhauſiſſe videretur; ita vt poſt quadraginta annorum curricula (quo tempore Vmbriæ Prouinciam tot præclariſſimarum virtutum ſplendoribus, ac vitæ exemplis illuſtrauit, vt plurimam ſibi apud omnes ſanctimoniæ famam comparauerit,) ſemel duntaxat ad patriam conceſſerit: ibíque ex duobus alterum S. Ioſephi Cœnobiolum, longiùs à ciuitate remotum, à ſæcularium ſtrepitu ſegregatum, cæleſtium rerum meditationibus accommodatum, ſibíque à Patribus deſtinatum, vix incolere cœpit, cùm Excellentiſſima Aquæſpartæ Duciſſa, Rogerium repetente, à Superioribus accerſitur: & inde Romam, annis licèt prægrauatus, ac ſenio confectus, nulla interpoſita mora, abſcedens, cæcam pedeſter, moræ neſciam, ac perfectam Superiorum obedientiam adimplet.

*Pro conſanguineis beneficia petere noluit.*

73 Duo erant ex germanis fratribus Rogerio nepotes, quorum primus (qui Bernardinus nomine vocabatur) Vicarij Generalis munus obibat Spoletanæ Epiſcopi Diœceſis; cùm, Epiſcopo morte ſublato, Romam proficiſcitur, & Cardinalis Peretti ibidem Vicarius paulò pòſt renunciatur. Quamobrem nonnulli in hanc certam deuenerunt opinionem, vt noua illa dignitas in Bernardinum, non ab alio, quàm à patruo Rogerio deueniſſet: qui & tunc Romæ agebat, & apud Romanam Curiam plurima opinione valebat; ac præſertim apud Excellentiſſimas, quas ſuprà narraui, quæ tanta in Virum Dei deuotione ferebantur, vt certatim vnaquæque (dummodo Vir Dei annuiſſet) beneficij loco repoſuiſſet, Bernardinum in Rogerio, nepotem in patruo honoribus, atque gratiis cumulare. At reverà tantùm abeſt, vt ad hanc conſpiraſſet Rogerius; vt etiam ob ſimplicia nonnulla, quæ vacarunt, beneficia, ſimul atque è vita migrauit Bernardinus: quæque in Petrum Rogerium, alterum Viri Dei nepotem, Theologiæ candidatum, & rei familiaris indigum, cadere nullo negotio, aut minimo verbo poſſent; nunquam tamen Vir Dei adduci potuerit, vt ob id nec verbulum vnum ex ore eius elabi pateretur: & beneficia omnia è nepotum domo maluit abire; quàm ſe nepotum curis, vel minimum implicare: ex quo quàm conſanguineorum amore ſeriò exutus eſſet, certum apud omnes, & conteſtatum reliquit.

*Dei ſeruitio ſegniùs incumbentes ſuauiter reprehendit.*

74 Vir quoque tam eximiæ charitatis fuit, vt nihil, quod fraternæ charitatis zelus expoſceret, omninò prætermitteret. Hinc fiebat, vt ſi quis ex noſtris, ac præſertim iuuenes, in Dei ſeruitio ſegniùs, ac in regularis diſciplinæ ſtudio negligentiùs, quàm Clericorum ſtatus ferret, ſe gerere animaduertiſſet, tam ſapidis ad eos verbis accedebat, vt velut cæleſti quodam nectare, ac melle illitis eorum animos ita recrearet, vt ad priſtinas virtutum epulas appetitum ingereret, & excitaret. Tam egregiæ patientiæ, vt re nulla vnquam aduerſa perturbari poſſe videretur: quam vt Deus aliquantulum detegeret, Romano in Conuentu permiſit, vt Laïcus quidam durioribus illum verbis, nulla ſua culpa, grauiter aggrederetur, & obiurgaret. Quam increpationem hilari vultu excipiens, imperturbata quadam animi tranquillitate pacificè adeo tolerauit; vt ne verbulum vnum, nec vox vlla querimoniæ, aut excuſationis erumpens, ex illius ore audita fuerit. Cui non abſimile fuit, quod in Colliſpiperis ei Conuentu, cui Guardianus præerat, accidit: quod pariter tam æquo animo tulit, vt tantùm abeſt, vt à

*Egregiæ illius patientiæ exempla.*

pacatiſſima illa ſuæ mentis tranquillitate diſcederet; vt etiam ſuperueniens quidam ipſius familiaris amicus, ſe ipſum tantùm incuſantem, ac mortificantem inuenerit. Denique, cùm præclariſſimis vitæ exemplis poſteris omnibus præluxiſſet, & S. Franciſci Prouinciam, ac Romanam plurimis virtutibus, ac vitæ ſanctimonia illuſtraſſet; ſenio, & vitæ auſteritatibus conſumptus, cùm iam ſapientiſſimi negotiatoris inſtar, multos operum, ac virtutum theſauros præmiſiſſet; eos & ipſe hoc anno Romæ rebus valedicens humanis inſecutus eſt.

75 Cæterùm, cùm eam ſibi Dei ſeruus, tum apud Fratres, tum apud ſæculares famam cõparaſſet, vt ab omnibus Vir Sanctus haberetur, tanta enim in ipſius vultu modeſtia, in inceſſu grauitas, in moribus venuſtas, in verbis ſuauitas elucebat; vt qui Virum Dei intuebantur, ætate iam decrepitum, aſpectu deuotum, ac venerabilem, in Choro frequentem, in oratione aſſiduum, in Altari feruentem, in cella ſolitarium, in menſa auſterum, in omnibus humilem, obedientem, tacitum, pudicum, charitatiuum, affabilem, manſuetum, & ſumma animi pace, ac tranquillitate fruentem, non ſimplicem hominem; ſed prope cæleſtem, è vultu quaſi radios fulgurantem, omnes venerarentur; Guardiano, qui populum in Viri Dei corpus irruiturum; vt turbarum tumultum, & perturbationem, quam in B. Felicis morte nullo modo euitare poterat, formidabat, conſultum illicò fuit, corpus in Noſocomium transferre: quod vbi tranſlatum fuit; cuſtodientibus mandat, vt ibi occluſum, atque occultum ad ſepulturam vſque ſeruetur. Deinde Fratribus, ne pedes è Monaſterio efferant; ne Viri mortem promulgent; ne corpus in Proceſſione deferant; ne defuncto publicè iuſta perſoluant, omnibus interdicit. Quibus ſeruatis, Viri Dei corpus in commune Fratrum ſepulcrum non ſine tacitis aliquorum querimoniis, qui tanti hominis ſanctimonia permoti, in particulare quoddam ſarcophagum inferendum eſſe cenſebant, ſummo omnium Fratrum luctu illatum tandem fuit.

76 Nondum Anima illa fœlix corporis exuuias depoſuerat, cùm Fratres ob ſingularem, quam de ipſius ſanctimonia opinionem conceperant, in ipſius cellam irruentes pallium, cingulum, ſandalia, ſtrophiolum, & quæcunque ſuo vnquam vſui deſeruierant, ſibi vendicarunt, ac certatim ſibi velut reliquias repoſuerunt. Nec fruſtrà: nam, cùm Deus Optim. Maxim. quàm grata ſibi illius anima eſſet, apud omnes innoteſcere, ac nonnullis poſt mortem miraculis illuſtrare voluiſſet; accidit, vt inter alios nouiſſimus omnium in cubiculum ſerui Dei accurriſſet, Frater Claudius à Feſcennio, ( vulgò, *Ciuitate Caſtellana* :) qui, cum ſpoliatum, ac vacuum offendiſſet; funiculum quendam, qui appenſum ibi remanſerat, accipit: & dum plena fide ad manum (quam propter catarrhi deſcenſum pluribus iam diebus dolore affectam geſtauerat) circunligat, dolor ac deſcenſus ſtatim abſcedit, & euaneſcit.

*Miraculis poſt mortem illuſtratur.*

77 Vir quidam Bononienſis nobili genere natus, dum Viri huius habitus ſibi fruſtulum adhibet, à plaga magna liber euadit, ac perfectè ſe curatum ſenſit.

78 Monialis Capucina, quæ Romano in Conuentu oculorum viſu orbata remanſerat; dum ſerui Dei conſpicilia oculis adhibet, viſum læta recepit.

79 Quibus ſtatim Religio adſtipulari non deſtitit, dum Viri Dei effigies, imagineſque ſuis delineatas pigmentis inter illuſtriores magni nominis Viros in celebrioribus Conuentuum Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, ac Flandriæ Clauſtris, ac Refectoriis publicè exponere, eáſque inſigni hac ſubſcriptione ornari libens, ac læta permittit.

*Ipſius effigies in Conuentibus celebrioribus exponitur.*

*R. P. Fr. Rogerius Tiphernas, Sacerdos, pauper, humilis, deuotus, & vigilans, digna, quæ ſcirentur, ſcribebat; & quæ ſcriberentur, digna operabatur. Romæ anno Domini* 1610. *animam Deo reddidit.*

80 Poſt Rogerium, alij quoque vitam magnis in virtutibus traduxerunt: quorum memoriam extingui nefas exiſtimauerim. Nam in Piceno ALEXIVS Maceratenſis, Laïcus, præter virtutum coronam, qua vitæ curſum exornauit, Tolentini, ſigno Crucis Ioſephum Bernabeum, quartana febri laborantem, reddit incolumem. Im-

*Fr. ALEXIVS Maceratẽſis.*

*Fr.* PAVLVS *à Vernia.*

*Fr.* EVSEBIVS *à Venafro.*

brem quoque, ne nobiles quaſdam mulieres attingeret, ſua oratione coërcet; cùm tamen vndique è nubibus flueret. PAVLVS à Vernia, Sacerdos Hetruſcæ Prouinciæ, Vir fuit omni virtutum genere ornatiſſimus. Dum ſacra Myſteria celebrat, Angelos pſallentibus coniunctos in Choro canentes audit. Florentiæ, dum orat, vultu, ac manibus Solis inſtar refulgens conſpicitur. Sui obitus diem, ac nonnulla alia prædicens, Florentiæ plurima cum pietate dormitionem accipit. EVSEBII quoque à Venafro, Laïci, celebris in S. Angeli Prouincia floret memoria: qui cùm obedientia, charitate, ac patientia eximius, diuinis B. Virginis interdum colloquiis frueretur; orans quoque vultu ſplendido deprehenditur. Denique, dum ſupremùm ægrotat, clara luce ipſius cella perfunditur; multáque apud Fratres virtutum laude clarus, ad Dominum migrat.

*ANNA Tiphernas, S. Claræ Monialis Capuc.*

His & Annam Tiphernatem S. Claræ Monialem Capucinam libet adnectere; quæ in Monaſterio Sanguinis Chriſti Romanæ Vrbis tot virtutibus eluxit; vt Abbatiſſæ munus gerens, cùm Moniali cuidam, quæ ita membris capta erat, vt è lecto dimoueri non poſſet, verbo præcepiſſet, vt Dormitorij fores clauderet; tanta illius verbis à Deo virtus indita fuit, vt ea confeſtim è ſtrato ſurgens, perinde ac ſi incolumis eſſet, oſtia clauſerit, atque ad lectum rediens, in eandem rurſus membrorum ægritudinem relapſa fuerit. 63

His nonnulla, quæ hoc anno accidêre, memoranda addenda ſunt. Ac primùm Lutetiæ Pariſiorum, quo tempore ab Hieronymo à Caſtro Ferrettorum Generali, Prouinciale Capitulum celebrabatur; Fr. Claudius Andegauenſis, Sacerdos, cùm ad mortem ægrotans, cum obedientiæ merito ad Deum proficiſci optaret; ſupplex Hieronymum Generalem rogat, vt hinc emigrandi neceſſitatem ſibi ad obedientiæ meritum imponat. Piæ obedientis Viri petitioni Hieronymus annuens: *Vade* (inquit) *fili, vade in pace.* Mirabilis obedientiæ vis! Vix hæc Generalis verba protulerat, cùm æger caput inclinans, ac *Benedicite* perſonans, Deo ſpiritum reddit. 64

*B.P. Franciſcus apparens fratri cuiuſdam charitatem commendat.*

In Pedacenſi Conuentu Prouinciæ Conſentinæ, Fr. Antoninus à Patico (vulgò, *Paula*) veſtium Communitati præfectus, cùm diligenter, ſingularíque cum charitatis, ac paupertatis ſtudio, ſuo muneri incumberet, proprij habitus reſarciendi aliquando neceſſitate ductus, alteram eodem tempore Communitatis veſtem conſarcinatione indigentem cernit: qui communem propriæ veſtem præferens, priùs ſuam in Communitatis veſte reſarcienda operam confert. Quæ res ita B. P. Franciſco grata fuit, vt eo ipſo tempore, quo communem veſtem reſarciebat, eidem apparens, chariſſimè, illum complexus fuerit; eiúſque tum charitatem, tum paupertatis ſtudium commendans: *Tales* (inquit) *Fratres meos exopto.* 65

Contrà verò, quàm Deo, ac B. P. Franciſco, quorundam Fratrum immoderata rerum cupiditas diſpliceat, hoc exemplo declaratum fuit. In Montenſi vrbe, puella quædam honeſtiſſima, ac piis omnibus operibus addicta, Capucinos ſingulari pietate proſequebatur. Cui inter alia id in more erat, vt Fratres, qui vel animi recreandi gratia, vel conualeſcentiæ cauſa, ad campeſtria pergerent, vini lagena recrearet. Contigit verò hoc anno, vt bini Fratres auram campeſtrem captaturi, impetrata à Superiore facultate, vrbem egrederentur: qui immoderata illa vini cupiditate ducti; puellæ, quæ tunc in Eccleſia orabat, rem ſignificant: quæ, Fratrum deſiderio percepto, ſtatim ad tabernarium accedens, lagenam ab eo mero plenam emit; emptóque vino, dum cum lagena ad Fratres redit, en in media via, lagena inuiſibili ictu percuſſa, perfringitur; ac vinum totum effunditur. Stupet illa, rémque Fratribus narrans; iterum, iis minimè reluctantibus, tabernarium adit, recentémque lagenam cum vino emptam iis tradit. Vrbem ij cum lagena egredientes ad agros procedunt. Cúmque tabellarium ſibi in via obuium haberent, dum aliquos cum eo ſermones miſcent, qui lagenam ſub pallio ferebat, eam tanquàm valido baculi ictu ab inuiſibili manu percuti animaduertit: quo ea ſtatim confracta, vinum vbique effuſum. Quo ſanè facto edocti fuere, vini ipſis non modò cupiditatem coërcendam; verùm multò magis à pecunia, qua vinum à puella, annuentibus ipſis, emptum fuerat, abſtinendum fuiſſe. 66

Hoc

*Franciſcani habitus religio illuſtratur.*

67 Hoc anno Franciſcani habitus Religio illuſtri miraculo celebratur: nam Albiſtri, (vulgò *Vrſomarſo,*) citerioris Calabriæ oppido, cùm Ioannis Mariæ, Ioannini Iuriſperiti filius, adhuc puer, lethali morbo oppreſſus, deſperata valetudine, ad vitæ occaſum properaret; Fr. Maſſæus Capucinorum Eleemoſynarius, matrem præter modum filij mortem lugentem cernens, eidem conſulit, vt voto ad B. P. Franciſcum nuncupato, filium, ſi viuum, & incolumem recipiat, per annum cineritio Religionis panno induat, facémque B. Patri offerat. Conſilio à muliere accepto, ac voto emiſſo, poſtridie moribundus puer è lecto ſurgit incolumis.

68 Beati quoque Antonij Olyſiponenſis, pia ad res perditas recuperandas inuocatio, pleriſque paſſim optata beneficia confert. Nam Veſontioni, apud Burgundos, cùm nobili cuidam fœminæ aurea Crux, ac pretioſa monilia furto ſublata fuiſſent; oppidò illa ad Capucinos aduolans, S. Antonij Reſponſorium à Fratribus recitari, ac Sacrum in eiuſdem honorem celebrari curat: quibus abſolutis, qui furtum perpetrauerant, cùm in tabernam diuerſoriam conueniſſent; inde prima luce digredi tentantes, neque cubiculi oſtium, neque tabernæ fores, licèt patentes, reperiunt: quinetiam cæleſti quadam vi repreſſi, quò magis progredi nitebantur, eò fortiùs detinebantur. Quod cùm ex iis alter diuina virtute fieri animaduerteret; furtum hoſpiti reuelat: quo rem ad vrbis Iudicem deferente; fures cum furto deprehenſi caſtigantur; Crux verò, ac monilia mulieri reſtituuntur. Plura alia prætereo, quæ apud noſtra Ordinis monumenta leguntur. Poſtremò Dei hoc anno in Fratres, atque Ordinis beneficos liberalis prouidentia multipliciter declaratur. In illos quidem, dum ex obedientia iter facientes, & à recta via aberrantes, per Angelos humana ſpecie præditos, in rectam viam perducit, ac præ inedia deficientes, eorundem miniſterio paſcit: in hos verò, dum panis, vini, ac rei familiaris multiplicatione, erogatam Fratribus eleemoſynam cæleſti fœnore compenſat.

*Fratres per Angelum in viâ rectam perducuntur, & paſcũtur.*

| Ann. Christ. | Pavli V. | Rodvl. II. Imp. | Hier. a Cast. Fer. Gen. | Relig. Cap. |
|---|---|---|---|---|
| 1611. | 7. | 35. | 4. | 87. |

NOva hoc anno ſexcenteſimo vndecimo ſupra milleſimum Religioni ſoboles oritur, quæ per Rheni tractum diffuſa, nubis inſtar, arentes terras ſacro pietatis rore fœcundat. Noua quoque è Religionis gremio illuſtrium Virorum ſeges pullulat, quæ multis auſterioris vitæ laboribus fatigata, ac voluntariarum afflictionum tunſionibus triturata, cæleſti tandem horreo conditur; quæ à nobis ſuo quæque ordine exaranda erunt.

Primùm igitur, cùm ſuperiori anno Moguntinus Archiepiſcopus, 1
Imperij Elector, datis ad Paulum V. Pontificem litteris, ab eo Capucinos poſtulaſſet, qui Religionis ſemen Moguntiæ diffunderent; eámque Domini vineam, quam ferus hæreſeos aper dogmatum impuriſſimorum dente deuaſtauerat, ſua virtute, ac prædicatione repararent; Pontifex, vt piis Archiepiſcopi, ac Principis votis ſatisfaciat, Hieronymum à Caſtro Ferrettorum, Generalem Ordinis Moderatorem mandato compellit, vt ſtatim idoneos Moguntiam Fratres deſtinet; qui & fideliter in ea Domini vinea expurganda laborent; & Seraphico ſemine, latiùs deinde per Rhenanos propagando, in ea vrbe iacto, nouam ibi Prouinciam inſtituant. Hoc mandato accepto, Hieronymus nulla interiecta mora, hoc anno Franciſcum Hybernum, Virum in Religione pietate, ac doctrina celebrem, Generalem Commiſſarium inſtituit; adiunctíſque illi è Prouincia Belgica Fratribus Conſtantino Barbanſonio, Sigiſmundo Dionatenſi, Bonauentura Herbipolenſi, Sacerdotibus; Georgio Hyberno Clerico; Baſilio Accienſi, Albardo Attrebatenſi, & Hugolino Spirenſi Laïcis, Moguntiam deſtinat.

*Coloniæ Agrippinæ Prouinciæ fundamenta iaciuntur.*

Hos cùm Franciſcus Commiſſarius, quaſi locum paraturus, Bonauentura Herbi- 2
polenſi ſecum aſſumpto, præceſſiſſet; vbi Coloniam Agrippinam appulit, ad Antonium Albergatum Vigiliarum Epiſcopum, apoſtolici tunc ibi Nuncij munus gerentem, ſe confert: cui inſperatus hic Capucinorum aduentus tam gratus fuit, vt mox omni ſtudio in id incumbere cœperit, vt in Colonienſi vrbe primam hi ſedem ponerent. Cùm enim eò hominum mores, ac fidei catholicæ res corruptionis euaſiſſent, vt Religioſi palam, ac præſertim extra vrbem, regulari habitu vti non auderent; ſperabat pius Antiſtes Capucinorum vita, & aſpectu, faciliùs depoſitis rebus medendum fore. Quapropter omnem mox cum vrbis Conſulibus, ac Proceribus operam nauat; verbo illos, & conſilio prouocat; omnia denique tentat, vt Capucini publico Senatus decreto in vrbe recipiantur.

Hac in rerum deliberatione dum pius Nuncius impigrè laborat; Deus Opt. Max. 3
qui pia hominum vota fouere ſolet, duorum tunc vrbis Conſulum ſpiritum excitat, qui cùm plurima apud omnes auctoritate pollerent, Capucinorum cauſam apud Senatum agentes, facilè omnium Senatorum animos, vt in eorum receptionem conſpirarent, pertraxère. Quamobrem re, maxima cum apoſtolici Nuncij exultatione deliberata, in die S. Andreæ Apoſtolo ſacro huiuſce anni, Crux lignea ſolenni ritu benedicta, ante S. Seruatij ſacellum, in quo noſtri ſibi hoſpitium delegerant, magno vrbis concurſu ab iis erigitur. Conuentu deinde altero in loco deſignato, anno 1615. idem apoſtolicus Nuncius poſt Miſſæ Sacrificium ſolenniter celebratum, Eccleſiæ primarium lapidem poſuit: ſecundum Princeps Lotharingus: tertium Comes Zeleranus, Eccleſiæ fundator. Primus hic Coloniæ Prouinciæ Conuentus fuit, quo cum noua Rhenanæ Prouinciæ progenies exorta fuit; Moguntiæ verò alter anno 1617. Conuentus fundatur.

*Primus Coloniæ Conuentus extruitur.*

Hoc anno Paulo V. Pontifice, Caroli Emmanuëlis Sabaudiæ Ducis poſtulationi 4
annuente, Ioannes Venetus Generalis Commiſſarius ab Hieronymo Generali, Lugdunum miſſus; Sabaudiam à Lugdunenſi Prouincia præſcindit, ac diſtinctam ab ea

Prouinciam conſtituit: quæ deinde à Cornelio Recanatenſi, Generali Commiſſario, ac nonnullis poſt eum Generalibus Commiſſariis adminiſtratur; donec & ipſa ſuis aliquando Prouincialibus Miniſtris potita fuit.

5 Hoc ipſo tempore, cùm in Valriaci oppido, Prouinciæ S. Ludouici, Crux ſolenni ritu benedicta, toto oppido confluente, ad noſtri Conuentus fundationem erigeretur; Cælo, quod denſis nubibus eouſque obductum fuerat, ſtatim conſerenato; fulgens ſimul cum Sole ſtella, toto populo ſpectante, apparuit; quæ perpendiculariter radios in Crucis ſummitatem influere cœpit: quo populus prodigio exhilaratus, mox diuinæ laudis in cælum voces effert, diuinámque in ea Conuentus fundatione in ſe collatam clementiam agnoſcit.

6 Hoc etiam, & ſequenti anno, Deo hominum ſcelera vlciſcente, cùm tam dira lues totam penè Germaniam occupaſſet, vt ex Heluetia bis centena hominum millia è medio tulerit, Capucini Fratres antiquam pietatem haud obliti, ſedulam in ſingulis vrbibus operam nauarunt; ita vt ex noſtris nunquam defuerint, qui contagio laborantibus omni charitate, neceſſaria, tum animæ, tum corpori miniſtrarent. In hoc fraternæ charitatis miniſterium, dum plerique omni ſtudio incumbunt, ex his nonnulli plurima cum pietate vitam profundunt. Vrbanus à Leuco, Luceriæ; Petrus Martyr Viennenſis, Appenzellæ; Simon à Marchetorff, Francofurti; Michaël Angelus Badenſis, Suittiæ; atque hi omnes Concionatores. His & Sacerdotes accedunt, Rodulphus à Pfert, Friburgi; Damianus à Repeſchuil, & Siluanus à Francofurti, Suittiæ; ex Laïcis, Leo Lucerienſis, Luceriæ; & Leonardus è Dictencheim, Suittiæ. Præter hos enumerantur, Simplicianus Conſtantienſis, Felicianus Francofurtienſis, & Dionyſius Friburgienſis Briſgoïus; ex quibus duo priores Suittiæ; tertius Fravvenfeldæ pio in munere occubuerunt: quorum memoria in benedictione eſt, & digna in cælo merces.

*Capucini peſte infectis ſeruientes pro charitate occumbunt.*

His & alij Viri virtute, ac ſanctimonia illuſtres ſuccedunt: inter quos primus enumeratur Fr. Matthias Salodienſis, Concionator: cuius cùm tam præclara geſta, ac vitæ exempla fuerint, vt diuinam, & copioſam poſt mortem miraculorum ſibi atteſtationem comparauerint; hæc paulò pleniori ſtilo à nobis exaranda ſunt.

## *Vita, & geſta Fr.* MATTHIÆ *Salodienſis, Concionatoris.*

7 Salodium amplum Brixiani agri oppidum, elegans, & mercimonio clarum, ad Benaci Lacus ripam iacens; natale Matthiæ ſolum, ac patria fuit: qui ex honeſta Belintanorum familia piis parentibus natus, vix decimumſeptimum annum attigit, cùm vniuerſa mundi oblectamenta, velut ſtercora arbitratus, veras in Crucis amplexu apud Capucinos delicias ſibi quærendas duxit; Matthiæque nomen ſortitus, cum eo tam præclarum apoſtolicæ vitæ tyrocinium inſtituit, vt nulla, quæ apoſtolicum hominem præſtaret, virtus illi deeſſe videretur.

8 At verò, quo ordine is virtutum ſtructuram aggreſſus fuerit, opportunè declarandum. Primùm ille orationem, velut cæterarum virtutum baſim, ac fundamentum ſibi ponendam ſtatuit: cùm enim ex Chryſoſtomo didiciſſet, orationem virtutum omnium officinam eſſe; illúdque animæ robur præſtare, quod nerui corpori conferre ſolent: ita vt, quemadmodum corpus diſſectis neruis, neque ſtare, neque vegetare, neque progredi vllo modo valet: ita ſi orationem ab animo tollas, eum non modò virtutibus vacuum; ſed & in vitia ruentem tibi fingas, neceſſe ſit. Denique, (vt idem ait,) *Cum videro quempiam non amantem orationis ſtudium; nec huius rei feruida, vehementíque cura teneri; omninò mihi palam eſt, eum nihil egregiæ dotis in animo poſſidere.* Hinc cùm aſſiduum orationis ſtudium ita ſibi ab exordio conciliandum curaſſet, vt eidem poſt Matutinas Horas vſque ad primam diei Horam perpetuò vacans, pleraſque etiam interdiu, iis orationis horas adiungeret, ex qua ſe quicquid, tum ad ſenſus mortificandos, ac vitia debellanda, tum ad virtutes aſſequendas, à Deo cæleſtis opis acceperat, proculdubiò hauſiſſe affirmabat.

Chryſoſt. libr. de orand. Deũ.

Idem lib. 1. de orand. Deum.

*Spiritualis vitæ tyrocinium ab oratione inſtituit.*

9 Hinc carnis, & ſenſus voluptates ita coërcere didicerat, vt integra quadraginta

dierum ieiunia panis, & aquæ inedia celebraret. Neque id ſemel, cùm enim poſt philo-
ſophica, & theologica ſtudia ad concionandi officium aſſumptus, Salodij Dei verbum,
toto Aduentus tempore anno 1581. diſſeminaret, qua die concionem ad populum habe-
ret, ſolo pani vinum, quo ſtomachum refoueret, adhibere conſueuerat: cæteris verò die-
bus intermediis, ſicut famem ſolo pane; ita ſitim ſola aqua extinguere ſolebat. Quadra-
genarium S. Michaëlis ieiunium, quod inter S. P. noſtri Franciſci ieiunia adnumeratur,
tam ſingulari cultu complectebatur, vt illud aliquando panis, & vini inedia proſequutus
fuerit: neque id ſatis; binos enim vtplurimùm cuiuſlibet hebdomadæ dies, ſolius panis, &
aquæ refectione ſaginabat.

Guſtus denique ſenſum tam ſeuera lege coërcuit, vt non modò à cognato vitio
abſtinere; verùm & ab iis, quibus rectè vti poterat, ſeipſum compeſcere coëgerit: cùm 10
enim maximè in fructuum eſum propenderet, ne ſenſus ea voluptate frueretur, triginta
*Senſus omnes cupiditates coërcet.*
annorum ſpatio ab iis illius cupiditatem continuit. At neque minor illi in cæteris ſenſuum
oblectationibus edomandis cura, ac ſollicitudo erat: ſedula nanque ſuiipſius abnegationis
exercitatione, ita immoderatos omnes, tam exterioris, quàm interioris hominis motus fræ-
nauerat, vt nemo triſtem, nemo plus æquo exultantem, nemo turbatum vnquam viderit.
Læta illi, ac ſerena ſemper facies erat, quæ tranquillum animi ſtatum, quo intus potiebatur,
indicaret. Hinc aliqua laceſſitus iniuria, aut calumniis oppetitus, quod haud rarò illi conti-
git, eam animi moderationem ſeruabat, qua non modò ſibi ipſi imperaret, ac tumentes
paſſionum fluctus confringeret; verùm ita ſedatos haberet, vt ne criminatores quidem alia
ratione ſibi agnoſcendos putaret, quàm vel vt iis beneficia rependeret; vel pro iis ad Deum
preces funderet.

Hæc illi cùm aſſiduum orandi ſtudium adminiſtraret, maiores quoque animo virtutes, 11
quibus ſe ad perfectam apoſtolicæ vitæ formam componeret, abundè ſuppeditauit. Obe-
dientiæ, humilitatis, patientiæ, paupertatis, caſtimoniæ, ac totius regularis obſeruantiæ
virtutes prætereo, quibus ita abundè inſtructus fuit, vt earum ſe omnium aliis normam
præberet: verùm eas tantùm virtutes, quæ non ad ipſius tantummodo mentis ornamen-
*Italiæ vrbes apoſtolica prædicatione percurrit.*
tum; ſed ad aliorum quoque commodum, atque vtilitatem ſpectant, libet attingere. Vir
hic in primis, tam ardenti, ac Seraphico charitatis zelo ad animarum ſalutem ferri, támque
apoſtolico ſpiritu Dei verbum diſſeminare viſus; vt cùm inter illius tempeſtatis Concio-
natores prædicationis gratia plurimùm antecelleret; admirabilis nomen ſibi apud omnes
compararet. Hinc cùm illuſtriores Italiæ vrbes euangelica prædicatione percurriſſet; Me-
diolani Dei verbum proponens, illud à S. Carolo, tunc illius Vrbis Antiſtite, qui illius au-
ditor fuit, laudis encomium tulit; vt palam eum verum euangelici ſermonis ſatorem, &
apoſtolico ſpiritu imbutum eſſe affirmauerit. 12

Quadraginta Horarum orationem, quam Ioſephus Fernenſis, (quemadmodum in pri-
mo horum Annalium Volumine indicatum fuit,) primus inſtituit, Matthias ita excoluit;
vt is primus, ſermonibus per ſingulas horas diſtributis, celebrauerit; ita vt nouus illius
Inſtitutor viſus fuerit. Cùm verò toto illo quadraginta Horarum ſpatio, ab Altari nun-
quam recederet; neque ſomni, neque refectionis vllius, niſi fortè tenuiſſimæ, ab eo ratio
habebatur. Tanta verò vbique ex huiuſmodi ſermonum pietate animarum commotio
cernebatur, vt & grauiſſimis criminibus irretiti, publicè peccata deteſtarentur; & qui diu-
turnis in odiis, ac ſimultatibus computruerant, depoſitis odiis, ſponte pacem inirent. Id Ber-
gomi, Brixiæ, Bononiæ, Saonæ, Peruſiæ, Interamnæ, Spoleti, qua in vrbe ſex ſupra trigin-
ta capitales inimicitiæ extinctæ fuerunt. Demum vbicunque quadraginta Horarum ſer-
mones ab eo celebrabantur, morum corruptiones, & ſimultates exulabant. Neque id mi-
rum: cùm enim longa ſemper oratione prædicationem anteuerteret, eámque apoſtolicæ
vitæ exemplis communiret; inde prædicationis verbum ex illius ore, quaſi gladius acutus
procedebat: & ſicut ſagittæ in manu potentis, omnium corda penetrabant. 31

*Prædicans in pane, & aqua ieiunat.*
Pluribus Matthias annis in Vmbriæ Prouincia verſatus, cùm Interamnæ, quadrageſimali
tempore prædicationis officio fungeretur, quò faciliùs populum multis tunc vitiis conta-
minatum, ad pœnitentiam pertraheret; quotidianum prædicationis laborem, quotidiano
etiam panis, & aquæ ieiunio recreauit: quo factum eſt, vt plurima inde animarum lucra
Deo retulerit.

14 Brixiæ aliquando Dei verbum diſſeminans, vrbis illius Epiſcopum adduxit, vt veſpertino tempore mentalis orationis horam in Eccleſia Cathedrali publicè agendam ad morum correptionem, & pietatis incitamentum inſtitueriit: quæ deinde à S.Carolo approbata, Mediolani quoque ab eodem introducta fuit. Huius rei gratia Matthias tunc libellum, qui *Prima orationis mentalis pars*, inſcribitur, compoſuit: qui deinde prælo datus, omnium ferè manibus teritur.

15 Vir ingenio, & doctrina plurimùm antecelluit: quamobrem Prælectoris ſæpè officio functus, multos in philoſophica, & theologica diſciplina Auditores habuit; qui ſcientia, ac prædicatione in Religione floruêre. Multa quoque Volumina edidit, quæ Auctoris ingenium, ac pietatem plurimùm commendant. Ex his quædam eo adhuc ſuperſtite, quædam verò poſt illius vitæ occaſum typis euulgata fuêre. Quæ illius obitum anteceſſerunt, hæc ſunt.

*Voluminum ab eo editorũ ſynopſis exeritur.*

*Praxis orationis mentalis in quatuor partes diuiſa, Italico idiomate conſcripta.*

*Introductiones ſcripturales in Sermones S. Bonauenturæ, & Euangelia à Dominica in Albis vſque ad Aduentum Domini excluſiuè.*

*Sermones octo de doloribus Chriſti, quatuor aliis Concionibus adiunctis.*

*Breuis tractatus de oratione quadraginta Horarum, & piæ quædam exercitationes de Paſſione Chriſti.*

*Oratio funebris in obitu Alexandri Luzagli, nobilis Brixiani.*

Poſthuma verò ſunt.

*Theatrum Paradiſi, ſiue Piæ Meditationes de gloria cæleſti.*

*Meditationes, ſeu Corona de Vita Chriſti.*

*Confortatorium eorum, qui morte plectendi ſunt.*

*Præparationes ad Miſſam, & Meditationes Paſſionis Chriſti.*

*Conciones quadrageſimales quadruplices iuxta ritum Ambroſianum.*

*Exaggerationes morales pro Concionatoribus.*

Alia quoque volumina ſuperſunt, quæ propediem in lucem edenda erunt.

Cæterùm, ex eodem orationis fonte, tantam Vir hic eximius animo conſilij lucem, ac prudentiam hauſerat; vt cùm vniuerſas prudentiæ partes aſſequutus videretur, ad ardua quæque, ac difficilia, tum agenda, tum peragenda virtutem ſortitus eſſet. Duo quippe ex Philoſophorum ſententia ſunt, quæ virum prudentem conſtituunt: quorum alterum eſt, mens diſciplinis, ac multarum rerum cognitione erudita: alterum, rerum vſus, & exercitatio. Neque enim, qui rerum vniuerſalium contemplatione tantùm animum imbuit, ad prudentiam ſatis idoneus eſt; cùm ad ſingula perpendenda cæcum animum habeat: neque, qui ſola rerum experientia potitur, perfectè prudens dici poteſt, cùm ratiocinatione careat, qua in agendis duci debet.

*Magna in Religione prudentia fulget.*

16 Duplicem hanc prudentiæ partem Matthias, ita ſcientia, ac diuturno rerum vſu, atque experientia ſibi comparauerat, vt cæleſti quoque ſapientiæ luce, quæ ex aſſiduo orationis ſtudio in eum diffundebatur, accedente, is ad ampliores Ordinis honores, ac dignitates, maioráque ac difficiliora Religionis negotia gerenda vocaretur. Ipſius ſiquidem multiplici, tum in regularis obſeruantiæ zelo, tum in rebus agendis prudentia perſpecta; non modò in Mediolanenſi Prouincia, atque in Brixienſi, quo tempore ea à Mediolanenſi diſſecta fuit, Prouincialis Miniſtri officio functus fuit: ſed & Diffinitoris Generalis gradu conſcenſo, tantam prudentiæ laudem conſequutus eſt, vt priùs in Galliam ad Pariſienſem Prouinciam ſua auctoritate ſtabiliendam Commiſſarius Generalis deſtinatus fuerit; vt in primo Annalium Volumine explicatum fuit: tum à Laurentio à Brunduſio, Generali Miniſtro, in Germaniam eadem cum poteſtate miſſus, nonnullos in Pragenſi vrbe illuſtriores viros ſua prædicatione ad Catholicæ Eccleſiæ gremium perduxit.

*Præcipuis in Religione honoribus fruitur.*

17 Hoc porrò in itinere, cùm per Danubium fluuium iter faceret, nauigium, quo vehebatur, ita arenæ infixum adhæſit; vt inde nulla nautarum vi, aut arte auelli poſſet: quo tempore, vt Viri ſanctitas, Deo potiſſimùm agente, omnibus innoteſceret, Matthias verbo viam indicans, quò nauigium progredi deberet, eò ſtatim nauigium diuino velut præcepto compulſum, ferri cœpit. Rurſus, cùm ſacrorum myſteriorum ce-

lebrandorum deſiderio teneretur, ſeſquihora nauigium tantùm itineris conficit, quan-
tùm tribus aliàs horis vix perficere conſueuerat. Quot verò in vtraque, tam per Gal-
los, quàm per Germanos peregrinatione ab Hæreticis contumelias ſuſtulerit; quot peri-
cula diuinitùs euaſerit; quantis denique laboribus, inuicto ſemper animo, perfunctus fue-
rit; haud facilè quis referre queat.

Poſtremò, tot huius Viri virtutes fuêre, vt eas quiſque admirari potiùs, quàm oratio-
ne aſſequi valeat. Virginitatem perpetuam coluit; tantóque mentis candore præditus le- 19
gitur, vt cùm Mediolanenſis Prouincia à Brixiana diuidenda eſſet; ob eam tantummodo
cauſam, quòd is diuiſioni ſuum duntaxat aſſenſum præbuerit, tam illum huius facti con-
ſcientia pupugerit, vt quadraginta dierum ieiunium, quod ſolo pane, & aqua celebrauit,
ſponte ſibi ad illius expiationem elegerit.

*Epiphaniæ ieiunium cur maximè obſeruandum cenſeret.*

Epiphaniæ ieiunium, tam ſingulari obſeruatione proſequutus eſt, vt tandiu Religio- 20
nem integro regularis obſeruantiæ ſtatu potituram fore affirmaret, quandiu illud ſoſpes
in ea ſeruaretur. Eiuſque rei cauſam reddens aiebat, hoc Epiphaniæ ieiunio Fratres Dei
ſibi benedictionem vendicare, qua freti, Religionis obſeruantia ſemper ſtabilis futu-
ra ſit.

Regularis obſeruantiæ propugnator acerrimus fuit: quam ob cauſam variis à Deo 21
donis cohoneſtatus, orans ecſtaſes, ac raptus paſſus aliquando fuit. Candida quoque
aliàs orantis capiti columba inſidere viſa. Brixiæ, cùm Valerius Gauardenſis, Laicus,
calculorum morbo grauiſſimè affligaretur, Matthias ad eum: Valeri, (inquit,) æquo
animo eſto: iam Deum pro tua incolumitate rogaturus ad orationem accedo. Cùmque
his dictis ſe ad orationem contuliſſet, vix vnius horæ ſpatio elapſo, effugato dolore, is
ſe prorſus incolumem ſenſit. Spiritu quoque prophetico, dum Henricus IV. adhuc pro
Galliæ Regno obtinendo decertaret; Regnum tandem in eius poteſtatem deuenturum;
verùm poſt hæc ferro perimendum prædixit. Franciſco Principi Caſtillioneo maſculam
prolem, atque alia præſignificauit: quemadmodum idem Princeps ſuis litteris teſtatur.
Narniæ itidem Viro Ordinis deuoto, qui vxoris ſterilitatem lugebat, maſculi ortum
prænunciat.

*Præclara ſũmorum Virorum de ipſo elogia.*

Tantæ præclarus hic Dei ſeruus apud illuſtriores, ac notæ ſanctimoniæ Viros, exiſti- 22
mationis fuit; vt eum S. Carolus aliquando, tanquàm Virum apoſtolicum commendaue-
rit. Franciſcus Panicarola, Epiſcopus Aſtenſis, & Concionator celeberrimus, Matthiam
inter Eccleſiæ Patres adnumerari poſſe paſſim affirmabat. Federicus Borromæus, S.R.E.
Cardinalis, ita Matthiæ doctrinam, & ingenium ſuſpiciebat, vt de eo aliquandò aſſeue-
rauerit, quòd Auguſtinus de filio Adeodato dicere ſolebat: Ingenium illud mihi terroris
erat. Spinellus, S.R.E. Cardinalis, tantoperè huius ſerui Dei ſanctimoniam venerába-
tur; vt cùm apud Germanos Legati à latere munere fungeretur, pictam ipſius imagi-
nem ſuo in cubiculo gereret; ſéque per litteras illius orationibus commendaret. Ro-
bertus Bellarminus, S.R.E. Cardinalis, doctrina, ac vitæ integritate illuſtris, cùm ſerui
Dei miracula, quæ poſt ipſius obitum à Deo patrata fuêre, percepiſſet: Haud (inquit)
hæc Matthiæ miracula admiror: Vir enim, quaſi oliua fructifera fuit in Eccleſia Dei. 23
Denique Martha, mulier Spoletana, quæ hac ipſa tempeſtate nota vitæ ſanctimonia in
Vmbria floruit, illuſtre ſeruo Dei encomium conflans, hæc aliquando de illo aſſeruit:
Matthiam ardentem Dei lucernam eſſe paucis cognitam; cuius tamen lux poſt
ipſius obitum cunctis perſpicua futura eſſet. Quod reipſa deinde comprobatum fuit,
quamplurimis poſt illius occaſum ſignis coruſcantibus, vti mox indicabitur.

*Suprema ipſius in morte verba expẽduntur.*

Cùm igitur fidelis hic Dei ſeruus diu in vinea Domini impigrè laboraſſet; pondus 24
diei, & æſtus tuliſſet; credita ſibi talenta Deo multiplicata reddidiſſet; plurimis quoque
piè pro Religione laboribus perfunctus fuiſſet; mercedem à Domino accepturus, Brixiæ
acuta febri afflictari cœpit. Qua in dies ingraueſcente, cùm animum generali peccato-
rum confeſſione expiaſſet, ſuprema hæc collectis Fratribus verba animo inſculpenda re-
linquens: *Fratres,* (inquit,) *extrema hæc vitæ periodus vobis ſemper ante oculos verſetur;
nihilque actum putate, niſi hæc optimo fine claudatur.* Septuagenario maior ad immortales
conceſſit. Vixque ipſius obitus fama per vrbem diffuſa fuit, cùm innumera hominum
turba ad Monaſterium confluit; defunctíque corpus in Eccleſiam delatum, quiſque at-

tingere,

tingere, oſculari, venerari contendit; cuius dum teneram carnem, artus flexibiles, vultum dormientis potiùs, quàm mortui ſpeciem præferentem cernunt; cuncti in habitum ruunt, tótque ex eo particulas, deuotionis cauſa præſcindunt, vt nudatum corpus, bis, térque nouo habitu contegi opus fuerit. Iuſtis defuncto perſolutis, mox Prætoris auctoritate, corpus ſarcophago occluſum, ſeorſim repoſitum fuit, hoc illi Epitaphio inſcripto:

## D. O. M.

*Admodum R. P. Matthiæ Bellintano à Salodio, Capucino Theologo, & Concionatori eximio; qui ſummas in Religione adminiſtrationes aſſequutus, cùm illuſtrioribus Europæ ciuitatibus quinquaginta annorum ſpatio, maximo cum animarum lucro, verbum Dei diſſeminaſſet; confectus ſenio, ac plenus virtutibus obiit die* 20. *Iulij, anno* 1611. *Ætatis verò ſuæ* 77. *Religionis* 58.

25 Poſt huius Sancti Viri mortem, plurimis Deus Opt. Max. vitæ illius ſanctimoniam ſignis illuſtrare voluit: ſecundo enim poſt ipſius ſepulturam die, Eliſabetha Poiena, trium annorum puella, quæ frontem, ac mentum tabido vlcere corruptum gerebat, cùm à patre Matthiæ habitus particula in fronte, ac mento veſpere obſignata fuiſſet; mane ab vtroque vlcere Sancti Viri merito ita curata fuit, vt nec vlcerum veſtigia apparerent. *Plurimis poſt mortem miraculis ſplendet.*

26 Apollonia de Oliueris, Brixiana, cùm vnius menſis ſpatio matricali paſſione afflictata fuiſſet; neque ab ea vllo remedio leuari poſſet; menſe necdum poſt B. Viri mortem elapſo, ipſius opem deprecata, votóque de ſepulcro illius viſitando, ac B. Virginis ibi Corolla recitanda, nuncupato; cùm habitus illius particulam doloris loco admouiſſet; illicò ſibi dolorem minui, ac breuiſſimo temporis ſpatio penitùs auferri ſenſit.

27 Olympia Brixiana hoc ipſo tempore graui ſtomachi dolore cruciabatur, cùm audita miraculorum fama, quæ Matthiæ inuocatione fiebant, ipſius merita implorans, ceream ſtatuam, ſi optatam incolumitatem ferat, ſe ipſius ſepulcro appenſuram pollicetur. Vix votum pronunciauerat, cùm os ſtomachi ſibi ab inuiſibili manu refoueri ſentiens, protinus à dolore liberatur.

28 Eodem anno Ioannes Petrus de Zannis, Brixienſis, grauiſſimis doloribus cruciatus, ne minimo quidem temporis interuallo, vlla requie frui poterat, cùm ſerui Dei miraculis permotus, illius ſibi præſidium inuocat, votóque de picta illius imagine ad ſepulcrum apponenda emiſſo, oppidò illi dolores ſedari cœpêre: & vix quatuor, aut quinque horarum ſpatio interlapſo, ab iis liber omninò, & incolumis euaſit.

29 Iiſdem ferè doloribus, ac fortè grauioribus, cùm Praxedes Oliueria Brixienſis, ad inſaniam vſque vexari ſoleret; conſuetam vexationem præſentiſcens, qua ad octauam vſque horam afflictari conſueuerat, omni pietate Matthiæ nomine inuocato; atque ipſius habitus particula ſibi renibus admota, protinus ſiſtunt dolores, ac breui vnius horæ interuallo omninò fugantur.

30 Franciſcus Aſtolfinus hoc ipſo anno 1611. dextri pedis dolore ita læſus, vt vix progredi valeret; Matthiæ ſanctimoniam publica oratione, Brixiæ, in S. Laurentij Eccleſia habita, celebrari audiens, dum his illum verbis interpellat: O Matthia, iam tuis me è Cælo præſidiis adiuua: vt à maximo hoc pedis dolore liber fiam. illiúſque habitus ſegmine pedem ſibi obſignans, mox à dolore liber ita incolumis ſurgit, quaſi eo nunquam affectus fuiſſet.

31 Iulia Beſſania, deſperata à Medicis valetudine ægrotabat: quo tempore Ioan. Paulus, Brixienſis Capucinus Sacerdos, eius germanus frater, cùm Matthiæ, qui pridie ſepultus fuerat, è Cælo opem imploraret; primùm quidem, miteſcente morbo, moribunda in ſpem ſalutis aſſurgit; tum paulatim perfectè conualeſcit. *Ægrotos ad illius ſuffragia confugiẽtes curat.*

32 Fr. Remigius Triumpilinus, Ordinis Capucinorum Laïcus, laterum dolore ad mortem laborans, cùm habitus Matthiæ præſegmen malè affecto lateri adhibuiſſet, mox ad vomitum prouocatur, ac breuiſſimo pòſt tempore incolumis redditur.

Catharina Comenciola vndecim annorum puella, à Dæmone obſeſſa, nullo exorciſmo-
rum genere, diu fruſtrà à variis Exorciſtis adhibito, liberari potuerat; cùm Marina mater 33
Matthiæ opem ad filiæ liberationem implorans, ſi liberam filiam recipiat, per biennij ſpa-
tium cineritia eam veſte vſuram, tabellámque beneficij accepti teſtem, illius ſepulcro ap-
penſuram pollicetur. Hac promiſſione cùm filiam S. Viri ſepulcrum adire iuſſiſſet: ea,
dum in Eccleſia orat, fœtida ex ore euomit; móxque à Dæmonum obſeſſione libera, ab
iis nunquam deinceps vexata fuit.

Scholaſtica Monaſterij S. Spiritus Brixianæ vrbis, cùm febri, & tuſſi ita aggrauaretur,
vt nullus nocturnæ quieti illi locus eſſet, Matthiæ, cuius monogramma ad lectuli pedes 34
gerebat, ſibi in præſidium inuocans, eundem ſibi apparentem cernit, qui digito illius os at-
tingens, ait: Ne dubites, filia, à tuſſi deinceps non vexaberis. Móxque dulci ſopore cor-
repta, deinceps à tuſſi conualuit.

Seraphina Brixiana, S. Chriſtophori Monialis, tam graui cephalalgia laborabat anno 35
1612. vt præ capitis dolore, neque cibum ſumere, nec quieſcere, imò neque ipſa luce frui
valeret. Quamobrem Aurelia, eiuſdem Monaſterij Monialis, quæ multa de Matthiæ
ſignis audierat, ægram ſororem obnixè eiuſdem ſuffragiis commendat. Cúmque Matthiæ
habitus particula ter in veſpere caput ipſius obſignaſſet; obdormiens ægra manè incolumis
ſurrexit.

Ferrariæ, Entij Bentiuolij filius adhuc puer, ab alto dilapſus, ſibi ita corpus contriuerat, 36
vt vnius vix horæ vita à Medicis illi præſcriberetur: quo tempore Catharina mater, miſſo
ad Guardianum nuncio, pro filio preces à noſtris ad Deum fundi poſtulat: qui cùm Mat-
thiæ habitus particula obſignatus fuiſſet; votúmque de ipſius ſepulcro viſitando à matre
nuncupatum fuiſſet, inuocata quoque B. Antonij Vlyſipponenſis interceſſione, poſtridie à
periculo liber, & incolumis euadit.

In eadem vrbe hoſpes quidam diuerſorius angina laborans, cuius ſalus à Medicis deſpe- 37
rata erat; ad ſerui Dei opem poſtulandam à noſtris prouocatus, cùm ipſius ſepulcrum
præſens venerari, atque imaginem ceream eò appendere voto ſpopondiſſet; ſecundo poſt
votum die incolumis, ſua in vrbe negotia geſſit.

Iulius Cocionius, eiuſdem vrbis incola moribundus, cui iam funera parabantur; vix
habitus Matthiæ particulam collo appenſam accepit, cùm in vitam ſimul, & incolumita-
tem, omnibus admirantibus aſſurgit.

Bartholomæus à Turculis in Solerani oppido ita morbo prægrauatus, vt extremæ Vn- 38
ctionis oleo inunctus, vitæ tantùm occaſum expectaret; cumprimùm Matthiæ habitus
particula obſignatur, protinus exclamat: Benè valeo. ac poſtridie è ſtrato ſurgens, ſuas in
oppido res curat.

Sanctia Taurlina diu oculorum ægritudinem tulerat, cui cùm nulla Medicorum reme- 39
dia fruſtrà tentata profuiſſent; ſimul atque oculis Sancti Viri habitus particulam, ea ſignum
Crucis formans, adhibuit; ab ea curata fuit. Eodem oculorum morbo, & Gada de Peuo-
lis, eiuſdem habitus particulæ contactu, repentè perſanatur.

Lucia de Capitaneis triduo grauiſſimis crurum doloribus afflicta, cùm nulla Phyſico- 40
rum arte ab iis leuari poſſet; voto de adeundo Matthiæ ſepulcro, ac B. Virginis Corolla
ibi recitanda facto, protinus ſopore correpta fuit: ex quo experrecta, ab eo ſe dolore li-
beram ſenſit.

Petrus Bonfadius, Salodienſis Iuriſperitus, Brixiam ad nundinas profectus, tam graui 41
ibi renum, ac laterum dolore afflictari cœpit, vt vix ſeipſum dimouere poſſet: quapropter
ad Matthiæ ſepulcrum, licèt ægrè, accedens, cùm illud veneratus eſſet, ac Dei ſerui ſibi è
Cælo opem poſtulaſſet; inde perſanatus domum rediit.

Maria Caſta Sebina, (vulgò, d'*Iſeo*,) cùm diu graues crurum cruciatus paſſa fuiſſet, poſt 42
varia ad eos curandos remedia fruſtrà tentata; ad ſerui Dei Matthiæ ſuffragia confugiens,
habitus eius particulam cruribus adhibet, repentinámque crurum curationem diuinitùs
aſſequitur.

*Alij ab eo ægroti perſanantur.*

Pleraque alia Sancti huius Viri interceſſione, collata ægris è Cælo beneficia referuntur: 43
quæ cùm non ſtatim, ſed tractu temporis, licèt breuioris, perfecta fuerint, ea indicare po-
tius, quàm explicare libet. Vincentiæ, Valeria Vincentij Bertoldi vxor, Matthiæ nomine

inuocato, à partus periculo liberatur. Ioannes Baptiſta Iacominus, Salodienſis, à pedis luxatione; Franciſca Patritia, ab oculorum lippitudine; Catharina Taurlina, & Ioannina Soleranenſis, à febri continua; Marci Torcoli filius, à macula, quam in altero oculo gerebat; Iulia Bradega, à fluxu pituitæ, qua ſuffocabatur; Martha de Caſtellis, à ſiniſtræ manus dolore; Catharina Scaramucia, à febri maligna; Fr. Simon à Canderino, Capucinus Laicus, à diuturno ſplenis morbo; Fr. Creſcentius Brixianus, Sacerdos, à laterum dolore; Fr. Symphorianus Soncinas, Laicus Capucinus, à febri, & cephalalgia; Matthiæ habitus particula perſanantur.

44 Præter enumeratos, Catharina Rainera, Brixienſis, à variis corporis languoribus; Maria de Veciolis, grauiſſimis doloribus cruciata; Ludouicus Prægnachus febri continua ægrotans; Æneæ Threnæ Comitis filius, malè toto corpore affectus; Iuſtina S. Spiritus Brixianæ vrbis Monialis, continua febri laborans; Prudentia S. Chriſtophori in eadem vrbe Monialis, ab odontalgia; Fr. Geruaſius Veronenſis, Sacerdos Capucinus, ab alterius brachij languore; Fr. Creſcentius Brixianus, ex noſtris Sacerdos, ex graui ægritudine; Sancti Viri ſibi merita, opémque apud Deum implorantes curantur.

45 Hoc pacto, qui dum adhuc mortali aura frueretur, ſicut oliua fructifera in Domo Dei; demum velut procera illa arbor cælum contingens, de qua Daniel. 4. ex qua vniuerſorum eſca procedebat; plurimos ſua doctrina, ac ſanctimonia pauit, iam ad cæleſtia migrans, quaſi trames aquæ immenſæ de fluuio, & quaſi fluuius Dorix, & ſicut aquæductus exiens de Paradiſo, vniuerſos donis cæleſtibus inebriat.

46 Poſtremò illud ſilentio non obuoluendum, quod poſt multos ab illius ſepultura annos, haud abſque ſumma omnium admiratione viſum fuit. Reliquo nanque corpore exeſo, & in arenam reſoluto, lingua, ac duo dexteræ illius manus digiti, nimirum, pollex, & index tam integri, & incorrupti apparuêre; vt niſi diuina virtute ſeruatos, nemo dubitari queat. Quò cunctis non obſcurè perſpectum eſſet, apoſtolicæ huius Sancti Viri prædicationi; necnon ſacrorum Voluminum ſcriptioni, diuinum ipſum teſtimonium, & approbationem accedere: quorum modò in Cælo præmiis inter apoſtolicos Viros, & Doctores perfruitur.

47 Poſt Matthiam hoc ipſo anno, in Picenti Prouincia, tanta virtutum, ac diuinorum chariſmatum copia abundat Fr. Leonardus à Montealto, vrbe Piceni, Laicus, vt non fruſtrà eum electum ex millibus appellare liceat: in quo ſuprema Dei bonitas ineffabiles ſuauitatis ſuæ diuitias effunderet. Hic enim à teneris annis diuina benedictione præuentus, tam pia in res diuinas, ac præcipuè in Capucinorum Ordinem propenſione ferri cœpit; vt cumprimùm eò aduentantes Capucinos conſpiceret, in eorum protinus ſinum aduolaret; fauſtúmque, ac hilarem diem illum duceret, in quo eorum aſpectu frueretur. Hac porrò pietate ſimul cum ætate adoleſcente, cæleſtes ad præſtantius vitæ genus à ſæculi tumultu remotum amplectendum, ſtimulos animo præſentiſcere cœpit: veruntamen cùm necdum perfectam Dei charitatem aſſequutus eſſet, parentes, fratres, ſorores, amicos, patriámque relinquere, cunctíſque humanæ vitæ commodis valedicere, naturæ potiùs quodam amore, quàm vitij alicuius cupiditate ductus, refugere videbatur: quo tempore crebris, apertíſque B. P. Franciſci apparitionibus vellicatur, qui ſe illi ſæpenumerò Capucinorum habitu tectum oſtendens, eiúſque animum ad præſtantiora attollens, hæc illi verba inculcabat: Leonarde, Capucinorum te caſtris adiunge. His B. Patris vocibus, & aſpectu, cùm Leonardi animus magis in dies à ſæculi amore auulſus, apoſtolicæ vitæ ſtudio inflammaretur; diuinis tandem conſiliis ſibi obtemperandum ſtatuit; puruſque, ac nulla carnis labe contaminatus ad Religionem accedit.

*Vita, & geſta Fr. LEONARDI à Montealto, Laici.*

*B.P. Franciſcus apparēs illum ad Capucinos prouocat.*

48 Porrò hæc animi puritas, ac virgineus candor, tot in Religione ſibi comites virtutes adiunxêre, vt deliciarum Domini hortus videretur: in quo omnium euangelicarum perfectionum genera conſita eſſent: ibi enim mundi contemptus, ibi ſuiipſius odium, ibi mentis humilitas, ibi cæca obedientia ſacrificiis omnibus melior, ibi inuicta malorum tolerantia, aſperæ carnis caſtigationes, ibi nuda rerum omnium paupertas: ibi tandem excellentiſſima Dei, ac proximi charitas, ſuos vbique odores efflabat.

49 Inter has verò potiſſimùm ſeſe efferebat oratio, quæ, cùm roris cuiuſdam cæleſtis inſtar, vniuerſos virtutum flores perfunderet, cunctorum etiam odoramenta prouocabat: quamobrem Sponſus ille cæleſtis, qui huiuſmodi odoris ſuauitate delectatur, facileque ab his

attrahitur, qui cum oratione eximiam animi puritatem, ardentiſſimæque charitatis incendium coniunctum habent; cùm hæc in Leonardo ſpectaret; haud mirum, quòd tam familiariter, támque copioſè ſeſe illi in oratione inſinuaret; vt ſæpiſſimè in mentis exceſſus raptum, ſibi illum amantiſſimè copularet:

*Illum B.Virgo pleraque edocet.*

Auximi is aliquando orâbat, cùm ſpiritu ad ſacras Lauretanas Ædes raptus, non-
nulla à Beatiſſima Virgine cæleſtia documenta accipit; atque inter hæc, vt quinquies 50
in die, ſumma animi humilitate, pro acceptis beneficiis Deo gratias ageret: tum verò, vt ter quotidie pro Eccleſiæ neceſſitatibus, quæ tunc maximè vrgebant, Dominicam orationem cum Salutatione angelica deuotè perſolueret. Geſtabat eo tempore ſacra Deipara in ſinu dulcem IESVM infantulum, in quem cùm Leonardus oculos intenderet, tanto illius mens amoris ardore colliquefiebat, vt cùm præ illius deſiderio æſtuans, ſe integrè illi poſſidendum traderet; diuinus ille puer ſacro nummo, quem manu gerebat, amatorem ſuum donauerit.

Rurſus dum in eodem Auximi Conuentu orat, mente excedens, iterum ad ſacram
hanc Domum, cuius is deuotiſſimus erat, in ſpiritu fertur; vbi Cælorum Reginæ, ac 51
pueri IESV aſpectu dignatus, ab his cæleſtia arcana addiſcit, ac pleraſque conſolationes percipit; quibus cùm ſemper humilior, ac diuina charitate ardentior fieret; contigit tertiò, vt dum Anconæ verſatur, in Eccleſia aliquando orans, diuino monitu in cellam pergeret: quo tempore Satanam, vt ſuum iter impediret, è regione venientem cernens, tam valido illum vocis clamore adoritur, vt ad fugam compulerit. Poſt hæc cellam ingreſſus, in ea puerum IESVM tam pulchrum, tam amabilem, tantóque ſplendore renitentem offendit; vt præ illius amore ebrius, eum inter vlnas aſſumens, chariſſimè ſinu complexus fuerit; diúque cæleſtibus hiſce deliciis potitus, dulcem IESVM in Cælum abeuntem, tenerrimo amoris affectu proſequeretur. Porrò ex cæleſti hoc pueri IESV amplexu, tanta in eum odoris ſuauitas redundauit, vt triduo poſt hæc ſuauiſſimo odore flagraret.

*Pueri IESV amplexu fruitur.*

Iterum, cùm in eodem Anconitano Conuentu orationi vacaret, in mentis exceſ- 52
ſum raptus, B.P.N.Franciſcum in Patriarchæ modum, velut multorum filiorum parentem conſpicit; è cuius vultu tam ingens lucis fulgor emanabat, vt totum orbem illuſtrare videretur: quo ex aſpectu, ad ipſius ſectanda veſtigia vehementiùs excitatus fuit. His Leonardus, atque aliis à Deo donis accumulatus, cùm duos ſupra triginta annos Deo fideliter, atque omni cum virtutum odore famulatus eſſet, Maceratæ pari cum pietatis laude, vitæ curſum exegit.

*Vita, & geſta Fr. BONAVENTVRÆ à Sardinia, Sacerdotis.*

Tertius in Cathaloniæ Prouincia, virtutibus, ac prophetiæ ſpiritu clarus celebratur, 53
Fr.BONAVENTVRA Calaritanus, Sacerdos, qui ex ſæculi mercatura, ad præſtātiorem euangelicæ margaritæ negotiationem à Deo vocatus, multiplicata Deo talenta reddidit. Inter præclaras huius Viri virtutes, quibus abundè exornatus fuit, aſſiduum orationis ſtudium refertur; quam cùm iugi Dei præſentia, quam ſedulò in mente gerebat, perpetuò aleret, ac lacrymarum vtplurimùm imbribus irrigaret; inde facilè omnium illi virtutum germina exoriebantur, ac diuinarum reuelationum fores patefiebant: quibus haud ratò occultas Fratrum cogitationes aperuit.

Fr. Hieronymus Barcinonenſis, cùm in Conuentu S. Eulaliæ, vrbis Barcinonenſis, 54
probationis annum ageret; graues à Dæmone circa fidem tentationes patiebatur: quibus animo afflictatus, cùm in Bonauenturam, qui tunc Conuentum moderabatur, aliquando incidiſſet; ſubſiſtens Bonauentura, illiúſque tentationem, quam à nullo didicerat, aperiens, his illum verbis affatur: Hieronyme, vir modicæ fidei, quare dubitaſti? Alteri quoque Bernardo Nouitio, qui à Dæmone tentatus, ad ſæculum reditum ſecum tantummodo mente verſabat; occultam tentationem aperuit. Hieronymo Attanagienſi, Nouitio, occultum peccatum, quod in ſæculo perpetrauerat, in memoriam reuocat; vt illud in confeſſione aperiat: atque eidem cogitationes, quibus animo, dum in Choro pſallit, diſtrahebatur, haud ſemel indicauit.

*Diuinis reuelationibus potitur.*

Huic in ſomnis aliquando apparuit Fr. Franciſcus Borgerrenſis, Sacerdos defun- 55
ctus, magna triſtitiæ ſigna, vultu macilento, ac pallido præſeferens, qui ab eo interrogatus, num purgatoriis pœnis detentus, ſuffragiis indigeret; eo annuente, pro illo Sa-

crificium,

crificium, & carnis macerationes Deo offert: quibus defuncti anima poſt aliquot dies eodem modo apparens, ac plurimùm ſe refrigeratam aſſerens, noua ab eo ſuffragia poſtulat: quibus à Bonauentura magna charitate exhibitis, illum tertiò hilarem, ac cæleſti ſplendore refulgentem cernit: quæ cùm tunc ſe ad immortalium gloriam conſcendere affirmaret, ſummas illi pro collatis ſuffragiis gratias reddit.

56 Hoc Dei ſeruo in Conuentu oppidi de Ceret, Guardianum agente, res prodigio plena accidit: cùm enim is pia deuotione ductus, mortui hominis caluariam, ad mortis memoriam excitandam, ſibi in cellula repoſuiſſet; cæteri quoque Familiæ Fratres, eiuſdem pietate, & exemplo permoti, ex communi Eccleſiæ illius oppidi Cœmeterio quique ſuam caluariam deligentes, ad ſuas cellulas detulère. Contigit verò, vt ea ipſa nocte, caluariæ per ſingulas cellas diſpertitæ, ingentem ſtrepitum ederent. Mirabantur Fratres, & vnde is ſtrepitus erumperet, ignorantes; patienter quiſque per aliquot dies id moleſtiæ tulit: at ſtrepitu perdurante, cùm alter alteri rem communicaſſet, communémque omnium cellulis ſtrepitum fieri deprehenſum eſſet; cauſam in caluarias reiiciiunt; & ex Guardiani conſilio quiſque ſuam in Fratrum ſepulcro caluariam deponit. Poſt hæc Bonauentura Guardianus noctu in Eccleſia orans, grauem in ſepulcro tumultum, velut inter ſe confligentium percipit, quo obſtupeſcens, cùm propiùs ad ſepulcrum acceſſiſſet, clariùs inde ſtrepitum exoriri deprehendit. Quapropter re cum Paulo Gerundenſi, Concionatore, communicata; quò certiùs res explorata eſſet, vterque prope ſepulcrum intempeſta nocte orat: quo tempore tam ingens oſſium fragor, ac velut mutuus conflictus ab iis auditur; vt lapidem è ſepulcri ore amouere, & quænam illa tumultus cauſa ſit, inueſtigare decreuerint. Amoto igitur operculo, oréque ſepulcri patefacto, accenſa face, ima ſepulcri perluſtrantes, Fratrum caluarias in dextra ſepulcri parte militari ordine, velut ad prælium diſpoſitas; alias quoque ſæcularium Virorum, quas Fratres ex communi Eccleſiæ Cœmeterio decerptas intulerant, à ſiniſtra, velut in aciem inſtructas conſpiciunt. Ex quo cæleſte conſilium agnouère, quo Deus Optimus Maximus id ſibi haud placere declarauit; vt factioſorum, ac perditorum hominum caluariæ, quibus commune illud Eccleſiæ Cœmeterium redundabat, (diu quippe in eo oppido hoſtiles factiones viguerant,) ſimul cum Fratrum, qui fideliter Domino famulati fuerant, caluariis eodem in ſepulcro conderentur. Fratrum quoque animæ, quæ piè in Domino obdormierant, cùm indignam eorum ſocietatem ægrè ferrent; haud mirum, quòd cum iis pacem habere recuſantes, eos à ſua ſede pellere, ac procul abigere niterentur. Quamobrem conſilio inter ſe inito, cùm Bonauentura ſæcularium caluarias clàm ad oppidi Cœmeterium reportandas curaſſet; omnis deinceps ſtrepitus ſiluit. Id quoque hoc exemplo non obſcurè declaratum fuit, defunctorum caluarias ſepulcrum magis, quàm aut cellas, aut alium locum decere; cùm in eo eccleſiaſtica oratione conditæ, annua quoque Sacerdotis benedictione fruantur.

*Memorabile de defunctorum caluariis exemplũ narratur.*

57 Poſtremò, cùm diuturno morbo probata illius patientia fuiſſet; Barcinonæ in Conuentu Montis Caluariæ morte ſolutus, vitæ coronam accepit. Cùm verò octauo ab ipſius obitu menſe, Fr. quidam, Viri ſanctimonia ductus, ex illius pede digitum amputaſſet; ex vulnere recens ſanguis, velut è viuo corpore effluxit.

58 Fr. Modestvs à Nucibus, Apuliæ Peucetiæ oppido, Laïcus, inter Viros huius tempeſtatis illuſtres, qui in Barienſi Prouincia nominis celebritatem conſequuti ſunt, enumeratur; cui id planè contigit, quod apud Matthæum mirabile prædicatur, cùm dicitur: *Nunquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus?* Is enim ex grauioris culpæ ſpina, ſuauiſſimam ſuæ conuerſionis vuam expreſſit; & ex priorum vitiorum tribulis, dulciores poſterioris ſanctimoniæ ficus collegit [illegible] vxorem in adulterio deprehenſam manu ſua trucidaſſet; noxæ huiuſm[illegible] [illegible]ta illius animum pupugit, vt ad eam expiandam, perpetuam ſibi apud [illegible] pœnam elegerit; ita vt illud ſibi Dauidicum vendicare valeret: *Conuerſus ſum in [illegible]mna mea, dum configitur ſpina.*

*Vita, & geſta Fr. Modesti à Nucibus, Laïci.* Matth. 7. 16. Pſalm. 31. 4.

59 Huius Viri tam perfecta ad virtutem conuerſio fuit, vt ſimul atque Religionis gremio exceptus fuit; perfectioris vitæ, quæ in B. P. N. Franciſco, aliiſque præclaris Seraphicæ huius militiæ Viris præluxerat, normam ſibi ſequendam ſtatuerit. Hinc mundo

*Perfectis virtutibus animũ exornat.*

perfectè

perfectè renunciare; hinc ſeipſum omni ſtudio abnegare; hinc pullulantes animo cupiditates perimere; hinc ſenſus fræno cohibere; hinc carnem ieiuniis, atque aliis macerationibus premere; hinc omnes corporis voluptates perſequi; hinc nudam rerum paupertatem amplecti; hinc humilitatem teſtari, caſtitatem colere, moderationem in omnibus ſeruare, ac cæteris virtutibus animum exornare didicit. Potiſſimum verò illius charitatis ſtudium erat, qua tantoperè flagrabat, vt ſeipſum pro omnibus, ſiue ægrotis, ſiue valentibus, aut egenis, aut diuitibus ſeipſum immolare cuperet; omniáque omnibus fieri, vt omnes Chriſto lucrifaceret, peroptaret.

Hinc eam tandem à Domino gratiam conſequutus eſt, vt quamplurimis ægris, vel oratione, vel Crucis tantùm ſigno adhibito, incolumitatem conferret: quorum nonnulla 60
hîc exempla commemorare libet. Ducis Andriæ primogenitus filius ardentiſſima febri laborabat aliquando, cùm Modeſtus, qui Quæſtuarij ibi tunc munus obibat; ad eum, quo tempore is ſopore detinebatur, accedens; mox à Franciſca Duciſſa, quæ Viri ſanctimoniam probè nouerat, vt ægro ſignum Crucis adhibeat, obnixè rogatur. Diu recuſauit Modeſtus: at importunis Duciſſæ precibus victus, tandem ſignum præſtat; indéque actutùm abſcedit. Puer verò paulò pòſt à ſomno experrectus, matrem accerſens, ait: Capucinus Frater mihi incolumitatem contulit: vbinam ille eſt? Protinúſque incolumis è lecto ſurrexit.

*Crucis ſigno ægris incolumitatem cõfert.*

Minerua quædam Andrienſis, Ordinis cumprimis deuota, cephalalgia ſæpè laborabat: 61
quam cùm capitis dolor arriperet, Modeſto accito, ab eóque ſigno Crucis obſignata, mox dolore abſcedente, à cephalalgia curatur.

In eadem quoque vrbe Deianira Viſſoquarta grauiſſimis doloribus diu cruciata fuerat, 62
ad quam Modeſtus, mendicationis cauſa, aliquando accedens, cùm eam verbis conſolatus eſſet; illa Modeſtum his verbis compellat: Modeſte, id, obſecro, à Deo mihi tua oratione impetra, vt finem hi mei cruciatus accipiant. Modeſtus verò cùm Deum pro ea ſe rogaturum ſpopondiſſet, intempeſta nocte, dum ægra euigilans conſuetis doloribus angitur, en Modeſtus ab ea præſens, ac viſibilis cernitur, qui his eam verbis ſolatur: Deianira, æquo animo eſto: quod poſtulaſti, iam meis orationibus à Deo accepiſti. Breuem dolorem forti animo ſuſtine: ab eo enim quamprimùm libera, ſumma pace frueris. Id illa, cùm filiæ, quæ in eodem cubiculo quieſcebat, mane retuliſſet, poſt vnum, aut alterum diem, à cunctis corporis doloribus ſoluta, omni cum pietate in Domino quieuit.

Caietæ, quæ vrbs eſt Latij noui, haud longè à Terracina diſtans, mons eſt, qui Sanctæ 63
Trinitatis nuncupatur, peregrinorum, & nautarum eò prætereuntium veneratione illuſtris; quem antiqua traditione in morte Chriſti Domini ſciſſum ferunt. Ex huius montis ſciſſura cùm Modeſtus ſibi aliquando lapidem ſumpſiſſet; eo multorum ægrotorum morbos diuina virtute curabat. Hoc modo Andriæ, cùm Deliæ Campanilæ filius neruorum attractione, atque ardenti febre laboraret; ter, vti ſemper ſolebat, Oratione Dominica, ac Salutatione Angelica perſolutis, aquam, in qua huiuſmodi lapis immerſus fuerat, puero propinans, eum confeſtim ad priſtinam ſanitatem reuocauit. Eadem aqua in oppido Nucum geminos cuiuſdam mulieris filios, grauiter febricitantes, ab his epota, protinus à febre curat. Tot denique Andriæ morborum curationes diuina virtute præſtitit, tantáque illius apud omnes ſanctimoniæ fama erat, vt cùm eum Medici ad ægrotorum viſitationem accedentem cernerent, eos Medicorum ope non indigere affirmarent; eò quòd Modeſtus eos ſua oratione curaret.

His & alia miracula accedunt, quibus Deus ſerui ſui ſanctimoniam paſſim teſtatam 64
voluit: Andriæ nanque, cùm Quæſtuarij onus ſuſtineret, vinum aliquando à Ioan. Baptiſta Zina poſtulat. Cui ille: Dolium quidem (ait) mihi vino plenum eſt; ſed tam corruptum, vt illud proiiciendum cogitauerim: quapropter ne à me vinum quære. At Modeſtus: Lagenam (inquit) hanc meam vino imple: tum quid de reliquo dolij vino agendum ſit, decernes. Statim Ioan. Baptiſta lagenam vino impleri iubet: quod in optimum mox, ac generoſum mutatur. Cumque is, reliquo, quod in dolio erat, explorato, eodem modo optimum guſtaſſet; Dei virtutem, quæ per Sancti Viri merita operabatur, agnoſcens, Dei clementiam laudat.

*Pleraque alia miracula edit.*

65 In eadem vrbe, dum ſeruus Dei oleum à Syluia Conoſcitora quærit; illa vas oleo vacuum eſſe affirmans, oleum erogare non poſſe queritur. Cui Modeſtus: Iube, Syluia, vas explorari: ibi enim tantùm erit, quo noſtra hæc lagena impleatur. At Syluia, quæ vas exinanierat, eidem perſuadere nitebatur, fruſtrà vas explorari, nihilque in vaſe olei reliquum eſſe. Sed, Modeſto vehementiùs vrgente, ancillam ad vas deſtinat: quæ vas oleo plenum eſſe renuncians, ſtupet Syluia, lagenam implet, ac Viri Dei virtutem admiratur.

66 In Barienſi vrbe vinum à Beatrice Efrem emendicans, accidit, dolium ad fæcem vſque exhauſtum fuiſſe: & in eius rei teſtimonium illud ita inuerſum fuiſſe affirmat, vt nihil in eo vini penitùs reliquum fuerit. At Modeſtus. Quid (inquit) dolium vacuum narras? Tantùm in eo vini aderit, quod lagenam meam impleat. Ridebat Beatrix, cui Modeſtus: Riſum cohibe, Beatrix; tantúmque hac in parte Modeſto obtemperans, dolium explorari impera. Protinus Beatrix filiam cum lagena ad dolium deſtinat: quæ cùm fiſtulam ex epiſtomio eruiſſet, mox vinum effluxit, quo non modò lagena impleta fuit; ſed, quod miraculum mirum in modum auget, dolium in anteriorem partem pendens, ad tertium vſque menſem vinum effudit, ac toti Beatricis familiæ ſatis fuit.

67 Annæ Detolæ Barienſi, quæ ex tribus panariæ coćturæ partibus, quas ex clibano ſibi adferri iuſſerat, tertia tantùm ſibi ſeruata, reliquas ei largita fuerat, tertiam illam partem ita ſua oratione multiplicauit, vt ea tredecim dierum ſpatio toti familiæ ſuffecerit: quæ aliàs vix tertium, vel quartum diem attingere potuiſſet. Eadem quoque triticum abundè ad Fratrum, atque aliorum pauperum vſum erogans; eandem tritici menſuram non ſemel ſub anni finem Sancti Viri oratione ſibi reſtitutam offendit. *Panes beneſactrici mulieri multiplicat.*

68 Poſtremò, cùm in Andriæ Conuentu, quo tempore is Eleemoſynarij officio fungebatur, quodam veſpere panis familiæ neceſſarius defuiſſet; atque eodem tempore plerique Fratres variis ex Conuentibus eò aduentantes panis inopiam auxiſſent: Vir Dei haud animo fractus, arcta quædam panis fruſtula cuique apponit: quæ ita ſua oratione multiplicata reddidit, vt iis Fratres ſatiati, copioſior quàm qui appoſitus fuerat, è menſa panis ſublatus fuerit.

69 Prophetico quoque illum ſpiritu præditum fuiſſe, quæ ſequuntur, exempla demonſtrant. Deianira Viſſoquarta, cuius ſuperiùs memini, cùm aliquando tam graui febre, ac cordis oppreſſione laboraret, vt eam Phyſici neci adiudicarent, à Modeſto in vitæ periculo opem ſibi poſtulat. Cui ille: Ne extimeſcas, (inquit,) Deianira: haud hæc tibi fatalis infirmitas: citò conualeſces. Ea verò præter Medicorum ſententiam, paulò pòſt incolumitatem conſequuta fuit.

70 Eadem cùm viro aleatori nupta eſſet, qui in alea rem familiarem, ac propriam illius dotem conſumpturus erat, cum Modeſto aliquando conquerebatur: qui ad eam protinus: Ne dubites, (inquit,) Deianira; parumper ſuſtine: breuis hæc tibi anguſtia erit. Quod immatura viri morte paulò pòſt comprobatum fuit. *Futura prophetico ſpiritu prædicit.*

71 Fr. Gregorius à Nucibus, antequàm ad Capucinos accederet, graui, ac periculoſa corporis infirmitate detentus, eò magis animo affligtabatur, quòd deliberationem de Religione amplectenda, quam Deo inſpirante conceperat, eouſque dilatam, morte intercipiendam pertimeſceret, ex quo diuinæ vocationis reus apud Deum habendus eſſet. Hac dum animi tempeſtate iactatur, Modeſtum accerſens, ſuum illi animi mœrorem communicat: qui his mox illum verbis conſolatur: Gregori, metu animum exue: non te ægritudo iſta è medio tollet: longiùs adhuc viues ſuperſtes, atque inter Capucinos extremam vitæ lineam claudes.

72 Hoſtunij, Salentinorum vrbis, Lucretiæ Capurſiæ vterque parens, aduerſa valetudine tenebatur; de quorum vita cùm dubia apud Medicos ſpes eſſet, Modeſtum illa interpellat, vt pro vtriuſque parentis ſalute Deum ſua oratione pulſet: qui ad eam protinus: Quid, inquit, Lucretia, parentum te metus ſollicitat? Soſpes illis vita erit: at, qui modò ſoſpes eſt frater, breui ſua morti tributa ſoluet. Dictum ipſe rerum euentus comprobauit: germano nanque Lucretiæ fratre, qui tunc valebat, morbo correpto; quo tempore ipſius parentes conualuêre, is vita excedens, morti ſua iura ceſſit.

73 Poſtremò, Ioan. Ludouicus Lenta, cùm deſperata à Medicis valetudine extremo morbo

laboraret, eò Modeſtus accerſitus, vt moribundum ad pium vitæ occaſum ſua hortatione diſponeret, cumprimùm ad ægrotum acceſſit, ipſius manum apprehendens: Ludouice, (ait,) cur tuum mortis metus animum agitat? tibi vita condonata eſt: craſtina dies te incolumitati reſtituet. Res planè miraculo plena fuit: qui enim tunc animam agere videbatur, vix ſequentis diei lucem aſpexit, cùm è lecto incolumis exiliit.

Plura his, tum prophetici ſpiritus, tum miraculorum exempla acceſsêre, quæ ſcripto haud conſignata fuerunt: quibus cùm Deus Opt. Max. ſerui ſui vitam, virtute, ac ſanctimonia plenam illuſtrare voluiſſet; cum quoque poſt plurimos Religionis labores in Tranienſi Conuentu ad Superos vocatum, dignis tandem præmiis, vti credimus, proſequutus fuit. 74

*Fr. Ioan. Franciſcvs à Lodronio.*

Aliorum quoque illuſtrium Virorum apud noſtri Ordinis monumenta memoria celebratur. Ioan. Franciſcvs à Lodronio, Sacerdos, ex illuſtri Comitum Lodronij ſtirpe progenitus, virtute illuſtrior fuit: qui cùm ante Religionis ingreſſum, in Luſitana expeditione Tribuni Equitum ſub Catholico Rege munus præclarè obiiſſet; ab eo inter S. Iacobi Equites cooptatus, Cæſarei Oratoris deinde Romæ apud Pontificem officio fungitur: quo tempore ad diuiniora pietatis ſtudia à Domino vocatus, cùm ſe ſponte ab eo munere abdicaſſet, mortua coniuge ad Capucinos aduolat; Crucis ignominiam, cunctis mundi honoribus præferens. Plurimis deinde in Religione virtutibus clarus, Tridenti mortalem cum immortali vitam commutat. Fr. Ioannes à Veruchio, Clericus, Bononienſis Prouinciæ, humilitatis, patientiæ, honeſtatis, atque omnium virtutum ornatiſſimus, maturiùs à Deo ad Cæli præmia vocatur: atque eadem ſui obitus hora Claræ, Sorori tertij Ordinis Moniali, lætus, ac feſtiuus apparens, eam ob nonnullas, quas patiebatur, moleſtias, mœſtam conſolatur. Fr. Ivlianvs Camertes, Sacerdos, ex Iudæo Chriſtianus, & ex Chriſtiano Capucinus: Vir regulari obſeruantia, atque omnium virtutum ſplendore clarus fuit; qui cùm in Pariſienſi Prouincia Nouitiorum curam gereret, occultas aliquando quorundam tentationes diuinitùs agnouit. Primus inter Lotharingiæ Prouinciæ Fundatores adnumeratus, dum in Virodunenſi vrbe, peſte laborantibus omni pietate miniſtrat, eodem & ipſe morbo ſublatus, pio in Miniſterio occumbit. Fr. Philippvs Conſtantienſis Sacerdos in Pariſienſi Prouincia magnis virtutibus floruit: qui cùm eximio B. Virginem cultu proſequeretur, ab ea ſui obitus horæ admonitus, in Cadomenſi Conuentu omni cum pietate animam Deo reddidit. Fr. Angelvs Tolentinas, Sacerdos Picentis Prouinciæ, angelicam planè, omnium ſententia, inter Capucinos vitam duxit: cùmque certum ſui obitus diem prænunciaſſet; quo die è vita exceſſit, cuiuſdam ſui propinqui morte, atque æterna ſalute, quæ tunc ei diuinitùs reuelata fuit, renunciata, piè in Domino quieuit. Fr. Vrbanvs Panormitanus, Concionator, hoc tempore, virtute, prudentia, ac euangelicæ prædicationis dono præcelluit, qui cùm Panormitanam, ac Meſſanenſem Prouinciam per aliquot annos præclarè adminiſtraſſet, magnóque cum animarum fructu, Dei verbum in illuſtrioribus Italiæ vrbibus diſſeminaſſet; B. Virginis in morte aſpectu dignatus, fœlix è vita migrauit. Poſtremus Fr. Avgvstinvs Nurſinus, Sacerdos, vitæ auſteritate, oratione, ac omnium virtutum laude clarus, in Vmbriæ Prouincia celebratur: de quo id inter alia fertur, quòd Fratrem Ioann. Mariam à Nurſia, Sacerdotem, grauiſſimis colicæ paſſionis doloribus cruciatum, ſigno Crucis mox in priſtinum ſalutis ſtatum vendicauerit; ac Hieronymo germano fratri, qui maſculam prolem optabat, geminos liberos futuros prædixerit: qui tandem vitæ curſu in virtutibus conſummato, Ameriæ mortales corporis exuuias deponit. 75

*Fr. Ioan. à Veruchio.* 

*Fr. Ivlianvs Camertes.* 76

*Fr. Philippvs Conſtantienſis.*

*Fr. Angelvs Tolentinas.* 77

*Fr. Vrbanvs Panormitanus.*

*Fr. Avgvstinvs Nurſinus.*

Copioſum hoc anno piis in Ordinem beneficis à Deo fœnus redditur, qui aut vinum, aut oleum liberaliùs in voluntarios Chriſti pauperes erogarunt; his è Cælo in eorum cellariis mirabiliter auctis.

*Cannabaceũ Ordinis cingulum hominem à Dæmonis poteſtate liberat.*

Cannabaceum quoque Ordinis cingulum, quanta aduersùs Dæmones virtute polleat, exemplo non obſcurè demonſtratur. Nam, cùm Interamnæ vir quidam Aſculanus, cùm ob graues quaſdam animi moleſtias in deſperationem actus, ſe in Dæmonis poteſtatem dediſſet; dum is nocte quieſcit, Dæmon viſibili ſpecie apparens, eum ſecum rapere contendit: 78

tendit: cùm verò ab Ordinis cingulo, quem is circa lumbos præcinctum geſtabat, prohiberetur; perſuadet illi Dæmon, vt cingulum ſoluat: at eo recuſante, ac B. P. Franciſci opem inuocante, protinus Dæmon abſceſſit.

79 Pleraque alia etiam ab eodem B. P. Franciſco, tum apparente, tum per ligni ipſius puluerem operante, ægrotis deſperata valetudine laborantibus, incolumitatis beneficia præſtantur. Piis quoque Viris ad B. Antonij Vlyſipponenſis Reſponſorium confugientibus, res deperditæ mirum in modum occurrunt. Poſtremò, pia Fratrum deprecatione nonnulli ad funera vſque ægrotantes, ſtatim incolumes ſurgunt: vt in his diuinum illud promiſſum impleretur, quod apud Vatem legitur: *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* Pſal. 144. 19.

| Ann. Christ. | Pauli V. | Matthiæ I. Imp. | Hier. a Cast. Fer. Gen. | Relig. Cap. |
|---|---|---|---|---|
| 1612. | 8. | 1. | 5. | 88. |

POSTREMVS tandem huiuſce Annalium Voluminis milleſimus ſexcenteſimus ſupra duodecimum voluitur annus; variis illuſtrium Virorum coronis rutilans, quarum prima virtutum floribus ornata, Fratri Cherubino Quillianenſi, Sacerdoti, debetur.

## *Vita, & geſta Fr.* CHERVBINI *à Quilliano, Sacerdotis.*

1 QVillianum oppidum eſt Saonenſis agri in Liguria, ex quo Vallis Quillianenſis denominationem ſortita: alios quoque pagos complectitur. Quanquam verò Cherubinus non Quilliano; ſed Valeſia, quæ huius vallis pagus eſt, originem duxerit; Quillianenſis tamen apud nos appellationem obtinuit: piáque, ac honeſta Saccarellorum familia natus, Antonij è ſacro Baptiſmate nomen tulit. Erant Antonij progenitores rurales quidem, ac mediocri fortuna prædití; ſed pietate nobiliores, qui cùm ſex filios procreaſſent, inter eos Antonius ſecundus natu, tam egregiam indolem nactus fuerat; vt ab ipſa ineunte ætate, propenſum ad pietatem animum gerens, panem, quem pro antecœnio à parentibus accipiebat, totum pauperibus erogaret. Inter hæc pietatis præludia, cùm pio cuidam Sacerdoti in litteris, & Grammaticis Rudimentis erudiendus traditus eſſet, in his haud mediocriter profecit: quo tempore plurima in Capucinos, qui ſæpè cum illo Sacerdote verſabantur, deuotione ferri cœpit. Hac igitur pietate ſimul cum annis adoleſcente, cùm duodeuiceſimum annum attigiſſet; accidit aliquando, vt quendam noſtri Ordinis Concionatorem Dei verbum ardentiùs diſſeminantem audiret: cuius verbis (Deo intus operante) ita animo commotus fuit, vt hoc ipſo tempore ſtabile Religionis propoſitum conceperit. At, quandoquidem, teſte Ambroſio, neſcit tarda molimina Spiritus Sancti gratia; hac animi deliberatione, Capucinis Fratribus, qui Saonenſem Conuentum habitabant, (necdum enim in Quilliani oppido Monaſterium nobis extructum fuerat,) communicata; paulò pòſt, vale parentibus, fratribus, ac ſæculo dicto, ad Capucinos ſe contulit, & in Monaſterio S. Barnabæ, vrbis Genuenſis, ſub Zacharia Trebianenſi, Viro præclaro, Cherubini nomen ſortitus; primum, Angelicúmque Religionis tyrocinium inſtituit; à quo cùm integræ, ac purioris Regulæ obſeruantiæ, & cæterarum virtutum, quæ in Viro elucebant, lac ſuxiſſet; magiſtrum egregiè imitatus, breui in perfectum & euangelicum Virum excreuit; ita vt ſeptimum in Religione annum agens; propter eximiam viri virtutem, primùm ad Guardiani; tum poſt aliquod tempus ad Diffinitoris; poſtremò ad Prouincialis Miniſtri munus aſſumptus fuerit: quod nouem annorum ſpatio, diſtincta temporum ſerie, tam præclarè, tótque virtutum, ac regularis obſeruantiæ exemplis adminiſtrauit; vt quanuis ſimplex Sacerdos, nullàque theologicæ diſciplinæ peritia imbutus eſſet; perfectam tamen, quæ B. P. noſtro Franciſco placet, & rectè placet, adminiſtrationis formam aſſequutus videretur. Vnico enim Socio, eóque Laïco contentus, viſitationem præſtat; non præceps, non turbulentus eſt: non cum auſteritate imperat; neque reos, aut criminoſos forenſibus proceſſibus onerare; ſed ſola rei veritate inſpecta, abſque vllis iudiciariis telis, ſi quæ erant crimina, omni cum pietate plectit. Denique, cùm puſilli gregis forma ad omnem virtutem factus, omnia, duce charitate, perageret, eo fiebat, vt correpti meliores fierent; nemóque in tot annorum ſpatio, quo Genuenſem Prouinciam adminiſtrauit, de eo vnquam conqueſtus fuerit.

*Ipſius genus, patria, & præclara indoles aperiũtur.*

*Genuenſem Prouinciam magna cum virtute adminiſtrat.*

2 Nouitiorum quoque curæ præfectus, diu tanta cum virtutum laude eo munere functus fuit; vt humilitatis, paupertatis, honeſtatis, patientiæ, charitatis, atque omnium virtutum puſillo gregi forma factus, quaſi lucerna ardens, ac ſuper candelabrum collocata; ac velut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, iis Seraphicæ perfectionis viam, tum verbis, tum exemplis aperiret.

3 Orationi verò, quæ omnium virtutum parens, & auriga eſt, ita ab exordio animum adiecit; vt eam vbique, tam domi, quàm foris, ſibi amicam concilians, in ea ſuas ſpiritus delicias collocaret. Quapropter, cùm Prouinciæ viſitationi incumbens, iter faceret; ſuas ſemper orationis horas obſeruare conſueuerat. Quo tempore Socium præire iubebat; vt diuini amoris flammas, quibus ſæpè in geſtus, ac voces erumpere compellebatur, liberiùs exhalaret. Principiò quidem, non altas, ac ſublimes rerum diuinarum contemplationes aggredi; ſed Dominicæ paſſionis meditatione contentus, columbæ inſtar, inter petræ foramina, & Chriſti crucifixi vulnera gemere; ac D. Bernardi pietatem imitatus, Dilecti pœnas faſciculo colligere, intimóque animi ſinu collocare, tandem in hæc eius verba erumpere ſolebat: *Ego ab ineunte mea conuerſione, pro aceruo meritorum, quæ mihi deeſſe ſciebam, hunc mihi faſciculum colligare, & inter vbera mea collocare curaui, collectum ex omnibus anxietatibus, & amaritudinibus Domini mei.*

*Plurimis virtutibus emicat.*

S. Bernard. ſerm. 43. in Cant. c. 1.

Hinc eum illo trahente, qui in Cruce exaltatus, omnia ad ſeipſum traxit; ad illud diuinæ charitatis faſtigium conſcendit, vt ſilente ſenſuum omnium tumultu, ſæpè ſolus cum Dilecto ageret; atque in ſecretum diuinæ charitatis conclaue introductus, ecſtatica illum amoris vi complecteretur. Huius rei exempla haud pauca adferri poſſent: verùm vnum, aut alterum ſufficiat.

4 In S. Barnabæ Conuentu Cherubinus Nouitiorum educationi vacabat: cùm Fr. Franciſcus à Ripa, Nouitius, circa tertiam noctis horam, ab eo nonnihil poſtulaturus, cellam ipſius adit; apertóque cellæ oſtio, eam tanto lucis ſplendore perfuſam offendit, perinde ac ſi multæ in ea faces collucerent; Magiſtrúmque in aëra vſque ad cellæ tabulatum toto corpore ſublatum, támque cæleſti luce fulgentem cernit; vt terrore correptus, ſtatim pedem è cella retraxerit; cellæque fores ſine ſtrepitu occluſerit. Verùm, cùm id tam placidè præſtare non potuiſſet, quin ſtrepitus Cherubini aures offenderit; ab eo vocatus, num quicquam in cella conſpexerit, interrogatur: qui ſimpliciter rem narrans, ſub obedientiæ præcepto, perpetuum illi eius rei ab eo ſilentium indicitur.

*Orans vi ecſtatica corripitur, & in aëra effertur.*

5 Iterum, cùm Angelicæ Seruareciæ vir, grauiter in lecto ægrotaret; Cherubinus ad illius viſitationem accerſitus, cùm ægrum multis verbis conſolatus eſſet; inde paululum digreſſus, viridarium ad Horas canonicas recitandas ingreditur; cúmque Horis perſolutis, per viridarium deambulans, in quandam B. Virginis imaginem, quæ puerum IESVM in ſinu geſtabat, incidiſſet; mox tanto ex illius aſpectu diuini amoris incendio inflammari cœpit; vt brachiis in Crucis modum extenſis, tandiu animo, & corpore in aëra ſublatus ſteterit; quoad Angelica illius colloquio frui cupiens, ad eum accederet: quem vbi in ſublime elatum conſpexit; retrocedens, rem marito, ac domeſticis narrat, ac Sanctum Virum prædicat.

6 Cæterùm, quanta illius orationi à Deo vis indita eſſet, hoc aliquando exemplo manifeſtum fuit. In Sexti Monaſterio apud Ligures, cùm aliquando Vir Dei moras traheret, die quadam contigit, vt mare fluctibus iactatum inſaniret: quo tempore Andreas quidam Caſtella, Viro Dei familiaris, qui nauigium mercibus onuſtum pelago commiſerat, cum eo in cella colloquebatur; cuius Cherubinus verba intercipiens: Andrea, (inquit,) an non tumentes maris fluctus intueris, qui mercium tuarum nauigio naufragium moliri queunt? Age: opportunas ad Deum preces fundamus, vt illud tandem ſaluum recipias. Statímque ad Eccleſiam prodiens, Deum pro nauigij proſperitate deprecatur: Andreas verò, Viri Dei ſermone permotus, cùm diem, ac horam obſeruaſſet, quo hæc ab eo illi dicta fuerant; nauigio poſt hæc ad litus appulſo, nautas, quid nauigio die illa acciderit, ſollicitè interrogat: qui ſe tunc tam aduerſis ventis iactatos affirmant, vt vix naufragium euaſerint; ac ſola Dei virtute ſeruati fuerint. Ex quo Andreas duplicem in Viro Dei virtutem eluxiſſe animaduertit: priorem quidem, qua nauigij periculum diuina reuelatione accepit: alteram, qua nautas, ac merces ſua oratione à naufragio vendicauit.

*Occulta diuina reuelatione percipit.*

7 Sacrum Miſſæ Sacrificium celebraturus, mentem longa ſemper Dominicæ paſſionis, ac diuinæ charitatis meditatione inflammare conſueuerat: quo fiebat, vt ferè nunquam abſque lacrymis ſacra illa myſteria Deo offerret; in híſque interdum tanto internæ charitatis æſtu flagraret; vt cùm ſe ad populum illis cum, *Dominus vobiſcum*, verbis ſalutaturus conuerteret; ignei, ac ſplendentes radij ex ipſius ore emicarent. Quapropter haud mirum,

quòd Deus Opt.Max. qui amatores, ac glorificatores ſuos honorificat; fidelem ſeruum,
qui cuncta animi ſui ſtudia ad Dei amorem,& gloriam contulerat; variis etiam ſignis, ac
miraculis illuſtraret: quorum nonnulla exempla referre libet.

*Ægrotos ſigno Crucis ad incolumitatẽ reuocat.*

Bartholomæus Milanus, ſaltatorius magiſter, è præcipiti quodam loco ruens, hume-
rum ſibi ex lapſu confregerat: quo ex vulnere in lecto detentus, cùm pauperculæ fa- 8
miliæ, quæ eius arte alebatur, neceſſaria victus ſubſidia miniſtrare non poſſet; animo
magnoperè angebatur. Accidit porrò hoc tempore, vt Vir Dei, cui is familiaris erat,
ad eum conſolaturus accederet: cui cùm Bartholomæus familiæ anguſtias, quas ob ſuam
ægritudinem patiebatur, triſtis aperuiſſet; is vbi oculis in cælum ſublatis, Deum pau-
liſper orauit; confractum humerum Crucis ſigno obſignans, ait: Bartholomæe, æquo
animo eſto, ac Deo confide: quamprimùm è lecto incolumis ſurges. Cúmque his di-
ctis abſceſſiſſet, vix Cherubinus domus fores egreſſus fuerat, cùm Bartholomæus hu-
mero conſolidato, ac priſtinæ incolumitati redditus, è ſtrato exiliit.

Petrus Reſſonus Triolenſis, Ioannis Petri Crollalance Genuenſis villicus, graui in gena
cancro laborans, morbi ſui ærumnam ante villæ fores grauiter deflebat: quo tempore 9
Cherubinus, Andrea Gandulpho Preſbytero comite, ex B.Virginis, quæ Coronata ap-
pellabatur, Ædibus rediens; cùm eum plorantem vidiſſet, miſeratione commotus, fle-
tus ab eo cauſam exquirit: qua percepta: Quid fles? (inquit:) an non Deus malis tuis

*A cancro mirum in modum hominẽ curat.*

mederi poteſt? Patere, vt morbum cernam. Cúmque ille, gena, quibus alligabatur,
inſtitis ſoluta, morbum aperuiſſet; Vir Dei genam ſigno Crucis petens, cancrum tri-
bus digitis apprehenſum, abſque vllo ægri dolore, radicitùs à gena auulſit, atque eidem
tradens ait: Iam ad B. Virginis Coronatæ Ædes pergens, eidem gratias age: ea enim eſt,
quæ te à morbo liberum præſtitit.

Margarita Benſa Cherienſis, Ordini deuotiſſima, ob frequentes partus, tam grauem 10
oculorum morbum contraxerat, vt omni penè luce careret; cúmque poſt multa medicæ
artis remedia fruſtrà tentata, incolumitatis ſpem abieciſſet; extremam tantùm in huius
Viri Dei oratione collocat: cuius cùm ſe obnixè precibus commendaſſet; is benedi-
ctione illi impenſa ait: Margarita, ego quidem pro te Deo preces fundam; verùm diuinæ
te clementiæ committe, à quo priſtinam, vt ſpero, oculorum lucem recipies. Porrò ab eo
tempore Margarita ita conualeſcere cœpit; vt paruo pòſt tempore elapſo, perfecta ocu-
lorum luce potita fuerit.

Theodorina Gandolfa Sextenſis, tam graui oculorum dolore cruciabatur; vt nulla 11
diu, noctúque quiete frui poſſet. Quapropter ad Virum Dei accedens, ſupplex rogat,
vt Crucis illi ſignum oculis impendat. Haud recuſat ille, plurima erga ægram pieta-
te commotus; ſignum præſtat, quo protinus fugatur dolor; muliérque priſtinæ ſanitati
redditur. Quamobrem, cùm ea Dei Viro gratias ageret: Caue, (inquit ille,) ne hoc à
me beneficium te accepiſſe putes: Deus eſt, qui hanc in te gratiam contulit; illi ergo tan-
tùm gratiam habeto.

*Cæcæ mulieri ſua benedictione lumẽ reſtituit.*

Hoc modo Maria, Ioan. Baptiſtæ Peroſæ Sextenſis filia, quæ ob pituitæ fluxum iam per
aliquot annos ita obcæcata fuerat, vt vix res oculis obiectas diſcernere valeret; cùm à
Viro Dei benedictionem poſtulaſſet, is poſt indictam eidem ante ſacroſanctæ Eucha-
riſtiæ Altare, Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam quinquies recitan-
dam, cùm aliquantiſper oraſſet; ſigno Crucis ipſius oculis impreſſo, ita illi oculorum
lucem reſtituit; vt obiecta protinus diſcerneret: ac breui pòſt tempore perfectum lumen
adepta fuerit. Eodem quoque Crucis ſigno Theodoram Quillianenſem, Laurentij
Niellæ vxorem, quæ tam infirma oculorum valetudine vtebatur, vt domeſtica negotia
agere non poſſet: alteram quoque Mariam, Philippi Zaccarelli filiam, eodem morbo la-
borantem, poſt vnum, aut alterum diem, reddit incolumes.

His & Camilla Carezana accedat, quæ cùm in Nouenſi oppido diu incurabili morbo 12
languens, in lecto iacuiſſet; audito Cherubini, è Papienſibus Comitiis redeuntis aduentu,
cuius plurimus apud populum erat ſanctitatis rumor; omni ſtudio illum ad ſe accer-
ſendum curat: cuius tandem præſentia potita, diuturnam illi ægritudinem narrat, ab
eóque, vt ſua illam oratione adiuuet, ac benedictione proſequatur, ſupplex cum lacry-
mis poſtulat. Cui pius Pater, poſt multa conſolationis verba, hæc tandem addit: Ca-

milla,

milla, te diu nimis hic lectus detinuit: inde tibi quamprimùm emergendum eſt. Cui ægra: Vtinam, Pater, (ait:) at tot corporis morbis detineor, vt mihi hinc erumpere prorſus impoſſibile ſit. At Vir Dei: Quid impoſſibile ſtruis? (inquit:) nihil Deo impoſſibile: Deo confide, iſthinc illius tandem ope euaſura. Cúmque his eam dictis, ac benedictione conſolatus eſſet; ægra poſt vnum, aut alterum diem, paulatim è lecto ſurgens, eò tandem incolumitatis euaſit, vt baculo duntaxat innixa, liberè per oppidum, Viri Dei ſanctimoniam prædicans, progrederetur. *Incurabili morbo ægrotantem perſanat.*

13 Præter enumeratos, bini Leonoræ Spinulæ filij, quorum alter continua, alter vehementi febre tenebatur: Maria, Hieronymi Germani Sextenſis filia, ab aurium tumore: Andreas, Iacobi del Bono Quillianenſis filius, à gutturis morbo: Eliſabetha quoque Andreæ ſoror, à diabolico faſcino; iterúmque à graui cephalalgia: Philippus Saccarellus, à continua febri: tres Bernardini Garauagni filiæ, à boæ morbo: Catharina Auguſtini Peroſi vxor, à graui capitis dolore: Maria Andreæ Caſellæ vxor, ab inteſtino dolore, quo curua incedere cogebatur: Magdalena, Euſtachij Miconi vxor, à grauiſſimo vberum dolore: Argentina Burota Quillianenſis, ab eryſipelate, & febri: Nouella Oberti Peſcreti vxor, à mentis delirio: Martina Peſcia, à manus luxatione: Iunipera Chriſtophori Prunionis vxor, à pleuritide, qua ad vitæ occaſum properabat. Poſtremò, Fr. Franciſcus Polupicenſis Capucinus calculis grauiſſimè laborans; ac plerique alij, ab eo oratione, ac benedictione curantur.

14 Diuinæ autem huic ſignorum operationi, diuinarum quoque reuelationum, ac prophetici ſpiritus dona accedebant: quibus & res futuras, & occultas hominum cogitationes illi penetrare datum fuerat. Cuius rei nonnulla extant exempla. Inter hæc, cùm quatuor triremes Genuenſes è Barcinonenſi portu ſoluentes Genuam adnauigarent: vix medium iter confecerant, cùm pelago intumeſcente, tam graui repentè procella iactari cœpêre; vt ex his tribus à fluctibus abſorptis; quarta, quæ magnam nobilium Genuenſium copiam vehebat, naufragium quoque paſſa putaretur. Huius naufragij fama per Genuenſem vrbem diffuſa, magnus vbique luctus fiebat: patribus liberos, vxoribus viros, aliis propinquos velut extinctos lugentibus: quo tempore nonnullæ illuſtriores mulieres, Dei Virum, quem ſanctimonia clarum nouerant adeuntes, ipſius apud Deum opem efflagitabant: quibus ille animum in meliorem ſpem erigens, haud cunctas triremes, atque eam præſertim, quæ nobiles vehebat, ab vndis abſorptas eſſe perſuadebat. His cùm dictis earum animos ſolaretur; nobilium triremis, quæ naufragio periiſſe credebatur, multis procellis iactata, ad Genuenſem tandem portum appulit; omniúmque animis recreatis, propheticum Viri Dei ſpiritum probauit. *Res futuras, & occultas hominum cogitationes pandit.*

15 Poſt hæc Iacobus Ragius, nobilis Genuenſis, in Hiſpaniam profectus, domeſtica quædam negotia Matriti gerebat: quæ dum ſe facile expedire exiſtimat, maioribus difficultatibus obortis, ad Hieronymam vxorem ſcribit, tot nouis quotidie ſalebris negotia obuolui; vt ad ea explicanda diuturno illi tempore opus ſit: quapropter Hieronyma, quæ Viri Dei orationibus plurimùm deferebat, illum, vt pro celeriori Viri negotiorum expeditione ſuas ad Deum preces fundat, impenſiùs rogat: qui protinus ad eam: Hieronyma, (inquit,) ne dubites; Iacobus ſua citiùs quàm putat, negotia abſoluet: proximus enim hic October menſis eum tibi huc incolumem reducet. At Hieronyma, quæ recentes à Viro litteras acceperat, quibus eadem, quæ in ſuperioribus litteris ſcripta fuerant, confirmabantur; ægrè ad id credendum adduci poterat. Cui Cherubinus: Quid plura, Hieronyma? Cumprimùm virum eo tempore ſaluum receperis, dubitatione animum exues. Res porrò, quæ eouſque Hieronymæ dubia erat, cumprimùm October elucere cœpit, Iacobo domum redeunte, proculdubiò certa fuit.

16 Per id tempus Ioannes Baptiſta, Alerami Parauicini filius, inconſultis parentibus è Genuenſi portu ſoluens, Occidentem versùs adnauigauerat: cuius cùm decem & ſeptem annorum ſpatio, ne nuncius quidem, aut litteræ parentibus allatæ fuiſſent; eum cuncti vel vndis ſubmerſum, vel caſu aliquo extinctum exiſtimabant: quo tempore Fauſtina mater, quæ filij etiamnum memoriam in mente verſabat, cum Viro Dei colloquens; animi luctum, quem de filij obitu, licèt incerto, conceperat, eidem aperit. Cui ille: Ne filium, Fauſtina, velut mortuum lugeas; is enim & ſuperſtes, & lætus viuit: ſplendida *Pleraque diuina reuelatione ventura aperit.*

domo, & rei familiaris copia illuſtris : atque vt id tibi faciliùs perſuadeas, breui ab eo litte-
ras accipies. Reuixit hac Viri Dei voce Fauſtinæ animus : nec diu illam hæc rei expectatio
ſuſpenſam tenuit : nam vix duorum, vel trium menſium mora interiecta, à filio litteras ac-
cipit ; qui Vlyſipponæ ſe viuum, & incolumem, præclaríſque opibus ornatum, ac demum
cum illuſtri illius vrbis fœmina matrimonio iunctum ſcribit.

Quo tempore Ioan Maria Caualerius, eximius in Capucinos beneficus, Genuæ ad mor-
tem ægrotabat ; Viro Dei ante lucem oranti ipſius obitus à Deo reuelatur : quem cum Ca- 17
lixto Nouocomenſi Clerico ſignificaſſet ; cumprimùm dies illuxit, de illius morte nuncius
Fratribus allatus fuit.

Magdalenæ Miconæ Sextenſi filius erat boa laborans, quem cùm Viro Dei benedicen-
dum obtuliſſet, vt ex illius benedictione incolumitatem conſequeretur ; ſimul atque Dei 18
ſeruus puerum conſpexit : Sine, (inquit,) Magdalena, ſine, vt puer cum Angelis ad cæleſtia
migret. Víxque pedem abſcedens, extra domum protulerat ; cùm infans morte ſolutus ad
Angelorum ſedes conſcendit.

Auguſtinus Penſus Sextenſis, hoc ipſo tempore naui iter faciens, in Turcam Piratam
incidit : cúmque poſt trium dierum pugnam inter eos initam, in qua plerique vtrinque oc- 19
cubuêre, nauis in Piratæ poteſtatem deueniſſet ; Catharina vxor, Auguſtinum, quem mor-
tuum ſuſpicabatur, Sancti Viri precibus commendat. Cui ille : Auguſtinus, ait, ſoſpes eſt:
breuíque de illo nuncium accipies. Nec diu cunctatum eſt, cùm mulier ab eo litteras ac-
cipit, quibus ſe captiuum ſignificans, quadringentos aureos nummos ad ſui liberationem
neceſſarios indicabat. Quod cùm mulier Viro Dei indicaſſet : Suſtine (inquit ille) pau-
liſper : vir enim abſque pretio liberabitur. Quod Viri Dei magis oratione à Deo impetra-
tum, quàm humano conſilio actum putatur ; cùm illum Pirata, nequidem cogitantem,
ſponte libertate donauerit.

Cattaneus de Marinis, nobilis Genuenſis, ſeptuagenario maior, deſperata à Medicis 20
valetudine ægrotabat : quo tempore ad eum Cherubinus accedens, cùm illum ſigno Cru-
cis muniiſſet, Arſiliæ Centurionæ, ægri propinquæ, futuram illius incolumitatem ſignifi-
cat, quæ magna Medicorum omnium admiratione ſubſequuta fuit. Stephanum quoque,
huius Arſiliæ filium grauiſſimè ægrotantem, breui incolumem futurum : quo tempore al-
terum eiuſdem filium morbo laborantem moriturum, rei euentu vtrunque dictum com-
probante, prænunciat.

Idem quoque Ioanninam, Octauiani del Bon, Quillianenſis, filiam, quæ extremo cum 21
morte agone colluctabatur, cùm poſt orationem à morbo curandam affirmaſſet ; incolu-
mitas ſequuta, non tam à prophetico ſpiritu, quàm ab ipſius orationis virtute profecta, cre-
dita fuit. Chriſtophoro Prunoni ægrotanti incolumitatem ; rurſus morbo laboranti mor-
tem prædicit. Ioanni Baptiſtæ Garauagno, qui dolia ad futuram vindemiam parabat, fu-
turam vini corruptionem præſignificat.

Anno 1611. cùm tumor de bello à Gallorum Rege Italis inferendo percrebuiſſet ; Be- 22
nedicta Bernardi Saccarelli vxor, eo plurimum angi videbatur ; ob id maximè, quòd Ge-
nuenſem ditionem à Gallis deprædandam eſſe metueret. Cui Vir Dei : Ne extimeſcas,
(inquit,) Benedicta : rumor inanis erit : bellum enim ante ortum iugulabitur. Quod euen-
tus manifeſtauit.

Præter hæc Mariam Prunonam, quæ animum à monachali ſtatu alienum gerebat ; Mo- 23
nialem futuram ſuis prædicit : Helenæ Paueſiæ, ad Medicorum deſperationem ægrotanti,
incolumitatem pollicetur : Ioan. Baptiſtæ Gauoto Saonenſi febricitanti, certam febris cu-
rationem : atque eidem futuram intra octauum diem, Pauli V. Pontificis creationem præ-
nunciat.

*Sui obitus tēpus diuina reuelatione agnoſcit, ac prædicit.*

Hac igitur tum futurorum prædictione, tum virtutum operatione, cùm tantam apud 24
omnes ſibi ſanctimoniæ famam comparaſſet, vt & illuſtriores, tam Genuenſis, quàm Sao-
nenſis vrbis Viri, quibuſcum diutiùs verſatus eſt, ipſius colloquio, ac benedictione frui
cuperent ; ac Liguriæ populi illum vbique Sanctum prædicarent ; diuina hæc futuræ illius
gloriæ, quam apud Deum breui aſſequuturus eſſet, præconia erant. Quamobrem, cùm
iam octogeſimumquartum ætatis annum attingeret ; illuſtrioribus Saonenſis vrbis viris, id
obnixè à Prouinciali Miniſtro poſtulantibus, Saonem deſtinatur. Eò cumprimùm nauigio

appulit, cùm ſuæ vitæ occaſum haud longè abeſſe, iam Deo reuelante agnouiſſet, ad Socium conuerſus ait: Magna ab his Saonenſis vrbis viris ſollicitudine curatum eſt, vt ad eos migrarem: at breuis hæc mea apud eos mora futura eſt: citò illis eripiar.

25 Poſt hæc, vbi primùm ſacram B. Virginis Ædem in tota Liguria celebrem, quæ quarto ab vrbe Saonenſi milliario diſtat, deuotiſſimè veneratus eſt; domum rediens, leui febre laborare cœpit: qua ſenſim ingraueſcente, cùm vtroque, & Pœnitentiæ, & ſacræ Euchariſtiæ Sacramento, ac demum ſacra Vnctione animum omni pietate ad Domini aduentum paraſſet; pridie quàm è vita excederet, ſuam omnibus, præſertim Saonenſis vrbis Ordinis benefactoribus, benedictionem ſcripto exaratam relinquens, quaſi leui ſopore detentus, Deo ſpiritum reddidit, die vigeſimanona Auguſti, cùm ſexageſimumſextum in Religione annum ageret.

26 Poſt animæ diſceſſum, caro illius tam mollis, ac tenera attrectata fuit, vt dormientis potiùs, quàm mortui eſſe videretur. Statim verò vbi illius per vrbem obitus fama diuulgata fuit; magna populi frequentia ad Monaſterium confluit, Viri Dei cadauer veneratura: tantúſque non modò ex Saonenſi vrbe; ſed & circumadiacentibus oppidis; ac præſertim ex Quillianenſi valle, virorum, ac mulierum poſtridie numerus excreuit; vt propter turbarum tumultum iuſta ei perſolui non poſſent: corpore enim in Eccleſiam delato, tanto deuotionis impetu in illud turba ruere viſa, vt cùm certatim omnes habitum, quo tegebatur, præſcinderent; barbam, vnguéſque illius obtruncarent; corpus ab eorum manibus eripi, atque intra Eccleſiæ cancellos collocari opus fuerit: donec ſub extremum diei veſperum, à Fratribus in communi Fratrum ſepulcro conditum fuit.

27 Cæterùm Cherubini anima è corpore ſoluta, viduæ cuidam Sextenſi, Catharina nomine, quæ omni virtutum genere in oppido Sexti florebat, quæque Viro Dei, dum viueret, familiaris erat; intempeſta illius diei nocte apparens, his eam verbis affatur: Catharina, en in Cælum abeo, tuus apud Deum interceſſor futurus. Rurſus, cùm eadem poſt hæc in lecto ægrotans, Sancti Viri è Cælo opem imploraret; habitúſque illius particula ſibi admota, incolumitatem mox adepta eſſet; dum illi pro accepto beneficio gratias reddit, en Cherubinus claro vndique lumine coruſcans, oranti adeſt: qui cùm oculos Solis inſtar emicantes gereret, ſe illi apud Deum perpetuum Patronum pollicetur. Alias eiuſdem apparitiones cuidam Luchinetæ Sextenſi, pietate celebri, factas prætereo, quibus Deus ſerui ſui poſt mortem gloriam cunctis teſtatam eſſe voluit.

*Poſt mortem nonnullis glorioſus apparet.*

28 At ea minimè ſilentio prætereunda, quæ de perpetua Sancti huius Viri virginitate, Catharinæ, cuius ſuprà memini, diuino teſtimonio confirmata fuere. Hæc igitur, cùm de ſerui Dei gloria certior, nonnihil de illius virginitate, præſertim quo tempore in ſæculo verſabatur, apud ſe dubitaret; Deum ob id triduo orans, eam cæleſti teſtimonio ſibi confirmatam accipit. Dum enim id impenſiùs à Deo poſtulat; in mentis exceſſum rapta, Angelum candida veſte contectum, vitreámque ampullam clariſſimo liquore plenam manu geſtantem ſibi præſentem cernit, qui his eam dictis affatur: Poſtulas, Catharina, num Cherubinus hinc purus, ac virgo migrauerit, agnoſcere: iam id apud te certum habe, Cherubinum ab omni carnis labe, ampullæ huius ſplenditentis inſtar, purum, ac virginem è viuis exceſſiſſe. Cùm id illi ter eodem modo confirmatum fuiſſet, rem apud ſe deinceps certiſſimam habuit, nobíſque teſtatam reliquit.

*Perpetua illius virginitas cæleſti teſtimonio confirmatur.*

29 Quàm verò huius Sancti Viri vita Deo grata, & accepta fuerit; non ſolùm præſtantiſſimis illis cæleſtium chariſmatum donis, quæ ſuprà enumerauimus, dum mortali apud nos aura frueretur, declarare; verùm & poſt mortalis vitæ occaſum, ſignis, ac virtutibus conteſtari voluit: necdum enim illius corpus ſepulcro conditum fuerat, cùm Aurelia Raineria, quinque annorum puella, altero crure capta, quæ ad feretrum præ populi frequentia accedere non potuerat; cùm ipſius habitus particulam à matre eius cruri admotam attigiſſet; crus integrum accepit. Eadem quoque die Hieronyma Polleria, quæ grauiſſimo genuum dolore tenebatur, habitus eiuſdem particulam ſibi adhibens, mox à dolore curatur.

*Poſt mortem ſignis, ac miraculis emicat.*

30 Bartholomæa Beſſina, Quillianenſis, alterum oculum tam tumidum gerebat, vt illius prorſus lumine careret: quo tempore habitus Cherubini particula ſibi oculum contingens, protinus arefacto tumore, oculi lucem recepit. Hoc modo Peragrius Carpeninus, ab

odontalgia, qua octo dierum ſpatio grauiſſimè laborauerat: Fullinia Ferraria, à genarum
dolore: Minetta Barbeua, à febri continua: Ludouica Ioan. Baptiſtæ Saccarelli vxor, diu-
tina febri laborans: Hieronyma Auguſtini del Bono vxor, & Catharina Leonardi Ca-
ſtelli Sextenſis filia, à graui cordis paſſione: Lucanus puer quinquennis, à boæ morbo,
ex quo moriturus putabatur: Peregrina Saonenſis, Auguſtini Magij filia, dextri oculi
lumine carens: Hieronymus puer, Baptiſtæ Ponziboni filius, ad mortem ægrotans:
Ambroſius Sauinionus, ab alterius pedis tumore: Lælia de Nigris, nobilis Genuenſis,
ab oris apoſtemate: pueri duo moribundi in oppido S. Margaritæ: Auguſtinus Parauici-
nus à gutta arthetica: Iulia Seraualia Genuenſis, à fluxu catarrhi: Georgia Belmoſta,
ab odontalgia: Nicolaüs Sextenſis à mentis delirio: Stephanus Brianus, Sextenſis, ab
acuta febri: huius Sancti Viri habitus contactu liberantur.

His quoque Religioſi Ordinis Viri, ac mulieres accedunt, qui huius ſerui Dei ha- 31
bitus ſibi ſegmen adhibentes, à variis corporis languoribus perſanantur. Fr. Ioſephus
Genuenſis, Ordinis Capucinorum, tam graui iſchiade laborabat, vt altera corporis
parte mutilus eſſet: qui cùm Cherubini ſibi opem implorans, habitus particula læſa
membra contigiſſet; tam integram incolumitatem aſſequitur, vt eo deinceps morbo
nunquam laborauerit. Atque idem rurſus eodem habitus ſegmine genæ dolorem
fugat.

Hoc eodem habitus contactu, Fr. Mauritius Genuenſis, Clericus, eiuſdem Ordinis, 32
à febre continua: Maria Eliſabeth Grilla, Syluia Hyacintha, & Pacifica, Moniales S.
Syluestri Piſani, à graui molarium dolore: Vincentia Alphonſa, & Maria Paraclita,
eiuſdem Monaſterij Moniales, à laterum preſſura: Margarita, eiuſdem Monaſterij Con-
uerſa, ab oris abſceſſu, Sancti Viri merito perſanantur. Hæc verò, quæ de Sancti huius
Viri gloria, ac miraculis dicta ſunt, eò potiſſimùm tendunt, vt qui ab eo geſta legunt,
non ſigna, ac miracula; ſed vitam, ac virtutes imitentur: diues quippe fuit Cherubinus,
diues in virtutibus, diues in meritis, diues in ſignis. Verùm, cùm ſederis ad menſam di-
uitis, diligenter attende, quæ appoſita ſunt tibi: quædam enim ad admirationem, alia
ad imitationem ſpectant. Signa mirifica quædam huius diuitis vaſa ſunt, auro grauia,
gemmis micantia, opere pretioſa. In his habes, quod mireris, non quod comedas. Quòd
ſi famem ſedare optas; quæ in vaſis ſunt, attingas, neceſſe eſt: ibi cæleſtium ciborum co-
piam, virtutum dapes, vitæ ſanctimoniam, ſpirituales delicias inſpicias. His paſcere, his

S.Bernard. in ſerm. B. Martini.

fruere, hæc imitare, vt his ſaginari queas. Nam, vt monet Bernardus: *Habes intra paro-
pſides iſtas, ciborum copiam, delicias vtique ſpirituales: vt non modò videant, & mirentur;
ſed edant pauperes, & ſaturentur; atque in illis quidem Dominum laudent: porrò in his vi-
uant corda eorum: vt ergo ſit iucunda, decoráque laudatio, in admiratione etiam viuant,
ex imitatione.*

Vita, & geſta Fr. MICHAELIS ANGELI *Veneti, Concionatoris.*

Floruit hoc ipſo anno virtute, ac prædicatione illuſtris in S. Antonij Prouincia Fr. MI- 33
CHAEL ANGELVS Venetus, Concionator; qui cùm clariſſimis vitæ exemplis euangelicæ
prædicationis donum, quo egregiè præſtabat, exornaret; hinc tantam in dicendo vim
diuinitùs ſibi inditam acceperat, vt vbicunque Dei verbum diſſeminaret, nouus Apo-
ſtolus cenſeretur. Etenim tam mira erga animas Chriſti ſanguine redemptas charitate
afficiebatur, vt cùm nunquam abſque vbere lacrymarum copia ad prædicationem acce-
deret; ex ea immenſa ſemper animarum lucra referret, ac lacrymarum filios pareret.
Præclariores hic Italiæ vrbes apoſtolico ſpiritu percurrens, quò copioſiorem ex his
meſſem colligeret, ſpirituales quaſdam virtutum exercitationes ſcriptis edere conſue-

*Eximius Prædicator, ac B. Virginis cultor aſſeritur.*

uerat, quas myrrhæ faſciculos appellabat. Tam eximius Deiparæ cultor fuit: vt cùm
vbique populos ad illius venerationem compelleret, Romæ in Eccleſia S. Laurentij in
Damaſo Dei verbum quadrageſimali tempeſtate prædicans, Puritatis B. Virginis in ea So-
dalitatem inſtituerit; ac Regulam præſtituerit: quapropter ab ea quoque cùm formicario
aliquando morbo correptus fuiſſet, incolumitatem tulit.

Huic Fr. Dominicus Coſta, Vir in ea Prouincia probatæ virtutis, nuper defunctus ap- 34
paruit: à quo cùm is tria percunctatus eſſet, primum, quo ille in ſtatu verſaretur: ſecun-
dum, qualem Religio apud Deum gradum obtineret: poſtremum, num ex Capucinis
aliqui ad Inferos damnarentur: is ſingulis reſpondens ait: Primò, ſe meliorem vitæ

ſtatum

ſtatum expetere non poſſe: ſecundò, Religionem hactenus optimo apud Deum gradu frui: tertiò, ex Superioribus nonullos idcircò ad Orcum damnari; quòd nulla in ſibi ſubditos charitate, ac compaſſione ferantur. Ex ſubditis quoque aliquos, ob eorum in Superiores murmurationes, ac detractiones è cæleſti Regno expelli.

35 Propheticæ eum lucis dono haud caruiſſe, hoc aliquando exemplo non obſcurè manifeſtum fuit. In Venetiarum Conuentu, Fr. Alexander Venetus, Sacerdos, deſperata à Medicis ſalute, continua, ac maligna febri laborabat: quo tempore ad eum Michaël Angelus viſitationis cauſa accedens; vbi illum ad B. Virginis cultum, ac venerationem verbis prouocauit; ab eo, num ex ea ægritudine conualeſcere optaret, percunctatur: qui cùm ſuo illi deſiderio annueret: Iam (inquit) bono animo eſto: proximus dies B. Virginis Aſſumptioni ſacer, te incolumem reddet. Dictum certo rei exitu confirmatum fuit. *Diuinis reuelationibus potitur.*

36 Denique, cùm multos in Domini vinea excolenda, putanda, atque ad vitæ fructum prouocanda, labores exantlaſſet; Venetiis inter B. Virginis hymnos Deo ſpiritum reddens, ad præmia euolat. Viri huius ſanctimonia à Deo poſt illius obitum, miraculo illuſtrata fuit: cùm enim in oppido Roboreti, agri Tridentini, cuiuſdam Ordinis noſtri benefactoris filius, animam ageret; pater, audito Michaëlis Angeli, quem ob vitæ ſanctimoniam cæleſti gloria donatum ſibi perſuaſerat, obitu; eius ad filij ſalutem merita inuocans, ſe ipſius ſepulcrum veneraturum pollicetur. Vixque votum emiſerat, cùm moribundus ad vitam reſpirat, & integram incolumitatem conſequitur.

37 Fr. Andreas ab Enna, (vulgò, *Caſtrogioanni*,) Concionator, inter illuſtres Syracuſanæ Prouinciæ Viros omnium voce celebratur: in quo ab ipſo ſuæ conuerſionis exordio tanta morum honeſtas, tanta regularis obſeruantiæ diſciplina, tanta vitæ aſperitas, tanta animi prudentia; tantus denique virtutum omnium ſplendor eluxit, vt Nouitiorum illi cura, ac educatio concredita fuerit: quo munere tam præclare functus fuit, vt pleroſque veræ pietatis diſcipulos Religioni pepererit. Vita, & geſta Fr. Andreæ *Ennenſis, Concionatoris.*

Orationis cumprimis ſtudio accenſus, ad eam nouos Religionis Tyrones tanquàm ad omnium bonorum fontem, verbis, & exemplo prouocabat. Tanto quoque diuinæ charitatis æſtu ad ſacra Myſteria accedebat, vt cùm in oppido Comiſi diuinum, & incruentum illud aliquando Deo Sacrificium offerret, ingens è cælo lucis fulgor in eum deſcendere viſus fuerit. Peracto verò Miſſæ Sacrificio, cùm in Margaritæ cuiuſdam Spatariæ, quæ Capucinos hoſpitio excipere conſueuerat, domum diuertiſſet; noctu orans, à Leonardo huius Margaritæ viro, qui illius geſta obſeruabat, in mentis exceſſum raptus, quatuórque circiter palmis in ſublime elatus conſpicitur. *Dũ celebrat cæleſti fulgore radiatur.*

38 Idem cùm aliquando iter faceret, ab Hieronymo Canitio ruſtica domo exceptus, cùm oleum, quo ignis in lucerna ad Matutinas Horas perſoluendas ali poſſet, ab eo quæreret; vaſculum is oleo vacuum affirmat: atque vt id illi faciliùs perſuadeat, pridie vaſculum ab eo feruenti aqua lotum narrat. Cui Andreas: Iterum, quæſo, (ait,) vas explora, num fortè tantùm nobis olei miniſtret, quod lucernæ ſufficiat. Paret dicto Hieronymus: vt Andreæ morem gerat, vas explorat: ſummáque animi admiratione oleo plenum offendit: ex quo orationis ipſius vis illi perſpecta fuit.

39 Poſt hæc Camilla Santapau, nobilis Licodienſis, pleuritide grauiter laborabat, cùm Andreas ad eam viſitationis gratia accedens, vbi doloris locum manu contigit, mox dolore effugato, incolumem reddidit. Nonnulla quoque futura prophetico ſpiritu prædixit, quæ rei euentus vera eſſe confirmauit. Poſtremò, cùm ſuo vitæ occaſu prænunciato, Licodia Motucam profectus eſſet; ibi annis, ac virtutibus onuſtus, octogenario maior, ad Dominum migrat, illius carne in ſanctimoniæ argumentum molli, ac tenera ſe attrectantibus præbente. *Ægrotantem manus contactu ſanat.*

40 Poſt huius Sancti Viri obitum, cùm Gutterus Velaſcus, Camillæ Santapau filius, graui febre laboraret; Andream viſibiliter ſibi apparentem cernit, his illum verbis conſolantem: Guttere, ne morbum extimeſcas: ex eo protinus conualeſces: neque enim tui, aut tuæ familiæ vnquam obliuiſcar. His cùm dictis abſceſſiſſet, ægrum incolumem reliquit.

41 His Fr. Ioannes à Fano Romuli, (vulgò, *S. Remo*,) Liguriæ oppido accedit: Vir ad-

Vita, & geſta Fr. IOANNIS à *Fano Romuli, Concionatoris.*

mirabili ſanctimonia prædicus: cui cùm nulla, ad apoſtolicum Virum numeris omnibus abſolutum efformandum, virtus deeſſe putaretur; illa tamen in eo potiſſimùm elucebat, quæ cùm omnium virtutum corona ſit, cæteris lucem, ac formam præſtat; ac totius perfectionis vinculum rectè ab Apoſtolo nuncupatur. Hæc, nimirum, diuina charitas eſt, cuius tanto intus ardore flagrabat, vt cùm de diuino amore, aut cæleſti Beatorum gloria aliquid audiret; mox in ingentis oris clamores erumperet: à quibus cùm ſe abſtinere non poſſet; interdum etiam in animi deliquium dilaberetur.

Frequentes, noctu præſertim, quas interdum integras in oratione ducebat, cùm mentis exceſſus pateretur; in his aliquando toto corpore in aëra ferri viſus eſt. In Conuentu Chi- 42
nonenſi anno 1607. cùm in menſa liber legeretur, in quo de Regum adoratione, ac puero IESV mentio fiebat; tot in Cælum clamores efferre cœpit, vt his Fratres perterrefierent. Quapropter Guardianus illum ad ſe vocatum interrogat, cur tam ingentes illos clamores edat. Cui ille ſaltitando his vocibus reſpondit: O amor, ô amor, ô amor! Hiſque dictis protinus humi corruens, in ecſtaſim dilabitur.

*Amoris diuini æſtu tripudiat.*

Tanta erga auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum veneratione afficiebatur; vt cùm 43
Deo ſacrum Miſſæ Sacrificium offerret, corde palpitans, totus in tremorem ſolueretur. Horrendam aliquando tempeſtatem, quæ frugibus deuaſtationem minabatur, vi ſuæ orationis diſſoluit. Noſtro cuidam Theologiæ candidato, qui tam tenui oculorum luce fruebatur, vt vix etiam adhibitis ocularibus legere valeret; tam perfectam ſua oratione lucem reddidit, vt deinceps abſque ocularibus libros percurreret. Denique apud omnes vitæ ſanctimonia clarus in Pariſienſi Conuentu ad cæleſtia migrans, res humanas deſeruit. Eius ſanctimoniæ argumentum illud poſt mortem extitit, quòd cùm Frater Anſelmus Pariſienſis hydropiſi laborans, eius impenſiùs ſibi è Cælo opem imploraſſet, poſt ipſius inuocationem leui ſomno correptus, cumprimùm ab eo experrectus fuit, perfectè ſe incolumem ſenſit.

## *Vita, & geſta Fr.* IOSEPHI *à Leoniſſa, Concionatoris.*

ECcleſiam, velut ſacram Dei Domum, perpetua Iuſtorum, tanquam electorum lapidum 44
ſerie ædificandam fore, Petri Apoſtoli olim vox fuit, qui cumprimùm huius ſtructuræ lapidem Chriſtum IESVM, in imo ædificij fundamento collocaſſet, mox de horum lapidum ſuperædificatione diſſerens, ait: *Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum; & ipſi tanquàm lapides viui, ſuperædificamini domus ſpiritualis.* Neque ab his diſſentanea ſunt, quæ de hoc Iuſtorum lapidum gradu, ac dignitate, Gregorio teſte, prior Iſaïas his verbis diſſeruerat: *Paupercula tempeſtate conuulſa, abſque vlla conſolatione. Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos; & fundabo te in ſapphiris, & ponam iaſpidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides ſculptos, & omnes terminos tuos in lapides deſiderabiles.* Etenim, cumprimùm Gentium Eccleſia, quæ ante Chriſti aduentum, cæleſtium opum egeſtate confecta, veræ fidei naufragio, ac ſimulacrorum procellis iactabatur, ad Chriſtum collecta fuit; ſuos, quibus ædificaretur, ſapphirinos lapides, & cæleſtes homines diuino planè conſilio ad ſui incrementum, ac propagationem præordinatos paſſim accepit: ex quibus, qui iaſpideam animi fortitudinem ſortiuntur, ad Eccleſiam contra veræ fidei hoſtes propugnandam vocantur. Alij, qui iuſtitiæ portas ad vitam intrantibus, ſua doctrina, & præclaris vitæ exemplis aperiunt, tanquàm exculpti lapides nouæ Hieruſalem portas exornant. Qui denique ad dilatandos Eccleſiæ terminos, Chriſtianámque Religionem longè, latéque propagandam, omnem operam, ac ſtudium impendunt; hi lapides deſiderabiles à Domino appellantur: quippe, qui cum diuinæ gloriæ deſiderio ita robuſtam lapidum fortitudinem induunt; vt eos neque tribulatio, neque anguſtia, neque fames, neque nuditas, neque periculum, neque perſecutio, nec gladius, ab ea omni ſtudio procuranda deterrere queant.

1. Pet. 2. 4.

Greg. mor lib. 18. c. 19

Iſaïæ 54. 11.

*Diuina erga Eccleſiã prouidentia aſſeritur.*

Hinc quàm alta, atque illuſtris Ioſephi à Leoniſſa, de quo nobis hîc agendum eſt, vo- 45
catio, & diuina electio fuerit, facilè cuique exploratum eſſe poterit, qui vniuerſos vocationum gradus, qui ſingillatim, iuxta diuinæ mentis conſilium, cæteris diſpertiti ſunt, in eo

*Præclara illius vocatio explicatur.*

vno collectos deprehenderit; in quo, vt ex ipſius vita, & præclarè geſtis perſpectum fiet; & cæleſtis conuerſationis ſapphirus, & inuictæ ad Eccleſiæ fidẽ aduersùs truculentiores ipſius hoſtes tuendam, fortitudinis iaſpis elucent; tantáque ad populos cæleſti doctrina erudiẽdos diuina luce præditus cernitur; vt non immeritò inter Eccleſiæ portas, per quas credentium multitudo ingreditur, & ſcalptos ipſius lapides, virtutum cælatura illuſtres, connumerari debeat. Denique, qui perpetuum illud ipſius ſtudium, ac ſollicitudinem fuiſſe non ignorant, Eccleſiæ ita terminos dilatare, vt ipſos quoque remotos Orbis populos à Chriſti fide aberrantes, ad Eccleſiæ ſinum adducere contenderet; haud fruſtra eum inter lapides deſiderij à Domino collocatum fuiſſe agnoſcent: præſertim cùm ad id fortè inſinuandum, Deſiderij cognomen, quod ſuæ olim familiæ peculiare fuit, à natiuitate ſibi inditum acceperit.

46 Ioſephus igitur Leoniſſæ, quod eſt celebre in Vmbria oppidum, anno ſalutis noſtræ 1556. nobili ſtirpe, Ioanne, videlicet, Deſiderio, & Franciſca Paulina parentibus progenitus, cùm Eufranij in Baptiſmo nomen accepiſſet; ab incunabulis diuinæ cœpit benedictionis ſemine perfundi: mater enim cùm profunda nocte aliquando puerum lactaret, ſomno correpta, ita infantis ori cœpit incumbere; vt eum intercluſo halitu peremptura eſſet, niſi diuino planè miraculo infantis ſaluti proſpectum fuiſſet. Nam hoc ipſo tempore mater ſopore oppreſſa, tam ingentem ab inuiſibili manu colaphum ſibi impingi ſenſit; vt eo à ſomno excitata, pauens exclamare cœperit. Quamobrem lucerna à viro, qui colaphi ſonitum perceperat, confeſtim accenſa, tunc primùm infantis periculum deprehenſum: mater verò cùm liuidam ab inuſto colapho genam, per aliquod tempus geſſiſſet, prudentior inde in puero lactando deinceps euaſit. Alterum quoque diuinæ erga puerum prouidentiæ, ac ſollicitudinis teſtimonium eluxit: etenim ſæpè obſeruatum fuit, quòd eo in cunis iacente, ac vagiente, cùm nemo eſſet, qui ſopiendo puero cunabula agitaret; illa dextra, & virtute duntaxat inuiſibili mouerentur, quò illi ſomnus conciliaretur: quod ſanè non modò cæleſte; ſed & inter cæleſtia perrarum fuit futuræ huius infantis excellentiæ argumentum.

*Ioſephi genus, & patria, & circa illũ Dei prouidentia aperitur.*

47 At cumprimùm Eufranius ex infantia ad pueritiam emerſit; piis, ac optimis à parentibus, qui religioni, ac pietati haud ſegniter ſtudebant, moribus inſtructus; tantùm in virtutis, ac totius pietatis diſciplina profecit: (eo potiſſimùm Doctore, qui non temporis moras, vel ætatis maturitatem; ſed animum duntaxat à labe purum, & ad cæleſtis diſciplinæ ſemina ſuſcipienda aptum exquirit,) vt puerilibus omnibus, ac ludicris, quæ illi ætati familiaria, & cognata eſſe ſolent, abiectis, animum ad ſeria tantummodo, ac ſolida virtutum ſtudia, quæ ætatis etiam humeros ſuperarent, ſollicitè conferret. Vix enim ſeptimum ætatis annum attigerat, (vt ex ipſius Proceſſibus conſtat,) cùm ſextas omnes cuiuſlibet hebdomadæ ferias, ob Dominicæ paſſionis memoriam, panis, & aquæ ieiunio celebrare, eandémque ieiunij legem, in B. Virginis, quam ab hac ſuæ ætatis aurora pia quadam veneratione proſequi cœpit, peruigiliis puerulus obſeruare: altaria, puerorum more, in paterna domo conſtruere, ante illa diutiùs genuflexus orare: ſorores, & extraneos pueros eò ad orandum conuocare: ſingulis diebus Veneris ſimul cum S. Saluatoris Confratribus flagris ſeipſum cædere: cæteris nocturnæ quieti indulgentibus, intempeſta nocte ſurgere, & orationi vacare cœpit. Hæc illius adhuc pueri ſtudia erant: quibus cùm maiora in adoleſcentia ſuccederent; in ea ætate, quæ ad voluptates, & ad vitia prona eſt, animum tantoperè ab omnibus ſæculi illecebris abduxit, vt ab iis perinde, atque à facie colubri aufugeret. Hinc, cùm nonnunquam in paterna domo, epulo inſtructo, choreæ inſtituerentur; is in ſecretiorem domus locum ſecedens, vbi à nemine reperiri poſſet, ſolitarius ſedebat, orabat, meditabatur, animúmque ad cæleſtes delicias eleuans, potioribus illum ſpiritus epulis ſaginabat: tantam pudicitiæ cuſtodiam ab illius ætatis exordio adhibere exorſus, vt & ab mulierum aſpectu, haud ſecùs quàm ab aſpide, & baſiliſco ſibi caueret; omnéſque, tum animi, tum corporis motus, verba, actus, ita cum honeſtate componeret; vt clarum totius in ſeipſo pudicitiæ exemplar, ac ſpecimen præſeferret. Denique, cùm ita modeſtiæ, humilitati, verecundiæ, pietati, ac cæteris virtutibus, quæ adoleſcentiam exornare ſolent, ſtuderet, vt à cunctis, velut quoddam virtutis prodigium, ſuſpiceretur; inde futura communi voce ipſius ſanctimonia præſagiebatur.

*Pueritiæ, & adoleſcentiæ illius virtutes referuntur.*

48 Necdum Eufranius adoleſcentem ætatem euaſerat, cùm vtroque parente orbatus, ſub

*Oblatum à patruo coniugium reſpuit.*

patrui cura educatur: qui cùm inter illius tempeſtatis Ludimagiſtros, moribus, ac doctrina præcelleret, adoleſcentem, qui præſtans à natura ingenium, ac diſcendi facilitatem ſortitus fuerat, humanioribus litteris tam perfectè inſtruit, vt in his reliquos ille facilè condiſcipulos ſuperaret. Dum hiſce Eufranius ſtudiis Viterbij ſub patruo Præceptore operam nauat, maioráque pietatis, ac virtutum ſtudia diligentiùs proſequitur; nobilis quidam Viterbienſis, qui in adoleſcente tantam vitæ innocentiam, morum præſtantiam, & coaceruatam virtutem ſæpè animaduerterat, illius ſtudio allectus; pingui ſeptem millium aureorum dote conſtituta, ſuam illi filiam coniugio copulare ſtatuit: quapropter re cum patruo communicata, cùm in luculentam, optimámque, tum viri, tum coniugij conditionem, is animo propenderet, coniugium Eufranio perſuadet: qui cùm ſuam Deo virginitatem vouere decreuiſſet; ac proinde animum ab omni coniugio alienum gereret; illud apertè recuſat. At patruo rem vehementiùs vrgente, ac ſumma cum eo auſteritate agente; cùm ſe nulla ratione ab eo celebrandum ſperaret, ad Dei opem ſupplex confugit, ab eóque ſuam hactenus illibatam caſtitatem ſibi ſeruari cum lacrymis poſtulat. Deus verò, quem caſtæ cogitationes delectant, quíque æterno ſuæ mentis conſilio ad meliora, ac præſtantiora Eufranium euehere decreuerat; patrui conſilium diſſipat, diutináque Eufranium febri in lecto ægrum proſternit. Sextumdecimum tunc is annum agebat, cùm diuturna illa morbi ægritudo in dies grauior Medicos compellit, vt eo Aphoriſmo, quo cælum, quod morbum genuit, peſſimum iudicatur; illi ad patrium cælum, donec à morbo conualeſcat, migrare perſuadeant.

*Capucinorũ Religioni inſcribitur.*

*Gen.49.22.*

49 Eufranius igitur Leoniſſam rediens, vix patrium cælum conſpexit, cùm, morbo paulatim defluente, incolumitati redditus, ſimul & à patrui imperio, qui Viterbij ſcholam moderabatur; & à coniugij neceſſitate ſe liberum vidit: quo tempore diuino intus Numine agitante, ac cæleſti vocatione, qua ad præſtantiorem Religionis ſtatum impellebatur, frequentiùs animum pulſante; pereuntis mundi vanitatem, & obſidentia vndique pericula ſecum animo verſare cœpit: cúmque inter ſæculi tempeſtates, vbi latentes variarum cupiditatum Syrtes, & ſcopuli animæ naufragium minantur, haud ſatis tutum ſibi ad cæleſtem patriam iter eſſe animaduerteret; anno ſuæ ætatis decimoſeptimo, fluctuantis mundi vorticibus hactenus ſicco pede calcatis, ad Capucinorum ſe Religionis portum, propinquis omnibus inconſultis, confert; ac Eufranij nomine mutato, Ioſephi non modò appellationem; ſed & antiqui illius Ioſephi virtutem, ac benedictionem ſortitur. Olim ſiquidem cùm Iacob ille Iſraëlitarum Patriarcha, filium Ioſephum diuina benedictione proſequeretur, his verbis vſus legitur: *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens.* Hac Ioſephum cæleſtis Pater, cumprimùm ad Religionis ſinum adduxit, ita benedictione conſtabiliuit, vt non modò propinquorum conſpirationem, qui vt eum à Religionis propoſito reuocarent, precibus, minis, pollicitationibus; omnibus denique artibus illius animum tentauerant; ac demum ſcalis admotis in ſacras Ædes inuadere parauerant, ſua conſtantia perfregerit, ſtabilémque inter eos, qui in Domo Dei abiecti, magis quàm in tabernaculis peccatorum illuſtres eſſe malunt, ſedem ſibi vendicauerit: verùm inter Religionis Tyrones, in tenui Carcerellarum Conuentu cooptatus, quaſi filius excreſcens, tam præclaras virtutum aſcenſiones ſibi in animo diſpoſuerit; vt his, velut per diuinæ illius Iacob ſcalæ gradus conſcendens, ad Deum Deorum in Cælum tandem peruenerit.

Pſalm.83.6.

Auguſt. in Pſalm.126.

*Aſcenſiones ſibi ad omniũ virtutũ ſtudia inſtuuit.*

50 Prima igitur aſcenſio, quam ſibi Ioſephus in ipſo ſuſceptæ Religionis exordio præſtituit, ea eſt, quam Vates ipſe, ex quo harum aſcenſionum gradus, ac diſtinctionem decerpſimus, cæteris omnibus ſubſternit, cùm ait: *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum.* Nimirum, ingens quædam lacrymarum copia, quibus anteacta peccata deflere, ac mentis oculos expiare cœpit, de qua Auguſtinus: *Aſcendamus; ſed à conualle plorationis: ſi enim in conualle plorationis manducas panem doloris, & dicis: Factæ ſunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus? benè ſurgis: quia ſediſti.* Hæc enim prima ad Deum aſcenſio eſt, qua quiſque per cordis compunctionem, ac lacrymarum vim ſuperioris vitæ criminibus, ſi quæ ſunt, deterſis, animum ad virtutum profectum parat. Quis enim compedibus conſtrictus, aut catena alligatus, viam aggredi queat? Nulli ſanè grauiores

compedes, nulla durior catena ipſa veteris culpæ labe excogitari valet: quæ cùm nulla alia ratione, præterquàm pœnitentiæ lacrymis, ſolui queat; idcircò, qui à ſæculi ſeruitute erepti, iter ſibi in Religione virtutum aſſumunt; primam à lacrymis viam auſpicari debent, quibus & prioris vitæ ſordes abſtergant, & omiſſa bona luctu proſequantur. Neque enim Iſraëlitis ſub Pharaonis poteſtate degentibus Deo ſacrificare liberum erat: ſed, *Viam trium dierum* (inquiunt) *pergemus in ſolitudinem, & ſacrificabimus Domino.* Etenim, qui ſeipſos Deo, per religioſæ vitæ inſtitutum, ac virtutum profectum ſacrificare parant, à perfecta animi pœnitudine, quæ trina partium diſtinctione, velut trium dierum ſpatio, nimirum, contritione, confeſſione, & ſatisfactione conſtat; iter illos aggredi oportet: vt voluntaria oblatio accepta, & Deo grata eſſe poſſit, iuxta illud Dauidicum: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.* Pſal.50.19.

51 Hoc modo Ioſephus, cumprimùm ab Ægyptiaca ſæculi ſeruitute liber, ſe ipſum Deo, in Religionis deſerto viuentem hoſtiam litare, ac nouum virtutum tyrocinium inſtituere ſibi in animum induxit; ſacrificium à lacrymis exorſus, tot cœpit animum in oratione fletibus eluere; & anteactæ vitæ rationem, tametſi multa cum virtute peractam, vel ob ipſam melioris boni iacturam lacrymis conſpergere; vt, quemadmodum poſt multam imbrium copiam, clarior in cælo ſerenitas exoriri ſolet; ita in Ioſephi animo maior poſt hæc quies, ac tranquillitas affulſerit, qua liberiùs, & faciliùs virtutum ſcalam conſcenderet.

*Animum lacrymis, ac pœnitentia lauat.*

52 Mentis itaque domicilio pœnitentiæ ſcopis mundato, ad ea vitæ impedimenta è medio tollenda animum confert, quæ animum à virtutum via ſuapte natura reuocare ſolent. Eà verò cùm (teſte Apoſtolo) ex carnis concupiſcentiis, quæ aduersùs animam militant; & Amalechitarum inſtar, iter veris Iſraëlitis ad promiſſionis terram pergentibus impediunt, potiſſimùm conſurgant; hinc ſecundam aſcenſionem in carnis, ac ſenſuum mortificatione parat, iuxta Pauli conſilium, ita ſeriò admonentis: *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.* Gal.5.24. quam propterea tanto ſtudio, & conſtantia proſequitur, vt eam primùm abſtinentia, ac ieiuniis langueſcere; tum verò duris caſtigationibus tabeſcere; demum perfecta omnium ſenſuum mortificatione emori compulerit. Triennio nanque in Religione exacto, cumprimùm ad philoſophica, & theologica ſtudia vocatus fuit; tam admirabili carnem abſtinentia extenuare cœpit, vt ternos cuiuſlibet hebdomadæ dies ſolo panis, & aquæ victu, cultu ſempiterno, tranſigeret; atque eadem abſtinentiæ lege pleraſque anni Quadragenas celebraret: quódque vix credibile eſt, ternos plerunque dies abſque cibo præteriret. Quid? quòd eò tandem abſtinentiam contraxerat, vt æſtiuo aliquando tempore, quo longiori curſu Sol ab Oriente ad Occidentem vertitur, denos plerunque dies, ſola panis per diem buccella guſtata, integros ageret. Denique, cùm omnem guſtus voluptatem acri bello perſequeretur, eo fiebat, vt cùm communibus cum aliis cibis veſceretur; pulmentum, vt plurimùm vel aqua inſipidum, vel abſinthico puluere amarum redderet; tantáque corpus victus tenuitate extenuaret, vt vix illi vitæ neceſſaria miniſtraret. Quapropter ſæpè cum ſuo corpore, quod Aſinum appellare conſueuerat, confabulans: Frater Aſine, (aiebat,) non te equum generoſum, quem fœno, & auena paſci opus ſit; ſed aſinum volo, cui palea ad victum ſufficiat. Id tecum cogita: nec melius, aut abundantius, quàm apud te decet, aut tibi opus eſt, pabulum expectes. Quamobrem, cùm eam tibi tantùm appoſitam videris, ea contentus eſto.

*Carnem cum vitiis crucifigit.*

53 Prioribus quidem ſuſceptæ Religionis temporibus, cùm plus obedientiæ, & humilitati, quàm proprij ſpiritus voluntati daret; aliorum conſiliis acquieſcens, mitiùs cum corpore agebat; abſtinentiæque rigorem compeſcens, ſub diſcretæ cuiuſdam temperantiæ ſpecie nonnulla carni indulgebat. Quo temporè ſæpè ægritudine detentus, cùm abſtinentiæ virtutem ſibi paulatim defluere, atque in diſcrimen vocari animaduerteret; haud ſecùs quàm qui ab hoſte proſtratus violenter exurgens, in eum validiùs irrumpit; tanta, ac tam rigida abſtinentiæ ratione (quod nouum planè, ac inſolitum bellandi genus) in valetudinarium illum corporis ſtatum conſurrexit; vt eo breui tempore deuicto, ac mutato, noua abſtinentia firmum, & incolumem deinceps adeptus fuerit.

54 Hinc plerunque de virtutis propoſito non facilè ſub diſcretionis titulo deſerendo, cum

*Diſcretionis virtus quo pacto moderanda.*

aliis diſſerens; hæc dicere ſolitus erat: Satan, Fratres, quos à virtutis propoſito palam deterrere non poteſt, ſub doloſa virtutis ſpecie, paulatim ſæpiùs à vera virtute reuocat; dum iis temperantiæ, ac diſcretionis regulam perſuadet. Nemo quidem, quàm diſcretionis virtus, incipientibus præſertim, atque iis, qui in via Dei minùs exercitati habentur, neceſſaria ſit, ignorat: hæc enim lucerna, & mentis oculus eſt, quæ vitia à virtutibus diſcernit; hæc prudentiæ Magiſtra, hæc ſpiritus conſiliaria; hæc denique ignea columna, quæ tutam Iſraëlitis, qui per virtutum ſalebras ad euangelicam perfectionem pergunt, viam aperit. Quid hac diſcretionis, ac ſpiritualis prudentiæ virtute homini, aut vtilius, aut optabilius eſſe poteſt? quæ ſi deſit, nulla diutiùs virtus incolumis ſtare valet. Hanc tamen cùm Satan aſtutus perſuadet; ab eo maximè cauendum eſt: neque enim ferus hoſtis, cui mille nocendi artes, veram diſcretionis virtutem; ſed carnis prudentiam docet, dum temperatam corpori refectionem dandam monet, vt ieiunia, & abſtinentiam expellat: moderatum ſomnum laudat, vt ſacras vigilias amandet: orationem ſuadet, vt corporalem exercitationem tollat: carnis tantùm curam in deſideriis, iuxta Apoſtoli conſilium, non faciendam hortatur, vt aſperiores carnis caſtigationes propulſet.

*Dæmon ſæpè diſcretionem ſuadet, vt auſteritatem tollat.*

Denique, cùm aliud aſſequi nequeat, bona conſulit; vt à melioris boni poſſeſſione hominem exturbet. Atque huc illud Hugonis Victorini ſpectat, ita monentis:

Hug. de Clauſt. an. c.2.

*Ecce Diabolus Phyſicam docet: ecce Medicus factus eſt; de complexionibus loquitur: infirmitates diuerſas, ſi teneatur Religio, generari prædicat. Sed quare hoc? Non, vt mederi velit; ſed, vt occidere poſſit: non vt ægritudines curet; ſed, vt ſecuriùs inferat mortem. Videt ex ſubtractione ciborum, luxuriæ vires poſſe minui; & ideò non tardat minari ægritudinem. Timet otium perire, & ſomnolentiam deſtrui; & ideò laboris intolerantiam, & protenſa vigiliarum ſpatia prætendit. Credit ex paupertate humilitatem nutriri; & ideò quærit occaſiones, quibus humilitatis impediat aduentum.* Quo fit, vt neque facilè quis ſibi ipſi diſcretionis virtutem conſulenti credere debeat: ſed diſcretionis ſpiritus diuturno ipſo rerum experimento ſit probandus, ne carnalis ſapientia nobis tanquàm cæleſtis obtrudatur. Ad hæc, Sanctum quoque Bonauenturam his verbis docentem adferebat:

S. Bonauent. ſpec. 2. p. princ. c.2.

*Feruorem Nouitiorum non decent illæ miſericordes in ſeipſis diſcretiones, & diſcretionum diſpenſationes faciles: quia indulgentiæ ſuo iudicio non ſunt admittendæ; nec tamen recuſandæ ſunt: alieno à ſeipſo, in ſeipſum rigida debet eſſe cenſura, & diſtricta ſeueritas.* Quapropter his plerunque verbis ſermonem claudens addebat: Si Fratribus perſpectum eſſet, quàm obuia, ac prompta his ſunt diuinæ gratiæ auxilia, qui ardua licèt, ac difficilia virtutum opera forti animo aggrediuntur, quibus eorum infirmitatem adiuuare parat.

*Piè audentibus diuina auxilia adſunt.*

Equidem non tam naturæ, ac ſpiritualis prudentiæ leges, quàm ipſam cæleſtis gratiæ vim, ac virtutem attenderent: qua adminiculante, & natura, ad ea virtutum opera, quæ priùs impoſſibilia videbantur, aſſurgit; atque humanæ prudentiæ leges, quæ his, qui lentiùs in via virtutum procedunt, rectè præſcribuntur, diuinis legibus ſubiiciuntur. Atque huc illa S. Ambroſij verba opportunè referebat, ita ſcribentis:

S. Amb. lib. 8. in Hexam. c.4.

*Eſt in natura quadrupedum, quod imitari nos ſermo adhortatur propheticus; quo exemplo caueamus deſidiam; exiguitate, vel infirmitate corporis à virtutis ſtudio non reflectamur: neque reuocemur ab illius propoſiti magnitudine. Exigua enim eſt formica, quæ maiora ſuis audet viribus, neque ſeruitio ad operandum cogitur; ſed ſpontaneæ propoſito proſpicientiæ futura alimentorum ſubſidia ſibi parat: cuius vt imiteris induſtriam, Scriptura commonet te, dicens: Vade ad formicam, ô piger; & æmulare vias eius, & eſto illa ſapientior.* Hæc ille.

Hanc Ioſephus in victu perpetuam abſtinentiæ legem ſibi præſcripſerat; vt non quan- 55
tùm corpori, ſed quantùm ſibi, qui corporis vitia nouerat, ſatis eſſe videretur, cibi ſumeret: quo fiebat, vt cumprimùm ad menſam accederet, panis portionem, quæ ad vitam alendam ſufficeret, ſeorſim ſegregans, corpus his verbis compellaret: Frater Aſine, iam quæ tibi appoſita ſunt, cernis: caue, ne cætera attingas, aut alia à me expectes: his contentus eſto. Annum 1599. qui Iubilæi annum anteceſſit, cùm totum quotidiano ieiunio proſequutus eſſet; ieiunij cauſam interrogatus, reſpondit: Si ſolennior feſti alicuius dies celebratur, annon alterius diei peruigilio præuenitur? Iam verò cùm ſolenniſſimus Iubilæi annus ab Eccleſia celebrandus ſit; quidni præcedentis anni peruigilio præcurrendus erit? Hoc modo cùm perpetua inedia carnem ad languorem compelleret, primo huius aſcenſionis gradu conſcenſo, ſecundum, quo ad aſperiores eiuſdem caſtigationes anhelabat, vehemētius proſequebatur.

Carnem

56 Carnem propterea variis aſperitatibus edomandam eſſe, ne in ſpiritum inſoleſcat; & reprobum efficiat, antiqua eſt Apoſtoli vox, olim de ſeipſo conteſtantis: *Ego caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Quòd ſi caro noſtra*, vt Auguſtini verbis vtar, *quotidie contra animā pugnat; cur & nos quotidie contra carnem pugnare non debemus? Sicut Apoſtolus præcipit: Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Caro concupiſcit omne malum: caro hortatur ad maleficia: caro prouocat iram: caro prouocat homicidium: caro prouocat adulterium, & rixam: caro inſerit ebrietatem: caro portat omnem concupiſcentiam malam huius ſæculi, & omnia mala caro deſiderat. O caro beſtia crudelis!* Hinc Ioſephus, vt hæc, & innumera alia carnis vitia, quibus ea ſpiritum oppugnat, extingueret; ac ſe Apoſtoli imitatorem præberet, tam duris carnem caſtigationibus premere conſueuerat, vt pleriſque ciliciis, tum ex equinis crinibus, tum etiam ex ſuillis pilis contextis, quibus diu carnem afflixit, minimè contentus; alia quoque ex ſicco vaccæ corio, & fœno conſerta: vltimum denique, (quod eatenus planè inauditum fuerat,) duriùs ex viminibus textum, diutiùs geſſerit.

*1. Cor. 9. 26.*

*S. Auguſt. lib. de ſalut. docum. c. 4.*

*Caro edomāda, ne in ſpiritum inſoleſcat.*

57 Nemo vnquam tanta animi fame aurum eſuriit, quanta hic dura omnia pro Chriſto patiendi cupiditate flagrauit. Quapropter cùm hæc illi nimis leuia viderentur, his aliquandiu loricam ferream, quæ nudum corpus ad femora vſque contegeret, adhibuit: huic etiam ferream laminam, qua lumbos conſtrinxit, per aliquot annorum ſpatia addidit: qua tandem in ferream catenam commutata, cùm ea diu, noctúque arctiùs conſtringeretur, carne diutino illius vſu ſupercreſcente, ac tabeſcente; eam tandem, ne inde incurabile vlcus erumperet, forcipe obtruncari opus fuit. Verùm, ne ſeruo contumaci vincula deficerent, alteram catenam paulò laxiorem ſortitus, ea ad obitum vſque vſus fuit. Hoc pacto Vir egregius, cùm, iuxta apoſtolicum conſilium, corpus ſuum hoſtiam ſanctam, viuentem, ac Deo placentem in odorem ſuauitatis offerret; feruentiori in dies in propriæ carnis odium, ac mortificationem ſtudio ferebatur. Quo fiebat, vt cùm his animus, grauiora pro Chriſto perferendi famelicus, exſaturari minimè poſſet; ferrea catena corpus quotidianis ferè verberibus cæderet; perexiguum oculis ſomnum indulgeret; vt noctis partem in ſacras vigilias, & orationem inſumeret. At ne breuem illam quietem, quam ſibi ſomnus eripiebat, mollem, aut iucundam corpori exhiberet; deſpectiſſima totius Conuentus cella, quæ vix illum caperet, ſibi electa, ſæpè nudam humum, vel ſi corpus molliùs aliquando excipere vellet, tabulas feſſis membris, ac capiti ligneum puluillum ad quietem ſubſternere ſolebat: & haud rarò abſque cella in aliquo domus angulo, leui ſtrata palea iacere cernebatur. Nullum denique tam durum, támque moleſtum auſteritatis genus erat, quod ſi illi per Superiores liceret, non auidiſſimè complecteretur.

*Summa vitæ illius auſteritas explicatur.*

Quamobrem, cùm peractis theologicæ diſciplinæ ſtudiis, & ad euangelicum munus aſſumptum, Prouincialis Miniſter eum ſibi publicæ viſitationis comitem elegiſſet, noua mox vitæ auſteritate ita enitere cœpit; vt Prouincialis ipſe Miniſter, tametſi vitæ rigiditate conſpicuus, id tandem fateri coactus fuerit, ſe nullatenus Ioſephi auſteritatem aſſequi poſſe. Quapropter in S. Franciſci Prouincia id tandem ſua vitæ aſperitate agnomen tulerat, vt à Fratribus propriæ carnis lanio communi voce appellaretur. Cùm itaque Ioſephus languentem primùm ieiuniis carnem, tum caſtigationibus tabeſcentem, primo, ac ſecundo huius aſcenſionis gradu præſtitiſſet; tertio denique perfecta ſenſuum mortificatione, ad Crucem compellit, vt eam cum Chriſto crucifixam, ac perfectè concupiſcentiis emortuam teſtaretur.

58 Senſuum mortificatione vitia omnia extingui, virtutes parari, mentis puritatem obtineri, Diaboli tentamenta deuinci, Chriſti Crucem, & imitationem referri; denique tutam, ac facilem ad omnem perfectionem viam ſterni; ſanctorum omnium Patrum communis ſententia eſt, quam Ioannes Caſſianus his verbis exponit: *Mortificatione voluntatum*, inquit, *extirpantur, & marceſcunt vitia vniuerſa: expulſione vitiorum virtutes fructificant, atque ſuccreſcunt: pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur: puritate cordis apoſtolicæ charitatis perfectio poſſidetur.* Quo fit, vt qui perfecti hominis exemplar referre voluerit, illius à perfecta ſenſuum mortificatione, ex qua veteris hominis mors, ac renouati vita, velut à principio fluunt, imaginem auſpicari opus ſit. Porrò quàm conſtans, quàm perpetua, quamque perfecta in Ioſepho ſenſuum omnium mortificatio eluxerit; ipſi,

*Senſus omnes perfectè mortificat.*

*Ioan. Caſſ. lib. 4. de Inſtit. c. 43.*

qui de illius vita, ac geſtis Proceſſus ab electis Iudicibus, tum Leoniſſæ, tum Spoleti, atque Amatrici, aliiſque locis apoſtolica authoritate inſtructi fuêre, non obſcurè declarant. Ori primùm tam ſeueram vbique cuſtodiam adhibuit, vt Chriſtiani Pythagorici inſtar, ne in otioſum, ac inutile, nedum pernicioſum verbum aliquando dilaberetur, taciturnitate pro ſermone, ſilentio pro lingua vteretur: ei ſiquidem familiare erat, omnium familiaritates fugere, ſolitudinem quærere, plura cum Deo, pauca cum hominibus proloqui; & quamlibet temporis iacturam, quam mutua conſuetudo adferre ſolet, magni æſtimare. Quòd ſi interdum interrogatus reſpondere compelleretur; primum lingua, alterum caput, vel diſceſſus opportunè captatus, reſponſum reddere conſueuerat. Neque id fruſtrà: cùm enim tot ſint linguæ vulnera, quibus animum ſauciat; vt eam Iacobus Apoſtolus olim inquietum malum, plenam veneno mortifero; demum vniuerſitatem iniquitatis appellauerit; haud immeritò, qui linguam ſilentio cohibet, atque in verbo non offendit, ab eodem inter Viros perfectos collocatur.

*Seueram oculis cuſtodiam adhibet.* Matth. 5. 28.

Linguæ frænum, oculorum quoque cuſtodia comitabatur: quæ, quanti ab iis æſtimanda ſit, qui ad euangelicæ perfectionis faſtigium anhelant, docuit olim Saluator, cùm ait: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo.* Quanquam verò his verbis Saluator mentis potiſſimùm impudicitiam prohibeat; attamen, cùm ea ex mulierum aſpectu oriatur, ab ipſo quoque mulierum aſpectu cauere iubet, vt præclarè Saluianus Maſſilienſis his verbis docet: *Hinc intelligere planè poſſumus, quàm caſtos nos eſſe Saluator iuſſerit; qui etiam licentiam viſionis abſcidit: ſciens enim feneſtras quodammodo eſſe noſtrarum mentium, lumen oculorum; & omnes improbas cupiditates in cor per oculos, quaſi per naturales cuniculos introire; extinguere eas penitus foris voluit, ne intùs orirentur; & lethaliter creſcentibus fibris, conualeſcerent fortaſſe in animo, ſi germinaſſent in viſu. Idcircò itaque ait Dominus, petulcos impudicorum hominum intuitus noxa adulterij non carere; ſcilicet, vt qui bona fide fugeret adulterium, cuſtodiret aſpectum.* Quam porrò Ioſephus oculos à mulierum aſpectu cuſtodiret, ne animum deprædarentur; id planè indicat, quòd cùm perpetuus virginitatis cuſtos fuerit, non modò à mulierum aſpectu; verùm & ab iis omnibus, quæ pudicum animum quoquo modo labefactare poſſent, ſollicitè cauebat: qualia eſſe ſolent, depictas mulierum imagines intueri; fœminarum cantus audire; libros vel leuiter obſcœnis rebus conſperſos legere; blanditias puellis adhibere; ſecreta mulierum colloquia admittere; aliáque his ſimilia. Quo fiebat, vt cùm prædicationis tempore, cùm muliere interdum, quæ vel ab eo ſalutis conſilium poſtularet, vel in afflictione conſolationem quæreret; illi colloquendum eſſet; oculos primùm ita componeret, vt ne poſt colloquium quidem illius vultum agnoſceret: tum verò tam patentem ſibi, vel in Eccleſia, vel in foribus ſibi ad colloquendum locum eligeret, vt nunquam ſolus cum ſola abſque Socij præſentia ſermones miſceret. Choreas verò, ac ſpectacula, tanquàm impuræ Veneris fomenta, tam graui odio proſequebatur; vt cumprimùm hæc inſtituta intelligeret, protinus omni ſtudio exturbare conaretur: atque adeò in ea inuehebatur, vt chorearum vaſtatoris (Italicè, *Guaſtaballi*) apud omnes agnomen ſibi compararet. Sed, quoniam de his fuſiùs infrà agendum eſt, hæc tantùm hoc loco indicaſſe ſufficiat: vt quantoperè ab his omnibus, quæ ſenſuum cupiditates fouere ſolent, abhorreret, perſpicuum ſit. Hoc modò cùm & aliorum ſenſuum voluptates ad internecionem vſque proſequeretur, ſuámque cum Chriſto carnem Cruci affigeret, Chriſti morti configuratus, perfectos huius aſcenſionis gradus ſe aſſequutum teſtabatur: ita vt illud ſibi Apoſtoli vendicare valeret: *Chriſto confixus ſum Cruci. Viuo autem, iam non ego; ſed viuit in me Chriſtus.*

*Saluian. Maſſil. lib. 3. de prouid. poſt med.*

*Choreas ſummo odio proſequitur.*

Gal. 2. 19. & 20.

Omnibus itaque ſpiritualis vitæ impedimentis è medio ſublatis, ac via ad maiores animi 59
virtutes parata, tertiam Ioſephus ad mentis humilitatem, quæ prima origo virtutum eſt,
aſcenſionem aggreditur. Tres autem in hac humilitatis aſcenſione gradus, iuxta triplicem incipientium, proficientium, & perfectorum modum, diſtinguendos eſſe, docent plerique Patres, de quibus Auguſtinus: *Tres ſiquidem* (inquit) *aſcenſus ſunt. In primo aſcendimus ab iſtis exterioribus ad nos. In ſecundo aſcendimus ad cor altum: quantò nanque magis proficimus, tantò ampliùs aſcendimus. In tertiò aſcenſu, aſcendimus ad Deum.*

S. Auguſt. lib. de ſpirit. & anima.

Primus igitur humilitatis gradus eorum eſt, qui cùm vniuerſa hæc terrena labe con-

*Ad perfectã humilitatem quinam gradus.*

creta certo occaſu dilabi, ſéque ex nihilo, nedum infimo terræ puluere excitatos, cum iis dura quadam neceſſitate ad interitum compelli altè animo repetant; hinc rerum, ac ſuiipſorum cognitionem edocti, ad mentis humilitatem prouocantur. At, quandoquidem hæc incipientium humilitas eſt, quibus necdum maior ſuæ animi conditionis cognitio eluxit; altior, ac præſtantior aliorum gradus eſt, qui perfectiorem à Deo ſuæ imbecillitatis cognitionem nacti, quales ad malum, qualéſque ad bonum ſint, agnoſcunt: cùm enim ſe ita ad malum pronos, ac velut alligatos conſpiciant, quòd niſi diuinæ gratiæ ope fulciantur, in omne prorſus vitium, ac ſcelus, ipſo corruptæ naturæ pondere preſſos, corruere neceſſe ſit; ex quibus ex nullo vnquam tempore abſque nouo Dei auxilio reſurgere valeant: ad bonum verò quodcunque peragendum adeò inualidos, atque imbecilles, vt niſi Dei gratia adiuuentur, ad illud omninò ſe inhabiles agnoſcant: quod Auguſtinus in Soliloquiis ita explicat. *Domine, confiteor, vti docuiſti me, nihil aliud ſum, quàm vniuerſa vanitas, vmbra mortis, & abyſſus quædam tenebroſa, & terra inanis, & vacua; quæ ſine tua benedictione nihil germinat: fructum quoque non facit, niſi confuſionem, peccatum, & mortem. Si quid boni vnquam habui, à te recepi: quicquid boni habeo, tuum eſt, vel à te habeo: ſi quando ſteti, per te ſteti: ſed quando cecidi, per me cecidi: & ſemper in luto iacuiſſem; niſi tu me erexiſſes; ſemper cæcus fuiſſem, niſi tu me illuminaſſes. Quando cecidi, nunquam ſurrexiſſem, niſi tu manum porrexiſſes: poſtquàm me etiam erexiſti, ſemper cecidiſſem, niſi tu me ſuſtinuiſſes.* Hinc profundior iis humilitas exoritur, qua omnis ab eorum animo ſuperbia cadit, ac mentis præſumptio proſternitur. Poſtremus verò, ac præſtantiſſimus humilitatis gradus perfectorum eſt, qui mentis aciem in Deum, velut totius boni fontem, defigentes, nullum præter eum bonum agnoſcunt; quicquid enim in ſe, vel in creaturis, aut boni, aut recti percipiunt; ita ad diuinam illam boni, ac recti eſſentiam referunt; vt nihil ſibi prorſus boni aſſumant; ſed bonum omne in eum refundant, qui cùm omne, ac ſolum bonum ſit, ſi quod aliud bonum eſt, ab eo velut à totius boni ſcaturigine emanat. Quinimò vſque adeò in hanc diuinæ bonitatis abyſſum transfunduntur; vt ſe in totius boni nihilo conſtituentes, ſe, omniáque, præter Deum, boni tantùm ſpecie frui ſentiant: ita vt Dauidicum illud pronunciare queant: *Et ego ad nihilum redactus ſum, & neſciui.* Verùm, cùm ex Bernardo duplex humilitas ſit, cognitionis, nimirum, & affectionis; haud ſanè cenſendum eſt, hos gradus ſola cognitione perfici: humilitas ſiquidem cùm virtus moralis ſit, non tam ad intellectus cognitionem, quàm ad voluntatis amplexum, & affectionem ſpectat. Quo fit, vt iuxta cuiuſque cognitionis modum, hominis erga humilitatem affectus eſſe debeat: vt vera humilitas eſſe poſſit. Etenim, vt ait Bernardus: *Si tu temetipſum intus ad lumen veritatis, & ſine diſſimulatione inſpicias, & ſine palpatione diiudices; non dubito, quin humilieris, & tu in oculis tuis factus vilior tibi ex hac vera cognitione tui: quanuis necdum fortaſſe id eſſe patiaris in oculis aliorum. Eris igitur humilis; ſed de opere interim veritatis, & minimè adhuc de amoris infuſione: nam, ſi veritatis ipſius, quæ te tibi veraciter, atque ſalubriter demonſtrauit, ſicut ſplendore illuminatus, ita affectus amore fuiſſes; voluiſſes proculdubiò, quod in te eſt, eandem de te omnes tenere ſententiam, quam ipſam apud te veritatem habere cognoſcis.*

S. Auguſt. Soliloq. cap. 15.

Pſal. 72. 22.

S. Bernard. hom. 42. in Cant.

*Perfectã humilitatis vniuerſos gradus conſcendit.*

60 Hæc idcircò prælibanda duxi, vt quàm Ioſephus hos omnes humilitatis gradus perfectè conſcenderit, ex his, quæ ab eo geſta ſunt, faciliùs agnoſci poſſit. Etenim, cumprimùm in Religione virtutum tyrocinium poſuit, ad humilitatis virtutem tanto ſtudio animum contulit; vt nihil iucundius putaret, quàm aliorum ſeſe obſequiis mancipare, viliſſimis domus miniſteriis incumbere, ac ſe omnium ſeruum, & captiuum exhibere: cùm enim Dominum dicentem audiret: *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.* poſt ea, quæ ſui muneris erant, expleta; ita ſe totum in humilitatis officiis, atque aliorum miniſteriis obeundis impendere conſueuerat; vt & coquo ligna, & aquam miniſtraret, culinariáque vaſa, quæ ſordida erant, ablueret; hortulano ſuam in horto fodiendo operam conferret; infirmorum matulas, & ſcaphia quotidie expurgaret; cum Clericis, licèt Sacerdos, domus pauimenta verreret; cum communitatis veſtium Præfecto laceros Fratrum habitus reſarciret; ſordidóſque lixiuio elueret: & ſi quod aliud in Conuentu, aut moleſtum, aut difficile opus obeundum eſſet, id tam lætis, ac promptis animis

Matth. 20. 28.

*Humilitatis ipſius exẽpla recenſentur.*

præſtaret, vt in eo ſummam voluptatem collocare videretur. Quapropter, cùm Vicarij Prouincialis comes eſſet, ſimul atque ad Conuentus appelleret; primùm illius ſtudium erat, patinas, ac coquinaria vaſa, quæ ſordida erant, abſtergere; ægrotorúmque ſcaphia emundare. Hinc tam ingens in illius animo ſuiipſius contemptus pullulauerat, vt non modò illatas ſibi, tum publicas, tum priuatas correptiones æquo animo ſuſtineret: verùm & iis obuiam iret; ſuæque apud alios deſpicientiæ occaſiones venaretur; quóſque alij diligentiùs quærere, atque auidiùs captare ſolent, is honores metueret: tantúmque ſibi ab omni laude caueret; vt ſi quod pium, ac ſingulare aliquando opus exantlaret: atque adeò ipſa humilitatis officia, quæ præſtare ſolitus erat, tanto ſtudio extenuaret, quaſi qui nullam ex his laudem, quin potiùs contumeliam, conſequi deberet: nouerat enim à Bernardo dictum: *Appetere de humilitate laudem, humilitatis non virtus eſt, ſed ſubuerſio: verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari. Gaudet contemptu ſui: hoc ſolo ſanè ſuperbus, quòd laudes contemnit.* Eo fiebat, vt quanquam euangelizandi officio præcelleret; oppidula tamen ſibi ad prædicandum eligeret, eáque illuſtrioribus vrbibus anteferret; & paucis æquè, ac multis Dei verbum proponere, & oblatos Guardianatus honores, quoad fieri poterat, recuſare ſolitus erat: atque adeò ſuiipſius contemptu gaudebat, vt Leoniſſæ aliquando Dei verbum diſſeminans, vbi pueros poſt prædicationem fidei rudimenta docuerat, atque in pietate inſtruxerat; quò omnem propriæ exiſtimationis ſenſum elideret; eoſdem, vt eum lapidibus oppeterent, verbis prouocaret. Hæc verò ex primo hoc humilitatis gradu in eum effluxiſſe haud dubitandum eſt, quo ſapida ſui cognitione illuſtratus, ad eorum ſe Religionis inſtitutum à Deo vocatum eſſe agnouerat, qui Chriſti humilitatem inter homines referrent, & cum Apoſtolo dicerent: *Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium eius portantes.*

*S. Bern. ſerm. 16. in Cant.*

*Heb. 13. 13.*

Hoc itaque primo humilitatis gradu conſcenſo, cùm clariorem, ac præſtantiorem à Deo 61
propriæ cognitionis lucem ſortitus eſſet, ad ſecundum, altiorémque humilitatis gradum aſcendit: qui ſe tantò profundiùs ante Dei oculos, atque hominum conſpectum deiiciti quantò ſe ſolum impium, ac ſceleſtum, cæteros præ ſe iuſtos ſibi perſuadere cœpit: quo fiebat, vt eorum ſe conſortio, ac ſocietate indignum aſſerens, nullum tam profundum, qui ſe demitteret, locum offenderet; quin adhuc ſibi profundiorem expeteret. Hunc verò humilitatis ſenſum inde potiſſimùm hauſerat, quòd cùm de aliis rectè ſentiret, ac ſentiendum eſſe iudicaret, ſua ſibi tantùm erga Deum ingratitudo, atque ad omne malum pronitas nota erat: ex qua illud tandem apud ſe argumentum confecerat, quo ſolùm ſe in Orbe peccatorem conſtitueret. Huic & aliud quoque perfectius veritatis lumen accedebat, quo ſeipſum, tametſi nullius ſibi ſceleris conſcius eſſet, verè peccatorem, ac ſceleſtum eſſe ſibi perſuaſerat. Cùm enim naturæ poſt peccatum corruptionem eovſque euaſiſſe intelligeret, vt velut terra inanis, & vacua, omníſque boni expers, nihil ex ſe ipſa, præterquàm peccatorum ſpinas, & tribulos germinet, quò illud Dauidicum ſpectat: *Anima mea ſicut terra, ſine aqua tibi.* cæleſtem illam Domini vocem ſe admonentem perpetuò animo percipere videbatur: *Neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Quo fiebat, vt ſe velut tenebroſum quoddam chaos omni luce orbatum, & cæcum abyſſi puteum, nihil ex ſe, præterquàm perpetuos ſcelerum fumos exhalantem, demum grauiſſimam quandam plumbi maſſam cogitaret: quæ niſi à præpotenti Dei manu ſuffulta eſſet, in omne mox flagitiorum profundum dilaberetur: quemadmodum Auguſtinus teſtatur his verbis: *Proni ſumus ad malum: & ſi Dei miſericordia non teneret nos, in omne vitium poſſemus cadere; nec inde reſurgere, niſi Dei miſericordia ſubſequeretur.*

*Profunda humilitatis gradum attingit.*

*Pſal. 142. 6.*

*Apoc. 3. 17.*

*S. Aug. lib. de ſpirit. & anim.*

Hinc cùm ea ſibi mala, & peccata adſcriberet, quæ, excluſa Dei gratia, perpetrare po- 62
tuiſſet; ſe non modò peccatorem coarguebat; ſed & inde omnium peccatorum maximum, Auguſtini teſtimonio euincebat, quem ita docentem ſæpè proferre ſolitus erat: *Sic ſemper, Domine, ſic ſemper gratia tua, & miſericordia præuenit me, liberans me ab omnibus malis, ſaluans à præteritis, ſuſcitans à præſentibus, & muniens à futuris; præcidens etiam ante me laqueos peccatorum, tollens occaſiones, & cauſas: quia niſi tu hoc mihi feciſſes, ego omnia peccata mundi feciſſem. Quoniam ſcio, Domine, quòd nullum peccatum eſt, quod vnqu m fecerit homo, quod non poſſit facere alter homo, ſi Creator deſit, à quo factus eſt homo.* Quamobrem id ſæpè confirmans aiebat: Heu me! ſi me Dei gratia dereſeret, annon in profundius ego quàm

*Se præ cæteris ſummũ peccatorem ſentit.*

cæteri

cæteri omnes coniunctim homines, imò Lucifero grauiùs, ſcelerum omnium barathrum deſcenderem? Etenim cùm & ingenitus peccati fomes, & praua ad mala omnia propenſio, & coaceruati tot vitiorum habitus, miſerum ad peccatum impellant; quæ non in facinora præceps ruerem, niſi me Dei clementia à caſu prohiberet? Quo fit, vt cùm ea è medio ſublata, nullus meo caſui modus, aut terminus præſcribi poſſit; maiori me ſolum præ cæteris hominibus ſcelerum pondere grauatum, quantùm in me eſt, ſentire debeam.

63 Hæc verò profunda ſuiipſius cognitio, tam altas in Viro Dei, quandiu in ſecundo hoc humilitatis gradu verſatus fuit, veræ humilitatis radices infixerat; vt perpetuo quodam diuinorum iudiciorum timore, quo magis in ea conſtabiliretur, ipſius animum pulſaret; ita vt, iuxta Apoſtoli conſilium, cum timore, & tremore ſuam inter homines ſalutem operaretur. Hunc Sanctorum timorem eſſe, quo eorum virtus perficitur, præclarè tradit Gregorius his verbis: *Sæpè* (inquit) *Sanctorum cogitationibus ipſa, quæ habent, bona blandiuntur, vt eorum mentes in aliqua fiducia eleuent: ſed protinus ad occulta Dei iudicia recurrunt: quomodo alij ex virtutibus ad Infernum per elationem corruunt; alij ex vitiis correcti, ad Cælum per humilitatem leuantur. Vnde nos ad humilitatem reuocans Propheta terret, & admonet dicens: Venite, & videte opera Dei, terribilis in conſiliis ſuper filios hominum. Quis enim dignè conſiderare valeat, quantus ſuper nos terror ſit conſiliorum Dei, quando aliquis ex virtutibus in finem tendit in vitia; & alter ex vitiis in virtutibus concludit finem? Quia iuxta Salomonis ſententiam: Sunt iuſti, atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei. Nec tamen ſcit homo, vtrùm amore, vel odio dignus ſit: ſed omnia in futurum reſeruantur incerta. Et eſt via quæ videtur homini recta; & nouiſſimum eius ducit ad mortem. Hæc itaque occulta iudicia profundè cogitare; quid eſt aliud, quàm alas deponere; id eſt, de nulla iam virtute confidere; ſed ſub magno trepidare?*

*Diuinorum iudiciorum timore agitatur.*

S. Greg. hom. 1. in Ezechiel. c. 2.

64 Hoc humilitatis ſenſu, cùm ſe vel ob prædicationis fructum, vel ob ſanctitatis opinionem commendari, aut aliquem ſibi honorem deferri animaduerteret; id tam indignè ferebat, vt ſæpè dicere ſoleret, ſe grauiſſimæ contumeliæ loco omnem collatum ab hominibus honorem ducere; libentiúſque omnem iniuriam, & contumeliam accepturum, quàm eo, qui Deo omnium bonorum auctori tantùm debetur, honore affici: atque adeò in hoc propriæ exiſtimationis odium ferebatur, vt hæc ſæpè cuidam familiari, qui eum, ob ſanctitatis opinionem, plurimo apud populum in honore haberi dixerat, verba repeteret: Heu! quid in me boni homines conſpiciunt, quod honore proſequantur? Annon ij falſa de me opinantur, cùm nec quid bonum ſit, hactenus agnouerim? Verùm, vt illos à falſa hac opinione reuocarem, expeterem profectò, cumprimùm hanc animam egero, tantoperè mortuus fœtere, vt cùm nemo fœtorem meum ferre poſſet, corpus in egeſtitias viarum ſordes, canibus, ac lupis deuorandum proiicerent; vt vel ſic ab honore abſtinerent. Hic porrò humilitatis gradus eſt, quo Auguſtinus humiles ad cor altum aſcendere dixerat, iuxta illud propheticum: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Homo ſiquidem vera ſui cognitione imbutus, tunc ad cor altum, ſeu profundum accedit, cùm alta humilitatis fundamenta in profunda ſuiipſius deiectione ponit: quibus eò magis diuinæ Maieſtatis honor attollitur. Ita Eccleſiaſticus: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam: quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur.*

*Ab hominibus laudari, aut exiſtimari indignè fert.*

Pſal. 63. 8.

Eccleſ. 3. 20.

65 Supereſt tertius humilitatis gradus explicandus, quem Auguſtinus in altiſſima quadam Dei cognitione collocat; quam vbi homo aſſequutus fuerit, tunc verè, ac perfectè humilis cenſetur. Hunc humilitatis gradum ediſſerit Gregorius ita ſcribens: *Cùm fieret vox ſupra firmamentum, quod erat ſupra capita eorum, ſtatim ſubmittebant alas ſuas. Quia, cùm Sancti internam vocem ſupremæ ſapientiæ audiunt; quaſi volatus ſui alas deponunt: quia, videlicet, ipſam veritatis altitudinem minus contemplari poſſe cognoſcunt. Ad vocem ergo deſuper venientem alas deponere, eſt cognita ſuperna potentia, virtutes proprias humiliare; & conſideratione Creatoris, nihil de ſe aliud quàm abiecta ſentire. Sancti itaque Viri, dum Diuinitatis arcana audiunt, quantò magis contemplando proficiunt, tantò ampliùs deſpiciendo quod ſunt, aut nihil, aut prope nihil ſe eſſe cognoſcunt.* Supremus hic humilitatis apex eſt, qui cùm ex diuinæ Maieſtatis fulgore in animum irradiante conſurgat, mirabiles in homine ad omnem ſui deſpicientiam motus ciet, tótque illum ad Chriſti humilitatem ſectandam ſtimulis prouocat, vt eius opprobriis exſaturari quàm maximè expetat.

S. Greg. lib. 35. mor. c. 2.

Hunc,

Hunc, ſi alius vnquam, Ioſephus tam perfectè humilitatis gradum conſcendit, vt eam
Matth. 11. 29.
Domini vocem altiùs ſemper in animo inclamantem audiret : *Diſcite à me, quia mitis*
*ſum, & humilis corde.* atque adeò ad ſummam illam Domini humilitatem, quam inter
Philip. 2. 8.
tot opprobria, & paſſiones teſtatus eſt, ac præſertim in morte exhibuit, ſectandam animo
exarſit, de qua Apoſtolus ad Philippenſes: *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad*
*mortem, mortem autem Crucis.* vt cùm nullis hominum probris eius humilitatis fames
exſaturari poſſet; ſanguinem tandem, ac vitam pro Chriſto fundere ſibi in animum in-
*Supremum humilitatis gradum attingit.*
duxerit. Quamobrem, cùm ſæpè à Generali Miniſtro, Euangelij inter infideles prædican-
di facultatem poſtulaſſet; anno tandem 1587. quo Hieronymus à Politio, Siculus, mo-
derandæ Religionis habenas ſuſcepit, optata ab eo facultate potitur; & cum aliis noſtri
Ordinis Concionatoribus Byzantium obedientialibus litteris præmunitus, deſtinatur,
quemadmodum fuſiùs infrà explicabimus; vbi & contumelias, & verbera, variíque gene-
ris opprobria ab infidelibus ab eo ſummo cum gaudio lata, enarrabimus; quæ eum ſupre-
mum hunc humilitatis gradum, excellentiſſimam illam Chriſti Domini humilitatem
æmulantem, attigiſſe teſtantur.

S. Baſil. hom. 15. in Pſal. 61.
At, quandoquidem vera, ac perfecta humilitas, patientiam parit, vt docet Baſilius his 66
verbis: *Quo enim ad ſummum vſque peruaſit veræ humilitatis, dum maledicitur, per hoc,*
*quòd prius ſibi probè conſcius fuit propriæ vilitatis, non iam animo commouebitur probroſis*
*verbis ignominiæ laceſſitus.* Quartam proinde Ioſephus ab humilitate, ad patientiæ vir-
*Perfectum patiẽtiæ gradum conſcendit.*
tutem, aſcenſionem tanto ſtudio proſequitur, vt cùm ad probra, & contumelias ardentiùs;
quàm quilibet ad honores ambitioſus anhelaret; iíſque laceſſitus non modò patientiam
ſeruaret; verùm & eas cum gaudio lætus ſuſciperet, in híſque plurima cum voluptate
verſaretur; nemo perfectiſſimum illum patientiæ gradum conſcendiſſe dubitaret, cuius
Luc. 5. 41.
Lucas meminit: cùm ait: *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij: quoniam digni ha-*
*biti ſunt pro nomine* IESV *contumeliam pati.* Præſertim cùm diuina illius patientiæ cha-
ritas accederet; quæ cùm, teſte Apoſtolo, patiens ſit, & omnia æquanimiter ferat, illi in
quibuſlibet aduerſis pacem, atque iucunditatem miniſtrabat; ita vt, iuxta Iacobi Apo-
ſtoli conſilium, omne gaudium exiſtimaret, cùm in varias hominum, ac Dæmonum ten-
tationes incideret.

Verùm, vt id nonnullis exemplis luculentius fiat, vir quidam, cuius nomen, & patria 67
conſultò reticentur, aliena bona non minùs violenter, quàm iniuſtè occupauerat; quem
Ioſephus ad ea reddenda, quæ legitimè retinere minimè poterat, piè admodum, ac ſæpè
admonebat. At ille pia Sancti Viri conſilia, ac monita ægrè primùm ferebat: quæ deinde
tam indignè refricata tolerare cœpit; vt, cùm eum Ioſephus in publico quodam vico ob-
uium haberet, ac bonorum reſtitutionem illi de more perſuaderet; ille grauiori ira per-
*Percuſſus in gena alteram profert.*
citus, ingens ei colaphum impegerit, & calce oppetierit. Cui Vir Dei, ne minimùm
quidem animo conturbatus, mox alteram genam pacatè porrigens ait: Parum eſt, me
vnam abs te alapam ſuſcepiſſe, alteram nec inuitus, nec prohibens, quin etiam libens
accipiam: dummodo animum ab iniuſta hac bonorum vſurpatione reuoces, ac Dei
iram effugias. Quo ille audito, cùm terga verteret, Ioſephus poſt tergum inclamans:
Cur abis? (inquit,) ac me velut inimicum fugis? Si monentem odiſti, ſaltem igno-
ſcentem ne exhorreas: & ſi admonitionis odium colaphum extorſit; parcentis amor
odium expellat. At, quandoquidem rerum temporalium fames eò plerunque homi-
nem adigit, vt potiora ſalutis conſilia ſpernat; vir auara illa bonorum cupiditate poſ-
ſeſſus, nec ſalubrioribus monitis acquieſcere, nec vllis conſcientiæ ſtimulis pungi vi-
debatur. Quamobrem Ioſephus iterum virum domi conuenit: quem dum ad melio-
rem animi ſententiam verbis pertrahere conatur; is diabolicis planè furiis actus, Ioſe-
phi vtraque manu caputium arripit, & collum perſtringens, præfocare nititur: quo
tempore Ioſephus, agni inſtar, nihil, præterquàm preces, ingeminat, quibus illum ad
ſanæ mentis conſilium reuocet, dextráque ligneâ Crucifixi imagine, quam ſecum gere-
bat, aſſumpta? his illum verbis demulcet: Cernis, Amice, Chriſtum Dominum ex hac
Cruce pendentem? hic pro te crucifixus eſt, hic pro te ſanguinem fudit; hic demum
pro te acerbiſſimum mortis ſupplicium pertulit, quo te ab æternæ mortis ſupplicio eri-
peret. Quid eſt, quòd ſalutis tuæ pretium recuſas? & Chriſti ſanguine conculcato, ac

morte

morte contempta, tam tibi crudelis es, vt perpetuam tibi præ vita mortem eligas? His Ioſephus cùm non modò conſtantem animi in viri contumeliis perferendis patientiam; verùm & inuictam in eo corripiendo pectoris fortitudinem prætuliſſet, ex illius tandem manibus euadit.

Tuderti prætereà cùm iuuenculam, religioſæ vitæ addictam, ſuſpectæ cuiuſdam familiaritatis corripuiſſet; rem illa ad ſpiritualem Patrem, ac Ductorem detulit: qui ea ſtomachatus, cùm Virum Dei in via obuium haberet, hypocritam appellans, pleriſque eum iniuriis onerat: quibus ille nec minimùm commotus, riſu illum, ac profunda capitis inclinatione excipit. At verò quàm iuſtè iuuenculam corripuerit, rei euentus non obſcurè declarauit: ea nanque paulò pòſt in eam vitæ licentiam ſe præcipitem dedit, vt publica tandem meretrix euaſerit.

Quot verò à Fratribus, qui illius patientiam probare decreuerant, duras, ac inopinatas correptiones, ac verborum aculeos tulerit, haud facilè referri poteſt: quas tam patienter, atque æquo animo pertulit, vt à ſua animi tranquillitate iis nunquam deiici potuerit. *Cõtumelias, ac iniurias patientiſſimè fert.* Leoniſſæ, à iuuene quodam Sacerdote aliquando tam acerba increpatione inſperatò exceptus fuit, vt audientes ad ſtomachum prouocarentur: quam tamen is, ne tantillum quidem commotus, tam imperturbato animo accepit, vt etiam increpatori gratias reddiderit. Colico dolore, ac variis corporis ægritudinibus Vir Dei ſæpè premi conſueuerat; quas tanta patientiæ virtute tolerare viſus, vt querulas in his nunquam voces depromere auditus fuerit. Id præſertim in graui carcinomatis morbo, quo circa vitæ finem in genitalibus partibus laborauit, perſpectum fuit: quem cùm ab exordio ob ſolã honeſtatis, ac pudicitiæ cauſam curari renuiſſet; eo tamen ingraueſcente, ſi quando carnis inciſiones à Chirurgo adhibendæ forent, tam admirabili in his tolerandis patientiæ vi præcelluit; vt cùm de illo vinciendo à Chirurgo ageretur, is Chriſti Crucifixi imaginem manu arreptam oſtendens diceret: Quid aliis vinculis opus eſt? Hæc mea vincula ſunt: hic me fortiùs, quàm aut ſpartei funes, aut ferreæ catenæ, ſuis charitatis nexibus conſtringit. Neque alia in grauiſſimis illis carnis inciſuris, illius vox audiebatur, præterquam: *Sancta* MARIA, *ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes*, &c. Cætera verò illius patientiæ exempla, quæ apud Infideles potiſſimùm in variis illi contumeliis, flagris, verberibus, ac tormentis illatis enituêre, paulò infrà exaranda erunt.

68 Ex patientia igitur, cùm facilis ad paupertatem, quæ patientiæ amica eſt, aſcenſus pateat; hinc quintam Ioſephus ad perfectum voluntariæ paupertatis cultum aſcenſionem adoritur. Nemo Religionis ſtatum, quoddam quaſi ſtadium eſſe ignorat, in quo cum ſæuiſſimis ſalutis noſtræ hoſtibus, mundo, videlicet, carne, ac Dæmone pro immarceſcibili gloria lucta initur. Portò ex hac lucta, id nobis primùm obſeruandum eſt, quod monet Apoſtolus ad Corinthios ſcribens, cùm ait: *Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.* 1. Cor. 9. 25. Quam verò Apoſtolus, ab omnibus rebus abſtinentiam vocat; nos altiſſimam rerum omnium paupertatem appellamus; quæ cùm in iis, qui in Minoritana Religionis palæſtra decertant, (cæterorum enim Ordinum paupertatem, quæ ad nos non pertinet, prætereo,) tam perfecta eſſe debeat; vt ſummam, quæ honeſtè excogitari poteſt, rerum omnium nuditatem, ac egeſtatem amplectatur; *Tres paupertatis gradus.* quandoquidem ad ſummum non niſi quibuſdam gradibus aſcendi ſolet, tres, quibus ad altiſſimæ paupertatis faſtigium pertingi queat, gradus ex Patribus colligimus, quos & S. Bernardus, & B. Laurentius Iuſtinianus, & S. Bonauentura, ac præſertim B. P. N. Franciſcus, tum in Regula, tum in aliis vitæ ſuæ documentis, ac præceptis ſparſim attigêre.

69 Primum itaque altiſſimæ paupertatis gradum quiſquis parat conſcendere, non ſolùm ab omnibus, quæ ſuperuacanea, atque abundantiora ſunt; velut à pernicioſis, atque ab altiſſima rerum paupertate alienis, ſibi abſtinendum eſſe ſciat; ſed & neceſſaria ipſa ad breuem, ac pauperem rerum vſum ita illi arctanda fore, vt iis neque animo, neque immoderata cupiditate inhæreat: *Primus paupertatis gradus explicatur.* neque enim in his, quæ ad rerum paupertatem ſpectant, tam rerum vſus, quàm earum amor, & cupiditas nocet. Nam, vt Cæſarius Arelatenſis præclarè monet: *Nihil interdum poßidere, neceßitatis eſt; nihil per auaritiam capere, virtutis. Et ideò hunc ille ſpecialiter modum ponere Religioſus debet: vt tantùm habeat, quantùm neceßitas poſcit: habendi enim amor, niſi ad integrum reſecetur, ardentior eſt in paruis* Cæſar. Arel. hom. 23.

*& plus*

*& plùs torquet in minimis: & niſi ex toto corde, & affectu pauper ſis; paupertas ipſa non virtus, ſed miſeria iudicanda eſt.* Quapropter in eos haud immeritò Caſſianus inuehitur, qui cùm in ſæculo copioſas opes deſeruerint, tanta rerum quarundam minimarum, licèt neceſſariarum, amore afficiuntur; vt eas vel immoderatè quærant; vel iis interdum carere tam moleſtè ferant, vt pro iis etiam rixas, & tragœdias excitent. *Nam illud* (inquit) *ridiculum quâliter exprimetur; quòd nonnullos poſt illum primæ renunciationis ardorem, quo vel res familiares, vel opes plurimas, ac militiam ſæculi relinquentes, ſemetipſos ad Monaſteria contulerunt, tanto cernimus ſtudio in his, quæ penitùs abſcidi non poſſunt, & quæ nequeunt in hoc ordine non haberi, quanuis parua, viliáque ſint, eſſe deuinctos; vt horum cura priſtinarum omnium facultatum ſuperet paſsionem? Quibus profectò non magni proderit maiores opes, & ſubſtantias contempſiſſe: quia affectus earum, ob quos illæ contemptæ ſunt, in res paruas, & exiguas tranſtulerunt: nam vitium cupiditatis, & auaritiæ, quod erga ſpecies pretioſas exercere non poſſunt, circa viliores materias retinentes, non abſcidiſſe, ſed commutaſſe ſe probant priſtinam paſsionem,* &c. *quæ etiam tanta æmulatione cuſtodiunt, atque defendunt, vt pro ipſis aduersùs Fratrem commoueri, & quod eſt turpius, etiam litigare non pudeat.*

Caſſian. coll. 4. c. 21.

Hunc Ioſephus, vt perfectè paupertatis gradum conſcenderet, à ſuæ conuerſionis exordio altiſſimam rerum omnium inopiam tam ardenti amore proſequi cœpit, vt non modò à ſuperfluis, tanquàm à paupertatis peſte abhorreret, ac neceſſariarum duntaxat ſibi rerum vſum præſcriberet; ita vt præter ea, quibus per Regulam cuique vti liceret, quæ pauciſſima ſunt, nihil ſibi habendum vellet: verùm & eam in neceſſariis rebus vtendis ſibi legem præſtitueret, vt ab iis omnis pretioſitas, omnis abundantia, omnis tandem vſus, nedum rerum opulentia, quàm longiſſimè exularent. Eo factum eſt, vt nouam nunquam tunicam, aut pallium induerit; ſed veteres, ac laceras aliorum veſtes reſarciens, iis ad mortem vſque variis præſegminibus interpolis vſus fuerit; ſtrophiola, ac linteola, quibus ad emungendas nares, vel ad ſudorem ex prædicatione contractum extergendum, vti ſolebat; vel cilicina, vel ex ſacco rudi contexta erant. Lodices, quibus hyemis tempore dormiens contegebatur, haud alias ſibi miniſtrari ferebat, quàm quæ omnium obtritiſſimæ eſſent. Cellam, non quæ amplior, aut ornatior; ſed quæ anguſtior, ac deſpectior eſſet, ſibi deligere conſueuerat. Libros ad Dei verbum populis prædicandum aptos, nunquam ſibi vſui vendicare voluit: at ſicubi Bibliis, aut alio codice egeret; eos ex communi Conuentus Bibliotheca ſibi ad tempus quærebat: quanquam ipſius potiſſimùm liber Chriſti crucifixi meditatio eſſet, cui ſedulò in oratione ſtudens, illud ſibi Apoſtoli vendicare poterat: *Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi* IESVM *Chriſtum, & hunc crucifixum.* Arundinis ſegmentum illi pro theca pennaria erat: cúmque fila bombycina nimis illi pretioſa viderentur, non iis ad lucernæ lumen enutriendum; ſed cannabino filo, quod è ſtramentitia culcitra extrahebat, pro ellychnio vtebatur. His & alia veræ paupertatis teſtimonia accedebant, quæ cùm ex affectu, & ſtudio, quo in altiſſimam rerum pauperiem ferebatur, proficiſcerentur; non grauem, aut moleſtam; ſed iucundam, ac propemodum voluptuoſam illi rerum inopiam præſtabant: tantus enim in Viro Dei ardebat paupertatis amor, vt de ea, quæ Salomon olim de ſapientia protulit, pronunciare valeret: *Præpoſui illam regnis, & ſedibus; & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius: nec comparaui illi lapidem pretioſum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquàm lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. Super ſalutem, & ſpeciem dilexi eam; & propoſui pro luce habere illam.* 70

*Ita à ſuperfluo abhorret, vt nihil ſibi habendum velit.*

*Altiſſimam rerum paupertatem diligentiſſimè obſeruat.*

1. Cor 2. 2.

Sap. 7. 8.

Atque inde Ioſephus facilè ad ſecundum altiſſimæ paupertatis gradum ſe contulit, quem S. Vincentius non in ſola rerum inopia, aut in arcto rerum neceſſariarum vſu, quæ ad priorem gradum pertinet; ſed potiùs in voluntaria rerũ neceſſariarum indigentia, ac penuria collocat, ita ſcribens: *Scio,* (inquit,) *quòd laudabile non eſt, pauperem eſſe; ſed in paupertate, paupertatem amare, & paupertatis inopiam propter Chriſtum gaudenter, & hilariter ſuſtinere.* Quare ſtatim ſubdit: *Proh dolor! Multi de paupertatis ſolo nomine gloriantur: ſed, quo pacto? vt eis nihil deſit. Dicunt ſe amicos paupertatis; ſed paupertatis amicos, & ſodales fugiunt ſuo poſſe, famem, ſitim contemptum, deſpectionem.* Neque id ſanè immeritò: hæc enim Chriſti, & Apoſtolorum paupertas fuit, qui ea rerum inopia preſſi fuêre, vt de Chriſto illud feratur: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.* De Apoſtolis verò Paulus affirmet: *Vſque in hanc horam, & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur.* Ex quo 71

S. Vincent. tract. de vita ſpir. c. 1.

*Rerum neceſſariarum indigetiam iucundè ſuſtinet.*

Matth. 8. 20.

1. Cor. 4. 11.

Bernardus

Bernardus veros Chriſti pauperes his verbis ad Chriſti paupertatem ſectandam prouocat: *Deargentemus ergo pennas noſtras in Chriſti conuerſatione: ſicut & Martyres Sancti lauerunt ſtolas ſuas in eius paſſione. Imitemur, quoad poſſumus, eum, qui ſic dilexit paupertatem; vt quanuis in eius manu eſſent fines terræ; tamen non habuit, vbi caput reclinaret: ita vt diſcipulos adhærentes et legamus fame compulſos ſpicas manibus confricaſſe, cùm per ſata tranſirent.* S. Bern. ſerm. 4. Aduent.

72 Quàm verò Ioſephus, Chriſti, in hoc paupertatis gradu, preſsè veſtigiis inſiſteret, id planè declarat; quòd rerum quaruncunque penuria tantoperè delectabatur, vt iis quoque, quæ communi omnium ſententia neceſſaria videntur, libentiùs, quàm vteretur, careret. Hinc cùm Dei verbum proponeret; annonam, quæ ad neceſſariam vitæ rationem illi conſtituta erat, recuſans; ſolum panem, pauperum more, mendicare, eóque voluptuosè veſci ſolebat. Ligna quoque ab oppidi, aut vrbis vniuerſitate oblata renuebat: & vt ſummam paupertatem teſtaretur, cum Socio tenues quoſdam lignorum faſciculos quotidiè colligere, atque iis onuſtus ad hoſpitium redire conſueuerat. Mappa menſam inſterni, aut mantile ad os, manúſque extergendas apponi, aut variis patinis cibos ſibi miniſtrari, quandoquidem ad diuitum potiùs ſplendorem, quàm ad pauperum inopiam pertinere ſentiebat; haudquaquam patiebatur: cùm cilicinum ſtrophiolum, quo vtebatur, ad vtriuſque, & mappæ, & mantilis munus ſufficere; teſtaceam quoque lancem, quam ab hoſpite acceperat, ad omne cibi genus capiendum pauperi ſat eſſe, exiſtimaret.

73 Hoc paupertatis ſpiritu, cùm lecto quoque, ac paleis parceret, & ſolas tabulas, & ſæpè nudam humum ſibi ad quieſcendum pararet, (vt ſuperiùs memini,) à familiari quodam Fratre aliquando, ob id potiſſimùm correptus, quòd facilè inde morbum ſibi contrahere valeret, reſpondit: Cur me, Frater, rei coarguis, quam me Chriſtus ſuo exemplo docuit? Annon Chriſtus Dominus, vt nobis paupertatem, & carnis mortificationem perſuaderet, in deſerto nudam humum ſibi pro lecto vendicauit? Quòd ſi Minorum vita, ac Regula hæc eſt, Sanctum Domini Euangelium obſeruare; cur me, & ab Euangelij obſeruantia, & à Chriſti imitatione deterres? Tot B. P. Franciſcus, vt ſumma Deo in rerum paupertate famularetur, morbos, ac ægritudines tulit; num his propterea deterior euaſit, cùm Eccleſia nunc illius facta celebret, ac ſummis laudibus extollat? Deſine igitur, Frater, quæ Chriſti, ac tot Sanctorum exemplis probata ſunt, improbare. Denique, cùm rerum penuriam tam læto, nedum æquo animo ſuſtineret, vt ipſis quoque, quæ neceſſaria ſunt, carere poſſe optaret, quò arctiùs altiſſimæ paupertati, quam, B. P. noſtri Franciſci exemplo, ſibi ſponſam elegerat, copularetur; hinc ad ſupremum tandem altiſſimæ paupertatis gradum pertingit, quem in ſuprema rerum omnium nuditate, ac paupertatis incommodis, ſummo ſtudio, & cupiditate exquiſitis, plerique Patres ſitum eſſe volunt; atque inter alios Chryſoſtomus, qui aſſumpta à tribus pueris, qui Regis Aſſyriorum imperio in fornacem miſſi fuerant, tropologia, ita ſcribit: *Conſideremus (inquit) nouum quoddam, atque mirabile, hominem in fornace gratias ſuppliciter agentem: hominem in fornace dulci modulamine cantantem: hominem in extrema inopia colligatum, & plurimam tamen Deo gloriam, laudéſque referentem. Illis ſiquidem pueris inueniuntur æquales, quotquot paupertatem cum gratiarum actione patiuntur. Eſt enim terribilior paupertas igne, & ampliùs ferire conſueuit. Verùm, vt illos non aduſſit ignis; ſed quoniam Deo gratias retulerunt, etiam vincula eorum continuò diſſoluta ſunt: ſic etiam tibi, ſi paupertatem cum gratiarum actione ſuſtinueris, vincula reſoluuntur, & ignis extinguitur: ſi verò non extinguatur, multò maiori miraculo fontis naturam ignis imitabitur.* Quod in his certè conſpici poteſt, qui iuxta Euangelium philoſophantur, quíque libentiùs in paupertate, quàm in ſuis opibus diuites, gloriantur.

*Supremam rerum omniũ nuditatem amplectitur.*

S. Ioann. Chryſoſt. homil. 4. in Matth.

Atque hic ſummus ille paupertatis vertex eſt, quem B. P. noſter Franciſcus in Regula nobis conſcendendum proponit his verbis: *Hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis, quæ vos chariſſimos Fratres meos hæredes, & Reges Regni Cælorum inſtituit: pauperes rebus fecit; virtutibus autem ſublimauit. Hæc ſit portio veſtra, quæ perducit in terram viuentium. Cui dilectiſſimi Fratres totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini noſtri* IESV *Chriſti ſub Cælo habere velitis.* Regulæ c. 6.

74 Porrò hic gradus ea ratione à priori diſtinguitur, quòd ille rerum penuriam vel patienter, vel etiam cum gaudio ſuſcipit: hic verò & ipſa paupertatis incommoda, quæ ex rerum penuria erumpunt, ſollicitè, ac ſtudiosè quærit; quæſitíſque ſumma cum oblectatione fruitur: qui ſanè Ioſepho ita familiare fuit, vt cùm famem, ſitim, frigora, nuditatem,

*Paupertatis incommoda ſtudioſè quærit.*

aliáſque paupertatis aſperitates auidiùs, quàm delicatiſſimus quiſpiam delicias expeteret,
exquireret, & vndique venaretur: vt ex his partim, quæ dicta ſunt, cuique perſpectum
eſſe poteſt; in his tanta cum voluptate verſabatur: quotidianam refectionem vnico panis
fruſtulo peractam, quo non exſaturari, ſed irritari potiùs fames valeret; Craſſi conuiuiis
præferret.

Cùm in oppido S. Iacobi Dei verbum quadrageſimali tempore diſſeminaret; quotidiana 73
annona, quæ illi ad victum deſtinata erat, partim in Socium, partim in pauperes diſtributa,
is dimidia tantùm panis parte ſibi ſeruata, ad cuiuſdam lacunæ oram deſcendens, ea ve-
ſcebatur; tum lacunæ aquam, quæ cùm corrupta eſſet, vermibus ſcatebat, attingens, ex
ea potum tota quadrageſimali tempeſtate maxima cum voluptate ſibi ſumpſit. Principiò
quidem eam carnis ſenſus refugere videbatur: at Ioſephus corporis ſenſum ita alloqui cœ-
pit: Eia, Frater Aſine, quid horres? quid nauſeas? verméſne? At bibe, ne extimeſcas, &
cum iis, quorum eſca aliquando futurus es, iam nunc amicitias iunge.

Inter paupertatis incommoda haud leue frigoris rigor exiſtimatur; qui cùm naturæ 74
inimicus ſit, is pauperibus maximè moleſtus eſſe ſolet. At, qui cæteris, qui vel neceſſita-
te, vel etiam voluntate in paupertatem conſpirant, grauis, ac moleſtus eſt, Ioſepho, qui
vniuerſa altiſſimæ paupertatis incommoda auidè proſequebatur; non tam leuis, quàm
iucundus videbatur: quo fiebat, vt in maxima niuium copia, extremíſque hyemis algo-
ribus, licèt vnica tantùm, & obſoleta tunica vteretur; nunquam tamen, vel perrarò ad
ignem, quo frigus depelleret, cum cæteris accederet. Hæc &, pleraque alia paupertatis
detrimenta, quæ Ioſephus ſibi ſponte quærebat, ac iucundiùs amplectebatur, cùm velut
maxima lucra putaret; non ſolus paupertatis amor; ſed maior charitatis ardor, quo in
Chriſtum pauperem ferebatur, dulcia proculdubiò præſtabat. Quo fiebat, vt ſæpè illud
Dauidicum in ipſius ore verſaretur: *Domine, quid mihi eſt in Cælo: & à te quid volui ſuper*
*terram? Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*
Cùm enim nudus nudum, ac pauper pauperem Chriſtum ſequi vellet; non modò mundi
opes, & commoda; ſed & ipſas Cæli diuitias, & delicias calcans, ac pro Domino nihili du-
cens, ſolum Deum ſibi in partem, & diuitias computabat: vt ſummam, atque altiſſimam,
tum ſpiritus, tum rerum paupertatem teſtaretur. Hinc ardentiſſimo ſpiritus æſtu verba
illa extrema proferre conſueuerat: *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* & cum
B. P. N. Franciſco ex imo cordis affectu exclamabat: *Deus meus, & omnia.*

*Pſal. 72. 25. & 26.*

*Obedientiæ illius perfectio aperitur.*

Ad omnes obedientiæ, & caſtitatis admirabiles planè illius aſcenſiones ſingillatim non 75
perſequor: id verò tantùm indicaſſe ſufficiat, eam Ioſephi obedientiam fuiſſe, quæ cùm
illum ita perfectè Superioris voluntati ſubderet, vt nullam illi, præterquàm Superioris
voluntatem integram relinqueret, eos omnes obedientiæ gradus, qui à Patribus diſtingui
ſolent, quibus ad ſupremum conſcenditur, proculdubiò aſſequuta fuit: ita vt illa obe-
dientiæ vox, quam Chriſtus totius obedientiæ exemplar, olim protulit, cùm Patris man-
datum impleret: *Non mea, ſed tua voluntas fiat.* Ioſepho erga Superiorem perpetua eſſet.
Quanta verò in eo caſtitas floruerit, quàm pura, quàm candida, quàm perfecta; vel inde
licet colligere, quòd ea illi non communis, aut vulgaris; ſed virginea vſque ad obitum
fuit. Quod multis argumentis in eius Proceſſu probatum fuit. Quid enim primum il-
lud conſtans nuptiarum repudium, quo is illibatæ eatenus virginitati conſuluit; præter-
quàm purum eum à venerea labe, è ſæculo emerſiſſe indicat? Religionis verò ſinu exce-
ptum, ac nunquam intermiſſo virtutum ſtudio addictum; tot ieiuniis exeſum, tot ciliciis,
tot ferreis laminis, & catenis, tot flagellis contritum; tanta denique morum, ac vitæ hone-
ſtate præditum, vt vnunquenque ſuo aſpectu ad pudicitiam alliceret; quis tam turpi vi-
tio fœdatum ſuſpicari audeat? Accedat tertium Sacerdotis, qui generalem totius vitæ
in morte peccatorum confeſſionem excepit, teſtimonium; qui eundem ab omni carnis
inquinamento perpetuò liberum fuiſſe affirmat. Denique, ſi Viro, cuius vita tot cæleſtium
miraculorum ſignis à Deo probata fuit, vti fuſiùs poſt hæc explicabitur, fides adhibenda
eſt; id aliquando ex Ioſephi ipſius ore elapſum confirmatur: qui cùm à cancro, qui geni-
tales ipſius partes inuaſerat, à Medico curaretur, his aliquando Franciſcum à Leoniſſa,
Guardianum, qui adſtabat, verbis affatus eſt: Ecce, Pater, quàm iuſtus eſt Dominus:
quandoquidem eo mihi gloriari videbar, quòd me Deus hac in parte ab omni labe pu-

rum

rum ſeruaſſet: cùm enim in die feſto Sanctorum Innocentium S. Dei Eccleſia ea verba decantaret: *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati.* tacita in animo mihi cogitatio reſpondebat: Et ego non ſum coinquinatus. hanc mentis cogitationem haud Deus impunem eſſe voluit. Quapropter in hanc mihi partem morbum immiſit; vt, dum grauiori hoc dolore corpus afficitur, minùs in collato dono animus ſibi applaudat. Illud tandem accedat, quod ad ſingulare hoc virginitatis donum in eo comprobandum, id cæleſtis gratiæ à Deo tuliſſe exploratum fuit; vt carnis ſorde coinquinatos, ſingulari quodam huius vitij fœtore à reliquis diſcerneret.

*Virginitatem perpetuam coluiſſe pluribus confirmatur.*

76 Iam verò ad ſextam virtutum aſcenſionem explicandam accedo, quam Ioſephus ad perfectum quendam (qualis in hac vita haberi poteſt) diuinæ charitatis gradum inſtituit. Porrò Dei charitatem, ac dilectionem, totius perfectionis, quæ ab hominibus expeti queat, vinculum eſſe; ſeriò olim docuit Apoſtolus dicens: *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* Neque immeritò: cùm enim Dei dilectio totius legis plenitudo ſit, à qua tota hominis perfectio pendet; nihil ea inter homines altius, aut præſtantius excogitari poteſt. Cæteræ ſiquidem virtutes viæ quædam ſunt, quibus ad Deum pergimus; ſed Dei charitas, gluten, ac vinculum eſt, quo Deo ipſi copulamur. Hinc Auguſtinus animam ad Dei amorem prouocans: *Surge,* (inquit,) *ô apicula; ſurge, & bibe dulcoris tui inenarrabilem ſuauitatem: immergere, & replere: quia ille deficere neſcit, ſi tu non incipias faſtidire. Adhære ergo, & inhære, & fruere: ſi ſempiternus guſtus fuerit, ſempiterna beatitudo erit. Solus amor Deo nos vnit in hac vita; & id tantò fælicius, quantò fortius. Vita cordis, amor eſt: vnde fieri nequit, vt cor ſine amore viuat. Vnde, qui Deum amat, fæliciter amat, & tantò fælicius, quantò amplius.*

Coloſſ. 3. 14.

S. Aug. lib. de ſubſt. dilect. & am. tom. 1.

77 Sed quoniam Dei charitas perfecta eſſe non poteſt, niſi etiam in proximum tendat; ex quo geminum illud præceptum in lege præſcribitur, de quo Saluator: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc eſt primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt illi: Diliges proximum tuum, tanquàm teipſum.* Atque adeò hæc proximi dilectio cuilibet neceſſaria eſt, vt ſine ea, neque ipſa Dei dilectio ſtare queat. Etenim, vt Ioannes ait: *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Vtriuſque charitatis aſcenſiones Ioſephus tam ardenti ſtudio proſequutus eſt, vt earum tandem apicem comprehenderit.

Marc. 12. 30.

1. Ioan. 3. 17.

78 Hunc in Dei charitate ordinem conſtitutum eſſe, quo, velut quibuſdam gradibus, ad ſummum tandem diuinæ charitatis faſtigium conſcendatur: primò, vt Deus Opt. Max. ſuper opes, honores, & omnia temporalia bona, tum ſuper patrem, matrem, propinquos; demum ſuper carnem, & ſanguinem; poſtremò ſuper ſeipſum, ac omnia vitæ commoda diligatur: ita vt pro Deo dilecto emori quiſque lucrum putet; ex euangelicis, atque apoſtolicis paginis certum eſt: clamat enim Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te.* Inculcat Chriſtus: *Qui amat patrem, aut matrem pluſquàm me, non eſt me dignus.* Confirmat Paulus: *Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Per hos diuinæ charitatis gradus Ioſephum ad ſupremum aſcendiſſe, nemo, qui illius geſta percurrit, ignorare poteſt: nam, vt primum, & ſecundum præteream; qui ex arrepto Capucinorum Religionis inſtituto, in eo Sole clariùs præluxêre; tertium tantùm, ac ſupremum proſequor, in quo is tantoperè excelluit, vt, ſi Hieronymo Ioannem Euangeliſtam ob relegationem in Pathmos, & feruentis olei dolium, in quod immiſſus fuit, abſque morte Martyrem appellare licuit; eadem quoque ratione & Ioſephus inter Martyres collocari poſſit, cùm nec martyrio voluntas, nec voluntati martyrium defuerit: tametſi vitam, diuina illi virtute ſeruatam, perſequutoris gladius non abſtulerit.

*Diuinæ charitatis gradus deſcribuntur.*

Matth. 19. 27.
Id. 10. 37.
Philip. 1. 21.

79 Etenim, cùm poſt aliquot maximis hiſce in virtutibus annos in Religione tranſactos, ardentiori aliquando charitatis æſtu incenſus ipſos Mahometicæ legis ſectatores ad Chriſti fidem pertrahere, ſanguinémque, ac vitam pro Chriſto profundere peroptaret; Conſtantinopolitanam profectionem, quam ſæpè anteà à Generali Miniſtro fruſtrà poſtulauerat, anno 1587. ac ſuæ ætatis trigeſimotertio, quem is ſibi præſtituerat; vt eodem, quo Dominus IESVS pro delendis hominum ſceleribus in crucem actus, ſanguinem fuderat; & ipſe propter eum vitam profunderet; ab Hieronymo à Politio, qui

*Martyrij deſiderio flagrans Byzãtium proficiſcitur.*

eo anno Generalis creatus fuerat, tandem obtinet: & cum aliis Ordinis noſtri Concionatoribus Byzantium deſtinatur: cuius miſſionis litteras hîc ad ampliorem rei fidem exarandas duxi.

## EXEMPLAR LITTERARVM OBEDIENTIALIVM.

*REVERENDIS IN CHRISTO CHARISSIMIS Patri Fratri Petro de Cruce, Fr. Ægidio de S. Maria, Prædicatoribus, & Fr. Dionyſio Romano Sacerdotibus Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum S. Franciſci.*

HIERONYMVS DE POLITIO, EIVSDEM Ordinis Generalis (licèt immeritus) ſalutem in Domino ſempiternam.

*QVoniam æmulantes Seraphici Patris noſtri zelum animarum, (& maximè Infidelium,) & eiuſdem S. Patris conſilium in Regula expoſitum exequi cupientes, à vobis humiliter, & inſtanter rogati donari vobis copiam, & benedictionem noſtram ad peragrandum partes Infidelium, & ſignanter ad Conſtantinopolitanam ciuitatem, ad ibi ſacrum Chriſti Euangelium prædicandum, diuináque Sacramenta fidelibus adminiſtrandum, atque alia pietatis, & charitatis opera exercendum, vt veri Filij tanti catholici, & apoſtolici Patris. Nos verò eundem habentes animum, eiuſmodique deſiderio flagrantes, & ratione Profeſſionis, & officij; de veſtra maturitate, doctrina, honeſtate morum, & ſancto zelo confiſi, gaudentes licentiam, & benedictionem noſtram vobis impendimus, quatenus eas Infidelium regiones adeatis, quæ veſtra indiguerint ſollicitudine, ac zelo, ibique vita, ac doctrina catholicam fidem, quam tenet, & quemadmodum docet Sancta Romana Eccleſia, vt Mater, & Magiſtra omnium Eccleſiarum, doceatis, & illuſtretis, obtenebrata illuminetis, infirma confirmetis, diſrupta conſolidetis, & deprauata conuertatis ad ſuum puriſſimum principium: illam præ oculis Sacri Concilij Tridentini, atque Regulæ noſtræ inſtructionem Prædicatoribus datam, ſemper habentes; vt, videlicet, ſint examinata, & caſta eloquia veſtra, & vt Corpus Chriſti myſticum ædificetis, annunciando illi vitia, & virtutes, pœnam, & gloriam, omiſſis ambagibus tumultuantis linguæ. Et vt tantum munus puriùs, maiorique cum feruore meriti exercere valeatis, illud vobis præcipimus ſub merito ſanctæ obedientiæ. Et inſuper licentiam vobis impendimus, & auctoritatem noſtram pro curandis animabus, corporibúſque in eo tenore, quo ſolet ſubditis concedi, puritate Regulæ, & Profeſſionis noſtræ ſeruata. Propterea omnes, tam Religioſos, quàm ſæculares, ad quos vos declinare contigerit, obſecramus, vt benignè vos ſuſcipiant, charitatiſque officia exhibeant, plenam à Domino mercedem recepturi. Valete in Domino, & proſperum faciat iter veſtrum. Datum Romæ in loco noſtro S. Bonauenturæ, die 20. menſis Iunij, 1587.*

FR. HIERONYMVS, qui ſuprà, manu propria.

*Et vt prædicta omnia ordinatè procedant, & fiant, per præſentes noſtras litteras conſtituimus, & nominamus te P. F. Petrum de Cruce in Prælatum, & Guardianum ſupra-*

*dictorum Fratrum, & aliorum quoruncunque, qui ad prædictas partes aduenerint, cum omnimoda noſtra auctoritate, & poteſtate; præcipientes illis omnibus, vt tibi in omnibus, quæ contra Deum, ac Regulam noſtram non ſunt, obediant, & ſubditi ſint. Et illam eandem auctoritatem, quam nos ſuper eos habemus, tibi concedimus, & elargimur, vt in dictos Fratres, quando opus fuerit, exercere valeas. Tu verò, vt bonus Paſtor gregem tibi commiſſum, & doctrina, & exemplo nutrire curabis. Et in defectum dicti P. F. Ægidij, tibi P. F. Ioſephum à Leoniſſa, Sacerdotem, Concionatorem noſtri Ordinis; item & Fr. Gregorium à Leoniſſa ſubſtituimus. Datum Aſſiſij, Kalendis Auguſti, 1587.*

FR. HIERONYMVS, qui ſuprà, manu propria.

80 Soluens itaque Ioſephus è portu Veneto cum Sociis, cùm aliquandiu proſpera nauigatione vſi eſſent, dum per Boſphorum Thracium nauigant, naui diutina tempeſtate iactata, cùm omnis victus annona nautis, cæteriſque iam conſumpta fuiſſet; exigua quædam panis portio, quam ſecum Ioſephus tulerat; quæ tamen tam tenuis erat, vt vix vni ſufficeret; eo orante, tam diuina virtute multiplicata fuit, vt triginta dierum ſpatio omnibus, qui in naui erant, ſatis fuerit, donec tranquillitate mari reddita ad portum appellerent. Nauis igitur, qua Ioſephus cum Sociis vehebatur, cùm longiùs aliquantò ab vrbe ad littus applicuiſſet; is pedeſter cum Sociis iter faciens, viam prorſus, qua pergeret, ignorabat. Quapropter Deum impenſiùs rogare cœpit, vt quò eos diuina ipſius voluntas vocaret, eò greſſus eorum dirigeret: protinúſque ſibi puerulum neptem, qui pridie, antequàm Leoniſſa diſcederet, è viuis exceſſerat, ſibi adſtantem cernit: qui cùm ei dextram dediſſet, illos rectà ad Conſtantinopolitanam B. Virginis Ædem perduxit; iiſque ibi relictis euanuit.

81 Poſt hæc illi domicilium ſibi in Conſtantinopolitana vrbe quærentes, antiquum quoddam S. Benedicti Cœnobium ſemidirutum ſibi inhabitandum eligunt; in quo cùm integrum adhuc Sacellum ſupereſſet, nonnullis circum ſibi cellulis conſtructis, in eo ſacra Myſteria celebrant. Porrò Turcæ ad nouam habitus formam confluentes Sacellum explorare, cellas perſcrutari, nudámque illis humum pro lecto ſterni, tenuémque domus ſupellectilem conſpicientes, ſummam eorum paupertatem eò magis admirari cœpere, quo iis oblatam pecuniam ab iis reſpui, & contemni cernebant. Hinc Ioſephus poſt ardentium orationum flammas, tanquàm leo ignem ſpirans, ac diuina charitate exardeſcens, in vrbem quotidie erumpere, vicos, & plateas circumire, loca omnia perluſtrare, vt ſi quando magnum (vt vocant) Dominum obuium haberet; eidem Chriſtianam fidem prædicaret: priùs enim arcem, aiebat, quàm vrbem, Dei verbo expugnandam fore: ſiquidem expugnata arce, facilè vrbem in Chriſti poteſtatem deuenturam ſperabat. Verùm, cùm id nunquam ſibi ex voto obtigiſſet, rem omnem periclitari, ac per omnes vias incedere parat: quo ſemel tandem ad ipſum pertingat. Quapropter ad Regiam die quadam accedens, ab excubitoribus ad Imperatoris conſpectum, quaſi cum eo grauia quædam negotia pertractaturus introduci poſtulat: qui, cùm ſordidum hominem, lacerum, deſpectum, Codróque pauperiorem Imperatoris aſpectu, & colloquio indignum cenſerent, id ſibi contumeliæ loco inuſtum putantes; cum pugnis, calcibus, variíſque verberibus exceptum è Regia expellunt. Quid ille? Mox in plagis gloriari: mox ſibi gratulari, quòd dignus fuerit pro nomine IESV contumeliam pati: mox Deo ex animo gratias agere: nec tamen à cœpto deſiſtere. Cùm enim idipſum ſæpè tentaſſet, ſæpè etiam flagris, & alapis cæſus ad ſuos redire cogitur. Hoc quoque modo, dum Mahometarum delubra, vt Chriſti fidem infidelibus inſtillet, ingredi contendit, quamplurimis ab iis contumeliis acceptis eiicitur: quæ omnia cùm is iucundè, nedum patientiſſimè ferret; haud tamen his animum vnquam exſaturare viſus: quin potiùs in dies diuina magis charitate feruens, cùm aditum ſibi ad Turcicum Imperatorem, ac cæteros Turcas intercludi cerneret; ad Chriſtianos, qui in triremibus captiui detinebantur, animum confert: quibus dum Chriſtianæ fidei con-

*Conſtantinopoli cum Sociis hoſpitiū eligit.*

*A Regiis Cubicularius cōtumeliis afficitur.*

ſtantiam, patientiam, rerum aduerſarum tolerantiam, ac cæleſte regnum prædicat; haud ſemel in vitæ pericula incidit: quæ tamen paruipendens cum his hoc tempore pane nautico duntaxat putrefacto, ac vermibus ſcatente iucundè veſcitur: quinetiam, ne & ij ipſius aliquando penuria laborarent, ſæpè oblatum recuſans ſolos ſibi malos citrios ad cibum adhibet: quos etſi natura acerbos protulerit; eos tamen illi fames dulciores reddit.

Inter hæc, cùm Chryſoceră, quod eſt Byzantij ſuburbium, aliquando ſub veſperum pergeret, accidit, vt noctis tenebris præoccupatus, cùm nullum aliud ſibi hoſpitium eſſet, ad 82
ænea tormenta, quæ ante regiam Imperatoris domum inſtructa erant, ſecedens, inter ea ſibi quieſcendum ea nocte eligeret: quod cùm ex Regij Palatij ſpeculatoribus nonnulli animaduerterent, ad eum aduolantes, tanquàm proditionis ſuſpectum, tot fuſtium ictibus onerant, vt velut exanimem humi iacentem reliquerint. At viuum poſt hæc conſpicientes, mox in carcerem coniiciunt: vbi integri menſis ſpatio, pane tribulationis, & aqua anguſtiæ paſcitur. At verò cùm tam ardens in illius animo charitas ferueret, vt hæc velut lucra ſibi acceſſiſſe putaret; ea Apoſtoli verba ſæpè repetebat: *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* Has igitur inter carceris anguſtias cùm integrum menſem exegiſſet; ex eo tandem vix Veneti Procuratoris (quem Bailum vocant) ſupplicatione liberatur. Byzantium eo tempore, ac præſertim triremium ſtationem lues inuaſerat: quapropter cùm Ioſephus feruentiori charitatis ſpiritu ductus ad captiuos Chriſtianos, quos velut filios amplectebatur, ac verbis ad fidei conſtantiam, & patientiam hortabatur: & ſicubi opus erat, Pœnitentiæ Sacramentum miniſtrabat; frequenter accederet, & cum iis familiariſſimè conuerſaretur; eodem & ipſe morbi contagio laborare cœpit: ex quo tamen diuina potiùs, quàm humana virtute conualeſcens, nullis intereà officiis, ac laboribus parcit, quo omnium ſaluti incumbat; ac ſeipſum Deo pro iis hoſtiam offerat.

*Fuſtibus cæditur, & in carcerem cõiicitur.*

2. Cor. 7. 4.

Hic inter eos, qui Chriſtianam fidem abnegauerant, cùm in Græcum quendam Ar- 83
chiepiſcopum, qui Baſſæ, ſeu Gubernatoris titulo fruebatur, aliquando incidiſſet; tot ſacrarum Scripturarum teſtimoniis, tot rationibus, támque cæleſti eloquentia Chriſtianam fidem illi ad ſalutem neceſſariam eſſe perſuadet; vt is, qui ſacrarum Litterarum haud ignarus, neque indocili ingenio præditus erat, diuina Viri facundia permotus, ac rationibus conuictus, tandem ad Chriſtianæ fidei amplexum redierit; tametſi publicam in aliud tempus fidei profeſſionem diſtulerit.

*Gubernatorē ad catholicā fidē reuocat.*

His cùm diuinæ charitatis flamma, qua ad martyrium pro Chriſto ſubeundum fereba- 84
tur, tanquàm adiecto pabulo, in Viro Dei quotidie magis excreſceret; extremam tandem aleam iacere ſibi in animum inducit: ac Turcarum Imperatorem, vt eum à Mahometica lege exterreat, & ad Chriſtianum Euangelium compellat, omni necis periculo poſthabito, adire ſtatuit. Quamobrem diuina primùm orationis virtute armatus, ad Regiam poſt Meridiem ſe confert: intrepidus Aulam penetrat, primámque Excubitorum cuſtodiam dormientem offendens, ad ſecundam progreditur: in qua cùm neminem adeſſe conſpiceret, ad tertiam, atque intimam pergit. Colludebant eo tempore illius cubiculi cuſtodes, qui ſimul atque hominem ſordidum, ignotum, & Chriſtianum ex verbis agnoſcunt; mox apprehenſum conſtringunt, è cubiculo expellunt, & carceri mancipant. Re intereà ad Iudicem delata, tanquàm læſæ Maieſtatis reus ad extremum vnci ſupplicium damnatur.

*Ad Imperatoris Regiam ſe confert, eámque penetrare tentat.*

Eſt vnci ſupplicium quoddam tormenti genus, quo ad necem damnati, hoc modo 85
afficiuntur. Duo è patibulo vnci, velut harpagines, quorum alter breuiori, alter verò longiori catena affixi ſunt, pendent. Qui igitur ad necem damnatus, cumprimùm ad patibulum peruenit, ſcalam, Carnifice præeunte, conſcendit; à quo dextra priùs ipſius manus perforata, breuioris catenæ vnco ſuſpenditur: tum Carnifex ad medios ſcalæ gradus deſcendens, vnco, qui longiori è catena pendet, dextrum eiuſdem talum inter poſticum neruum, & os tibiæ perfodiens; hoc modo appenſum, ac fame enecandum deſerit. Ioſephus itaque cùm triduo abſque cibo hoc modo vncis ſuſpenſus è patibulo pependiſſet; puer, vel potius cæleſtis Angelus ſub pueri ſpecie extemplò apparet, qui vncos arundine, quam manu geſtabat, attingens, protinus ab eo diuellit;

*Ad mortem damnatus vncis affigitur.*

geminiſque panibus, ac vini laguncula recreatum, cùm in Italiam redire iuſſiſſet, mox ab illius oculis eripitur. In quo ſanè arcanum Dei conſilium admirari licet; qui cùm Ioſephum, non ad ſanguinis, ſed ad charitatis potiùs martyrium delegiſſet: ita illius martyrium æterna illa ſuæ mentis ſapientia temperauit; vt nec ſanguis illius martyrio defuerit, quo martyrij præmium aſſequeretur; neque tamen ſanguinis martyrio, quo ardebat, conſumptus fuerit, vt ſuum charitati martyrium relinqueretur. Porrò hoc ipſo tempore & alij quoque Ioſephi Socij, tanquàm criminis conſcij, ac læſæ Maieſtatis rei, ad palum damnantur: at quodam Medico, qui ex Chriſtiano Mahometanus, plurima apud Turcarum Imperatorem authoritate valebat, agente, ſententia reuocata, à nece liberantur, & ad Chriſtianorum terras expelluntur.

86 Ioſephus itaque cæleſti præcepto redire compulſus, Archiepiſcopi, quem iterum Chriſto pepererat, obliuiſci non potuit: quapropter eidem perſuadet, vt oblectationis animi ſimulata cauſa, ſecum nauigium conſcendere ne formidet. Acquieſcit Ioſephi conſilio Archiepiſcopus; & dum vnà cum Ioſepho, ac Sociis Italiam versùs adnauigat, en repentè tempeſtas oritur, ventiſque contrariis flantibus fluctus aſſurgunt, ſpumantéſque aquarum montes nauigium interdum in Cælum euehere, mox in abyſſum demergere videbātur. Intereà, ob ventorum luctam, confracta antenna, dilaceratis velis, anchoris in alto perditis, gubernaculo excuſſo, per litorum fluxus, pérque omnia maria circunuolare cogebantur. Quo tempore, dum, omni vitæ ſpe abiecta, certum ſibi naufragium nautæ expectant, Ioſephus, qui eouſque Dominum rogare diſtulerat, vt ipſa quoque maris incommoda perferret; cùm iter ſuum impediri cerneret, poſitis genibus, Dominum precatur, vt qui olim ventis, ac mari imperans, ſuo illos imperio coërcuerat; ita & nunc maris intumeſcentis minaces fluctus miteſcere, ac ſecundum eis Auſtrum flare iubeat, quo ad optatum tandem portum pertingant. Víxque orationem abſoluerat, cùm auis diſcolor, ac pulcherrima nauis malo inſidere conſpicitur; quæ, dulci vocis modulamine proſtratos omnium animos recreans, in meliorem ſpem erigit: mox, ea auolante, quieſcunt fluctus, æquora ad priſtinam tranquillitatem redeunt; ac tandem læti Venetias appellunt, atque inde Archiepiſcopus Romam profectus, Sanctæ, ac Romanæ Eccleſiæ reconciliatur. Cæterùm, quæ Ioſephus, duorum circiter annorum ſpatio, quibus inter infideles verſatus eſt, corporis damna, & incommoda pro Domino pertulerit, quot mortis pericula euaſerit: qualia denique, & quanta, vt Infidelium animas Chriſto acquireret, perpeſſus fuerit, faciliùs ex ardentiſſima illius in Deum charitate colligi, quàm verbis explicari poſſunt: qua tandem factum eſt; vt quanuis decreto mortis ſupplicio perſequutor ei vitam non abſtulerit; is tamen martyrij palma haud fruſtratus fuerit; eúmque charitatis gradum proculdubiò apud Deum aſſequutus fuerit, quo nec maior, nec perfectior in hac vita haberi, aut conſcendi poteſt, de quo Apoſtolus: *Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an fames? an nuditas? an periculum? an perſequutio? an gladius?* Perfectæ enim charitatis ea vox eſt: *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto* IESV *Domino noſtro.*

*Maris tempeſtatem ſua oratione ſedat.*

Rom. 8. 35.

Ibidem 38.

87 Sed, quoniam (vt diximus) geminæ ſunt charitatis alæ, quibus anima ad Dei, & proximi dilectionem fertur; priori explicata, ſupereſt, vt de Ioſephi in proximum dilectione, (quæ ſeptima illius aſcenſio eſt,) nonnihil diſſeramus: quam cùm tria potiſſimùm perfectam declarent, quæ certos in ea gradus ſtatuunt: primum, quòd ea in omnes, tum amicos, tum inimicos extendatur: ſecundum, quòd pro horum dilectione cuncta fortunæ, & corporis bona contemnantur: tertium denique, quòd pro ſpirituali cuiuſque ſalute, atque vtilitate, vita ipſa profundatur: ex his quàm Ioſephus erga quemlibet charitate excelleret, facilè perſpectum erit.

Primum itaque huius charitatis gradum Ioſephum conſcendiſſe, nulli non perſpicuum fuit: ac tunc præſertim cùm graues ſibi tum à conciue, tum ab aliis illatas contumelias, quibus ad odium prouocari poterat; non tam æquo animo, quàm flagranti in eos charitate ſuſtulit: ita vt maiora poſt hæc illius beneuolentiæ ſigna oſtenderit: cùm enim hi inter inimicos haberi ſoleant, qui nos vel iniuriis laceſſunt, vel probris oppetunt, vel contumeliis, aut verberibus afficiunt; hos cùm Ioſephus, poſt iniurias, probra, ac verbera eo amore pro-

*Perfecta illius erga omnes charitas pleriſque exemplis illuſtratur.*

ſequutus eſt; vt his pro iniuriis, & contumeliis benefacta redderet: eo ſanè ſe non modò amicos, ſed & inimicos vera charitate complexum fuiſſe non obſcurè teſtatus fuit. At, quis apertior, & crudelior hoſtis, quàm qui ſimul cum Chriſtiana fide, Chriſtianos omnes perſequitur, ac diris ſuppliciis vrget? Nemo Turcarum in Chriſtianos odium, ac ſimultatem ignorat: quos tamen Ioſephus tanto charitatis æſtu proſequutus eſt; vt omne ſtudium, ac laborem ad eorum ſalutem contulerit. Maiora charitatis ſigna, quæ ad poſteriores illius gradus pertinent, non vrgeo.

Hinc verò ad ſecundum gradum explicandum accedo, quo is non temporalia tantummodo; ſed & propria corporis bona, & commoda, tum ſubleuandæ pauperum inopiæ, tum animarum ſaluti modis omnibus curandæ poſtpoſuit. Admirabilis planè huius Viri in pauperes charitas fuit, quos tam tenero amore, matris inſtar, complexus eſt, vt neceſſaria ſibi ipſi vtplurimùm alimenta ſubtraheret, quò illorum neceſſitatibus ſubueniret. Vbicunque Dei verbum quadrageſimali tempore diſſeminaret; primum illius ſtudium, ac ſollicitudo erat, Hoſpitalem Domum inuiſere, pauperibus miniſtrare, ægrotos conſolari; & quæ ſibi ad quotidiani victus annonam mittebantur, ſua Socio portione ſeruata, exiguáque ſibi panis parte relicta, cætera in pauperes diſtribuere. 88

*Admirabilis illius erga pauperes charitas explicatur.*

Anno 1600. quo tempore Iubilæo Romæ indicto, magna Peregrinorum copia Romam confluebat, cùm Otricoli prope Sabinos, quadrageſimales ſermones perſolueret, quotquot Peregrini eò diuertebant, is, vel ſolus excipere; & ſi qui vel impotentes eſſent, ſuis humeris in proprium hoſpitium deferre, pro iis oſtiatim ſtipem exigere, pedes lauare, capillos tondere, veſtes expurgare, plagas, & vlcera curare, atque exoſculari, ſolóque ſibi pane relicto, deſtinata ſibi edulia iis apponere; iiſque tam ardenti charitatis æſtu miniſtrare videbatur, vt iis in charitatis officiis totus animo liquefieret. Guardiani verò officio fungens, ſi quos in via pauperculos, vel egeſtate, vel morbis oppreſſos offenderet, in Conuentum recipere, ac ſuis manibus eorum vlcera curare, extergere, refouere, eóſque melioribus cibis reficere, ac omnibus officiis proſequi conſueuerat: ita vt quo tempore is Conuentum Luniani moderabatur, horrida hyeme, ac regione vndique alta niue obtecta, cùm pauperculus quidam adoleſcens, Ioannes nomine, fame, ac frigore confectus fores Conuentus pulſaret, hunc ſimul atque Ioſephus conſpexit, tanta in eum miſeratione commoueri cœpit; vt protinus in peregrinorum hoſpitium introductum, illi ignem inſtrui, menſam parari, ac melioribus obſoniis recreari iuſſerit; cúmque is nudis pedibus eſſet, mox de calceis eidem parandis cogitat: verùm, cùm nihil in Conuentu corij, quo conficerentur, adeſſet; is agni pelle, quæ necdum expurgata fuerat, in partes diſſecta, binis ei ſoleis adſutis, binos illi calceos parat. Hoc modo & in Amatricis oppido, cùm aduenam quendam pauperem iandiu carceri mancipatum tanta egeſtate confectum perciperet; vt quo nuda ferè membra contegeret, non haberet; is habitu ex communi veſtium loco aſſumpto, & in partes diſſecto, ex eo ſagum plebeium conficit, ac per familiarem ad eum ſecretò tranſmittit. Hoc ipſo charitatis æſtu in Tudertino Conuentu hortulum variis oleribus conſitum pauperum vſui deſtinat, quem ſuo manuum labore excolit. In oppido Criptarum agri Spoletani Dei verbum quadrageſimali tempore diſſeminaturus, cùm certum tritici cumulum ab oppidanis ad ſui ipſius alimenta paratum audiſſet; is, vt in pauperum alimoniam paratum ſibi triticum commutaretur, quotidianam panis ſtipem oſtiatim ſibi toto eo tempore in oppido emendicat; ex eóque Montem pietatis, quo pauperes alerentur, inſtituit. Sæpè etiam fiebat, vt cùm in ægrotos, præſertim pauperculos, incideret, quibus propter inopiam neceſſaria non ſuppeterent; iis vinum zulapium, atque alia huiuſmodi è Cælo impetrata miniſtraret. Quod in Albaneti pago accidiſſe, ex Proceſſu conſtat. Cùm enim pauperum curam diuinæ potiſſimùm liberalitati commiſſam ex Vate non ignoraret; ſicubi iis hominum præſidia deeſſe cerneret; ad diuinæ mox virtutis penum confugiens, è Cælo, quæ illis neceſſaria eſſent, miniſtrabat. Hæc verò, & alia quamplurima charitatis officia, quibus Vir Dei pauperes proſequebatur, quæ breuitatis ſtudioſus prætereo, quanto erga temporalem omnium vtilitatem ſtudio afficeretur, non obſcurè demonſtrant. 89

Iam verò ad ſpirituale, quod potius eſt, commodum venio. Quis ardens charitatis ſtudium, 90

dium, quo Ioſephus in animarum ſalutem ferebatur, explicare queat? Etenim, cumprimùm euangelizandi munus accepit, ita in animarum lucra inhiare viſus; vt nullum vnquam verbi diſſeminandi finem faceret. Haud illi vnum, aut alterum in die ſermonem ad populum habuiſſe ſat erat: ſed vicos, & caſtella improbiſſimo labore peragrans, ſæpè ad ſextum, ac ſeptimum pertingit. In his verò tam incredibili ſpiritus ardore agebatur, vt facilè quiſque animaduerteret, non humanum, ſed diuinum in eo ſpiritum proloqui. Quo fiebat, vt audientium animos nullo negotio ad pœnitentiam, & lacrymas compelleret. Nulla aëris intemperies, nulla niuium copia; nullus denique improbus labor, à Dei verbo prædicando, ac hominum ſalute procuranda vnquam deterruit. Quapropter haud raro contigit, vt pagos, & caſtella, Dei regnum prædicans, permeet; ſæpè imbre madidus, vel cœno fœdatus, atque interdum itineris labore confectus, ac febricitans, ſermones inſtitueret. Quid plura? Vſque adeò animarum ſalutem eſuriebat; vt propterea cibi, potúſque haud raro obliuiſceretur; ieiunúſque ad quietem accederet. *Animarũ ſaluti omni ſtudio inuigilat.*

91 Poſt ſuum è Conſtantinopolitana vrbe reditum, Ioſepho mos fuit, tùm ad Dominicæ Crucis honorem, tum ad hominum, ac præſertim paſtorum, qui oues in montibus paſcunt, pietatem excitandam, Cruces quaſdam præaltas in montibus erigere: quas cùm ſuis humeris deferret, eò conuenientes turbas ad Crucis venerationem, & Dominicæ Paſſionis memoriam ſermone prouocabat. Hoc modo, cùm in montem, Leoniſſæ propinquum, qui Mons Colliſcolatus appellatur, Crucem prægrandem æſtiuo tempore ſuis aliquando humeris ferret; eq; in itinere ſocius ſiti æſtuare cœpit: cui protinus montis locum is indigitat, vbi è fontis vena ſitim ſedare queat: nullâque eovſque aquæ vena eo in loco ſcatere viſa fuerat. Quapropter ſimul atque Socius aqua ſitis æſtum extinxit; fons protinus aruit: vt ea Sancti Viri oratione tunc exorta probaretur. Alteram quoque, vt cæteras taceam, prope Leoniſſæ portam, loco, qui caput vinearum appellatur; vbi ludentium, ac meretricantium conuentus haberi conſueuerat, haud ſine Dei conſilio Crucem collocat. Ea nanque tractu temporis vſque adeò diuinis miraculis claruit, vt pleræque in ea tabellæ, ac vota appenderentur. Ita nanque Vir Dei diuino honori, ac omnium ſaluti inuigilabat, vt vbicunque hæc periclitari, aut peſſundari conſpiceret, omnem mox lapidem moueret, quo, vel inſtaurarentur, vel integrâ conſeruarentur. *Crucem in montem ſuis humeris defert; & miraculum patrat.*

92 Hoc charitatis, & fraternæ ſalutis ſtudio choreas, ac Bacchanalia, quæ ex communi horum temporum corruptela ante quadrageſimale tempus celebrari ſolent, acerrimè perſequebatur: quibus cùm Dei honorem peſſundari, & animarum ſalutem in diſcrimen adduci cerneret; vt ea exturbaret, eo tempore oppida percurrere, & frequentiùs Dei verbum populis proponere ſolebat. Odia quoque, & inimicitias ſicubi inter aliquos graſſari intelligeret; omni ſtudio iugulare; rixáſque, nullum vitæ periculum extimeſcens, etiam inter arma componere ſatagebat. Quod in Amatricis oppido aliquando accidit: in quo cùm inter Piccarorum, & Ficardorum familias inteſtina odia vigerent, rixa inter vtriuſque factionis homines haud longè à Capucinorum Conuentu exorta; vtrinque catapultæ in aduerſam partem abſque numero explodebantur: quo tempore Ioſephus è Conuentu erumpens, vt rixam dirimeret, & cædem impediret, dextra ærea Crucifixi imagine, quam ſecum gerere conſueuerat armata; inter vtraque pugnantium agmina, vnde catapultariæ glandes hinc inde frequentiſſimè eiaculabantur, intrepidus proruit; pacémque Chriſti nomine ab iis poſtulans, hanc non priùs impetrat, quàm ſex circiter horæ in eo conflictu dilaberentur. At quàm efficax, ac Deo grata hæc illius charitas fuerit; diuino planè miraculo tunc omnibus perſpectum fuit: cùm enim ſex horarum ſpatio catapultis ab iis tam pertinaciter dimicatum eſſet, vt multi vtrinque cecidiſſe, ac plures, atque adeò Ioſephus ipſe catapultarum ictibus ſaucij omnium opinione crederentur, Dei virtute factum eſt, vt nec Ioſephus, nec vllus omninò inter tot igneos catapultarum globulos vtrinque emiſſos, vel leue vulnus tulerit. Etenim, vt ex Proceſſu conſtat, Ioſepho media inter agmina conſiſtente, catapultarij globuli, qui ex vtraque parte emittebantur, cùm ad Ioſephum pertingerent, velut perfracta virtute, ante illius pedes cadebant. Hoc modo, & diuturnum diſſidium, quod inter Borbonium, & Poſtam, Aprutij oppida, propter vtriuſque oppidi confinia ortum, ac mutuis odiis enutritum fuerat; ex quo certa clades expectabatur, ſua oratione, ac cæleſti eloquentia ita compoſuit; vt mutua deinceps inter ea neceſſitudo, ac beneuolentia ſucceſſerit. *Choreas, & Bacchanalia ſermonibus exturbat.* *Odia, & ſimultates vbique fugat.*

ſerit. Aprutij Proregem in Amatricis oppidanos tam graui ira commotum, vt in ipſorum excidium iuraſſet; eadem quoque eloquentiæ vi pacatum reddidit.

At præclarum illud Chriſtianæ charitatis, ac pietatis exemplum fuit: cùm enim vnicus mulieris cuiuſdam viduæ filius, tunc primùm miſerè ab inimicis trucidatus fuiſſet; adhuc corpus exanime in lecto iacebat, cùm Ioſephus, qui ad mœſtorum conſolationem libens accurrebat, viduam conſolaturus adit: quæ cùm filium inconſolabiliter defleret; nec vllam prorſus conſolationis vocem admitteret, magnum Ioſephus matri conſolationis genus fore arbitratus eſt, ſi commune ſibi illud infortunium efficeret, & cum ea filij occaſum comploraret. Omnibus ergo conſolationis verbis prætermiſſis, ſecum protinus extinctum filium lugere, ſimul collacrymari, & eiulantem charitatis fletu proſequi cœpit. Hoc verò cùm aliquandiu mœſtæ matri ſolatium exhibuiſſet; tandem Chriſti crucifixi æream imaginem exerens, his eam verbis affari cœpit: Si extinctum filium, ô mulier, qui vnicus tibi erat, tot hactenus lacrymis deplorauimus; an non æquum eſt, vt vnigenitum hunc Dei, & Mariæ Virginis Filium, qui crudeliſſimè olim à Iudæis necatus eſt; hunc, inquam, amantiſſimum, ac dulciſſimum animarum noſtrarum Patrem, ac Redemptorem, qui pro nobis vitam cum ſanguine fudit, ſimul cum Virgine Matre, ſi non amplioribus, ſaltem æquis lacrymis proſequamur? Tótque Domini mortem, ac paſſionem verbis illi inculcat, ac menti inſtillat; vt extincti filij lacrymis in meliores commutatis, vnà Domini mortem acerbiſſimam vehementiùs lugere, ac deplorare cœperint. Hinc Ioſephus occaſione captata, cùm mulieris animum iam pietate imbutum cerneret, ſacræ Deiparæ exemplo, quæ Iudæos Filij ſui interfectores ex animo diligebat, eam ad pacem cum filij ſui interfectoribus conciliandam prouocat, quam etiamnum filij cadauere inſepulto ab ea facilè impetrat: vt quantùm in Viro Dei diuina charitas valeret, nulli obſcurum eſſet. Plura huiuſmodi enarrari poſſent fraternæ charitatis officia, quibus is tam ſedulò, tam conſtanter, támque ardenter vacare conſueuerat; vt in his omnem animi voluptatem collocaſſe videretur. 93

*Præclarum conſolationis exemplum mulieri exhibitum.*

94 Poſtremò, vt ſupremum ſe fraternæ charitatis gradum conſcendiſſe oſtenderet: quid non pro Infidelium conuerſione apud Turcam molitus eſt? quas non corporis moleſtias, & incommoda pertulit, vt Byzantij vel aberrantes animas ad Chriſtum reuocaret, vel in fide laborantes, in ea firmas, ac ſtabiles redderet? Quaſnam, obſecro, pro his contumelias? quos carceres? quænam vitæ pericula ſubire exhorruit? vt pro omnium ſe ſalute impẽderet? Quòd ſi ea Saluatoris in Euangelio vox eſt: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animã ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* hoc ſanè Ioſephus maius dilectionis argumentum exhibere non potuit; quàm vt pro inimicis ipſis, à quibus contumeliis affectus, plagis confoſſus, vncis affixus, quemadmodum ſuprà explicatum fuit, vitam profundere peroptaret. Quo ſanè ineffabilem ipſam Dei charitatem æmulatus videtur, de qua Apoſtolus: *Commendat autem* (ait) *charitatem ſuam Deus in nobis: quia, cùm adhuc peccatores eſſemus ſecundum tempus: Chriſtus pro nobis mortuus eſt*, &c. *Si enim cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius; multò magis reconciliati ſalui erimus in vita ipſius.* Hæc quandoquidem fuſiùs ſuperiùs explicata ſunt, hîc obiter tantùm indicare libuit.

Ioan. 15. 13.

Rom. 5. 8. & 10.

95 At illud minimè ſilentio prætereundum, quod Ioſepho Byzantij cum captiuo Chriſtiano accidit, quod mirâ illius charitatem commendat. Hunc enim cùm inter alios virum ſingulari prudentia, & virtute ornatum animaduerteret; illius tantoperè miſeratione ductus eſt; vt protinus cum Archipirata de illius liberatione agere cœperit: cuius loco ipſe ſe captiuum offert. Verùm id Archipirata recuſante, Sancti Viri charitas ſuis votis fruſtrata, quod ab homine impetrare non potuit, tam eximij operis præmium, & coronam abſque vlla dubitatione à Deo conſequuta fuit.

*Vt captiuum redimeret, captiuum ſeipſum offert.*

96 His itaque de ſeptima hac charitatis aſcenſione breui Hiſtoria exaratis, ad octauam venio, qua Ioſephus per orationis, ac diuinæ contemplationis ſcalam ad Deum aſcendit. Orationem enim quendam animæ ad Deum aſcenſum eſſe: ac velut Iacob ſcalam, per quam eos, qui ad virtutum culmen, ac perfectionem tendunt, conſcendere oporteat, omnium ferè Patrum communis vox eſt, qui mira de orationis, tum excellentia; tum neceſſitate tradunt: quæ cùm ad Hiſtoriographum non ſpectent, iis ipſe minùs inſiſto; ſolùmque Auguſtinum huius aſcenſionis gradus his verbis breuiter attingentem profero:

*Quid eſt autem* (inquit) *oratio; niſi aſcenſio animæ de terreſtribus ad cæleſtia? inquiſitio ſupernorum? inuiſibilium deſiderium?* His enim gradibus, ſeu potiùs conditionibus oratio conſtare debet, vt per eam anima ad Deum conſcendere valeat. Primò, vt animus ita à terreſtribus ad cæleſtia ſe attollat, vt ab omnibus terrenis cupiditatibus ſit liber. Secundò, ſuperna, ac cæleſtia vehementiùs inquirat, & affectet. Tertiò, vt ad Deum ſolum toto animo, ac deſiderio aſpiret, & in eo conquieſcat.

S. Aug. ſerm. 230. de tép.

97 Primùm igitur, quiſquis ad Deum per orationem, ac diuinarum rerum contemplationem optat conſcendere, terrenorum omnium affectum exuat, neceſſe eſt; quo liber ad cæleſtia euolet: amor enim, & cuiuſlibet rei temporalis cupiditas, ex qua animi ſordes, ac labes conſurgunt, vincula, & compedes animi ſunt, quibus is miſerè conſtringitur, ne liber ad ſuperiora feratur. Quare Ambroſius: *Innocentium* (inquit) *aſcendit oratio, ſi Ægyptium lutum oderint, & operari terrena declinent.* Hinc Dauid orationem ſuam quaſi fumum ex incenſo aſcendentem, in cælum ferri optabat, cùm diceret: *Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum, in conſpectu tuo.* Nam, quemadmodum fumus ex incenſo ardenti erumpens, ſeſe ex humo attollit, vt cæleſtia petere queat: ita & orantis animus nulla non modò rerum temporalium cupiditate teneri; ſed & ſuper terrena omnia efferri debet; vt ipſius oratio, velut incenſum ad Deum aſcendere valeat.

*Temporaliũ rerum cupiditas, animi compedes.*

S. Ambroſ. ſerm. 22. in Pſalm. 118.

Pſal. 140. 2.

98 Hunc primum orationis gradum Ioſephum aſſequutum fuiſſe, mens ipſa, quam à terrenis ſuſpenſam perpetuò gerebat, ac nunquam intermiſſa oratio, cui diu, noctúque etiam inter ipſa negotia, & charitatis officia vacabat, facilè teſtantur: quo fiebat, vt cùm alios ad ſedulum orationis ſtudium prouocaret, iis illa Chriſti verba ſæpè inculcaret: *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere.* quæ ita interpretabatur: quaſi animus omni humana cupiditate vacuus, ita ad Deum ſemper compellendus ſit; vt, ſiue ſoli, ſiue aliis aſſociati; vel triſtes, vel gaudentes; aut ægri, aut benè valentes; quocunque loco, quocunque tempore, quo ei per naturæ neceſſitates licet; in quocunque opere, ac miniſterio; vel per charitatis affectus, vel per deſideria virtutum, vel per laudes, vel per gratiarum actiones, vel alio quouis modo ad Deum tendat; ita vt vbi mens ad Deum oratione aſcenderit, nunquam ad terrena, niſi naturæ pondere, ac neceſſitatibus grauata, deſcendat. Si enim (aiebat) ſingulis temporum momentis noua à Deo beneficia accipimus, cur non ſemper, Apoſtoli exemplo, gratias eidem agere debeamus? Si peccatorum periculis vndique cingimur, quidni & omni tempore ad Deum nobis clamandum erit? Domine, ſalua nos, perimus. Semper gratia ad benè, ſanctéque viuendum nobis neceſſaria eſt; quare orationi, vt eam aſſequamur, ſemper inſtantes non erimus? Semper hoſtis aduerſùm nos vigilat, vt rapiat, ac deuoret; ſemper & nobis in oratione vigilandum, vt ab eius inſidiis eripiamur. Multis denique, ac propè innumeris cùm ſemper vitæ huius miſeriis obſideamur, annon vt ab iis tandem Dei miſericordia liberemur, perpetua, ac nunquam intermiſſa nobis oratio eſſe debet? Quapropter Chryſoſtomum ita docentem referebat: *Decet igitur nos ab illo doctos, cum precatione vitæ curſum peragere; atque hac mentem aſſiduè rigare. Siquidem hoc omnes homines non minùs opus habemus, quàm arbores aquarum humore. Neque enim valent illæ fructus producere, niſi bibant humorem radicibus; neque nos pretioſis pietatis fructibus poterimus eſſe grauidi, niſi precibus irrigemur. Quapropter oportet, & ſtratis relictis, diuino cultu præuenire Solis exortum, & cùm ad menſam accedimus, & cùm nos ad nocturnam quietem recipimus: quin potiùs oportet ſingulis horis, vnam precationem offerre Deo, vt orandi curſus, diei curſum æquet.*

Luc. 18. 1.

*Qua ratione oratio nunquam intermitti debeat, aperit.*

S. Ioã. Chryſoſt. lib. 1. de orand. Deũ.

99 Verùm, cùm Guardianus eſſet, ſubditos quo pacto in quotidianis etiam miniſteriis, ac externis operibus orationi vacare poſſent, diligentiùs inſtruens, eos Baſilij verbis monebat, dicens: *Accumbens menſæ, ora: eſitans panem, largitori gratiam rependito. Suffulciens, firmánſque infirmas corporis vires vino, eius fac memineris, qui hoc te dono impertiuit ad inſerendam cordi tuo lætitiam, & ad multiplicium infirmitatum non mediocre ſolamen. Nulla tibi eſt ſumendi edulij neceſſitas? caue, te prætereat eius memoria. Liberali beneficio ventrem expleſti? tunicam indueris? gratias agito benigno datori. Amiciris pallio? fac in te augeſcat interior erga Deum charitas, qui integumenta gratuitò largitus eſt hyemi, æſtatique accommoda, quibus & vita conſeruetur, & obueletur turpitudo. Tibine dies expletus abiit? illi referto gratiam, qui Solem quidem nobis, nihil tale commeritis, indulſit in diuinæ opera-*

*Subditos ſẽper orare docet.*

S. Baſil. hom. in Martyr. Iulittam.

*tionis*

*tionis miniſterium: ignem verò contulit illuſtrandæ nocti, vtq; ſubſeruiat reliquis vitæ commoditatibus. Ipſa rurſus nox alias ad orationem ſuggerere poſſit, conciliaréve occaſiones. Etenim ſi quando in cælum ſuſpexeris, cùm in eximiam ſyderum pulchritudinem oculorum aciem defixeris preſſiùs, horum viſibilium ſupplica Domino, vniuerſorum longè optimo artifici procide Deo, & cole eum, qui cuncta hæc in ſapientia condidit. Vbi omnigenum animantium naturam in ſomnum reſolutam, ac depreſſam perſpexeris, ſupplex procidens adora rurſus eum, qui nos nec cogitantes, aut certè inuitos indulgentia ſoporis à continenti laborum aſſiduitate relaxat, & alleuat, pérque exiguæ quietis refocillationem vigorem addit corpori, vireſque inſtaurat. Itaque, ne tu mihi noctem, ceu peculiarem, ac ſelectam temporis partem totam addixeris ſopori, neu patiare vitæ totius medium nullo tuo vſu tibi præripi, dum ſtupido & inſenſibili ſomno lenteſcis: quin tu potiùs ipſam tibi diſpertitor noctem in ſomnum, atque orationem, imò ſomni ipſi pietatis exercendæ meditationes quædam ſunt.* Hæc ille, cùm perpetuo orationis ſtudio, ac exercitatione apud ſe proſequeretur; ad ea creditum ſibi gregem verbis adhortabatur: quo fiebat, vt neque domus miniſteria, neque ægrotorum obſequia, neque vrbis negotia, neque itinera, neque vlla charitatis officia eum ab oratione auocarent: quin & ipſæ naturæ neceſſitates, quæ alioqui orationem intercipere ſolent, orationi famularentur, cùm eas ita ſuſciperet, vt animo ad orandum vires, ac robur miniſtrarent. Quamobrem, vt faciliùs animus in Deum ferri aſſueſceret, flammigeras quaſdam animi ad Deum adſpirationes, quas orationes iaculatorias vocant, ſibi familiares adſciuerat, de quibus Auguſtinus: *Dicuntur Fratres,* (inquit,) *in Ægypto crebras quidem habere orationes; ſed eas tamen breuiſſimas, & raptim quodammodo iaculatas: ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimùm neceſſaria eſt, per productiores euaneſcat, atque hebetetur intentio.* His ſiquidem ſæpiſſimè in die, ac omni loco repetitis, mentem à terrenis rebus abductam, ad ſuperna attollere conſueuerat. His animum ad cæleſtia anhelantem, vel affectu diuerſarum virtutum imbutum, vel diuina charitate inflammatum, in Deum transfundebat. His tandem, velut quibuſdam amoris iaculis Dei cor perfodiens, mutua inde amoris vulnera referebat: de quibus Sponſus in Canticis: *Vulneraſti cor meum, Soror mea Sponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum.* Cui & viciſſim Sponſa Dei amore ſaucia: *Fulcite me floribus,* (ait:) *ſtipate me malis: quia amore langueo.*

*Nunquã intermiſſa ipſius oratio cõmendatur.*

S. Aug. epiſt. 120. ad Probam.

Cant. 4. 9.

Cæterùm, ne vllum illi omninò ab oratione vacuum tempus elaberetur, præter hos motus anagogicos, quibus animum exercere ſolebat, vocalibus etiam quibuſdam orationibus vtebatur: vt & mens, & lingua ſe inuicem coadiuuantes diuinis ſeſe laudibus occuparent. Quapropter Chriſti Domini, ac B. Virginis matris annos Corollis diſtinctos, quotidie colere; quotidianas quoque ſacræ Deiparæ Horas, ac Defunctorum officia perſoluere, omni ſtudio curabat. Canonicis verò Horis tanta mentis attentione, & corporis compoſitione, quaſi qui non inter homines in Choro; ſed inter cæleſtes Angelorum Choros in Cælo verſaretur, incumbere videbatur: quo ſe primum hunc orationis gradum perfectè conſcendiſſe demonſtrabat. 100

*Vocali interdum oratione linguam ad Dei laudes prouocat.*

At, quandoquidem viua, non mortua oratio eſſe debet, quæ ad Deum aſcenſura eſt; viua autem oratio eſt, quæ Dei, ac rerum cæleſtium deſiderio feruet, vt docet Bernardus ita ſcribens; *Timida quidem oratio Cælum non penetrat: quia reſtringit animum timor immoderatus; vt oratio non dicam non aſcendere, ſed nec procedere queat. Tepida verò in aſcenſu langueſcit, & deficit, eò quòd non habeat vigorem: nam temeraria aſcendit, ſed reſilit: reſiſtitur enim ei: nec tantam non obtinet gratiam; ſed & meretur offenſam. Quæ verò fidelis, & humilis, & feruens oratio fuerit; Cælum ſine dubio penetrabit: vnde certum eſt, quòd vacua non redibit.* Hinc ſecundus orationis perfectæ gradus conficitur; quem Ioſephus ab exordio tam ſtudioſè proſequutus eſt; vt ipſius oratio, haud ſecùs, quàm virgula illa fumi ex ardenti thure conſurgens, de qua in Canticis legitur: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris.* è feruido illius ſpiritu hauſta, celerrimè ad Deum aſcenderet. Tanto enim plerunque diuini amoris æſtu incaleſcebat; vt cùm is intra cordis ſepta contineri non poſſet, ſæpè orationem interrumpere, atque in apertum aërem prodire cogeretur: vt concluſas in corde flammas, quaſi per ſpiraculum exhalaret. 1

B. Bern. ſerm. 4. in cap. ieiunij.

Cant. 3. 6.

2 Hoc ſpiritus ardore concitatus, cùm perpetuo in Deum animi motu raperetur; corporea quoque actione, vt perfectum Deo, non modò thuris incenſi odore; ſed & manuum eleuatione, ſacrificium offerret; eundem proſequebatur. Etenim per ſingulos dies, vix audito quolibet horarum ſigno, ad Domini præſentiam, quæ in ſacra Euchariſtia in Eccleſia aſſeruata exhibetur; omni occupatione poſthabita vento celeriùs in Eccleſiam aduolans, pronus in terra Deum Cæli præſentem ſumma veneratione adorabat; cæteróſque ad huiuſmodi reuerentiam Deo præſtandam cohortans, aiebat. Quales Capucinos Fratres eſſe arbitramini? Hi planè honorarij Dei miniſtri ſunt, quos ſedulò obſequentes eſſe oportet. Porrò, ſi honorarij Regum pueri ſæpè Regis præſentiam adeunt, vt ipſius iuſſa excipiant; pari modo & Capucini Fratres, tanquàm ſummi Regis ephebi frequentiùs ſeſe illius conſpectui, qui in ſacra Euchariſtia exhibetur, ſiſtere, & Angelorum inſtar ad audiendam vocem ſermonum eius, ſe promptos præbere debent, illa Apoſtoli verba vſurpantes: *Domine, quid me iubes facere?* *Sæpiùs in die Deum in Euchariſtiæ Sacramento adorat.*

3 Feruens huius viri oratio potiſſimùm ex Chriſti Domini vitæ, & paſſionis meditatione incaleſcebat: ex hac quippe diuinæ charitatis officina ardentes amoris ſagittas colligens, animum ita incendebat, vt ſæpè velut diuino amore liqueſcens, lacrymarum imbres ex oculis effunderet, ſingultus eructaret, voces in Cælum emitteret. In hac Dominicæ Paſſionis meditatione, tam ingens diuinæ charitatis ignis in Ioſephi animo exarſerat; vt inde Chriſti amore flagrans illud Auguſtini ſæpè diceret: *Vnum eſt, quod me plus omnibus accendit, vrget, mouet, & promouet ad te diligendum. Super omnia, inquam, amabilem te mihi reddit, ô bone* IESV, *ignominioſiſſima, & amara mors, quam ſuſtinuiſti, opus Redemptionis noſtræ. Hoc ſolum, vel hoc omninò, totam vitam noſtram, totum laborem noſtrum, totum obſequium noſtrum; amorem denique noſtrum facilè ſibi vendicat.* S. Aug. lib. de diligendo Deo.

4 Denique ex hac velut diuinæ charitatis fornace tam ardentes is amoris flammas hauſerat; vt earum ardore, alios quoque, qui ad eum propiùs accederent, inflammaret, quod binis Fratribus, qui è Neapolitana Prouincia in Aprutinam conceſſerant, aliquando contigit: qui, cùm eum fortè obuium haberent, ardentem illius faciem conſpicientes, tam animo ex illius aſpectu incaluère, vt ſe nunquam tam cæleſti voluptate potitos affirmarent. Vir etiam quidam Borbonenſis, Benignus nomine, cùm ipſius colloquio frui optaret, ad ipſius cellam à Fratribus adductus; vultu illum tam ſplendido, atque ignis inſtar emicante, orantem conſpexit, vt ab eo maxima tum admiratione, tum pietate commotus abierit. *Alios ſua oratione inflammat.*

5 Supereſt ſupremus orationis gradus, qui ex inexplebili quodam Dei ſolius deſiderio, ac perfecta ipſius cum eo vnione illi conſurgebat, explicandus, de quo Auguſtinus: *Ecce* (inquit) *dum tibi mens mea ſuſpirat, & tuam ineffabilem pietatem meditatur; ipſa carnis ſarcina minùs grauat; cogitationum tumultus ceſſat; pondus mortalitatis, & miſeriarum more ſolito non hebetat; ſilent cuncta; tranquilla ſunt omnia: cor ardet, animus gaudet, memoria viget, intellectus lucet; & totus ſpiritus ex deſiderio viſionis tuæ accenſus, inuiſibilium amore rapi ſe videt.* Hic cùm ex perfecta Dei charitate, quæ in Ioſephi animo flagrabat, proculdubiò proficiſceretur; eo fiebat, vt irrequieto animi motu ſemper ad Deum tendens, ſæpè illa Vatis verba repeteret: *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te, Deus.* Interdum verò ſibi columbæ alas expetens, quibus ad Deum euolaret, cum eodem ingemiſceret, dicens: *Quis dabit mihi pennas, ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* Denique vniuerſa tam terreſtria, quàm cæleſtia mentis affectu tranſcendens, animo ſuper omne gaudium, & mœrorem, ſuper omnem ſpem, metum, ac ſollicitudinem euecto, vniuerſa præter Deum reſpueret, vt in eo ſolo conquieſceret; illud cum Vate exclamans: *Quid enim mihi eſt in Cælo? & à te quid volui ſuper terram? Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* S. Auguſt. Manual. c. 3. Pſalm. 41. 1. Pſalm. 54. 7. Pſalm. 72. 25. & 26.

6 In hoc ſupremo diuinæ contemplationis gradu tantò altiùs Ioſephi mens ad Deum aſcendebat, quò ardentiori illi charitate coniuncta, perfectiori lumine, quo ad altiorem eiuſdem cognitionem aſſurgeret, fruebatur. Hoc quippe diſcrimine tres hi orationum gradus inter ſe diſcernuntur, vt diuino luminis fulgore iuxta charitatis menſuram excreſcente, etiam orationis gradus excreſcant; ita vt inchoata charitas *Supremo orationis gradu in Deo ſolo conquieſcit.*

Pſalm. 50. 8. Et Dauid olim id de ſeipſo teſtatus eſt: *Incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.* Quamobrem, cùm Ioſephi ſanctitas tanto virtutum ſplendore, ac miraculorum maieſtate, vti ſtatim indicabimus, apud omnes affulgeret; vt vbique de eo fama diffunderetur: ne quidem fas eſſe exiſtimauerim, diuinas ipſius reuelationes certa veritate, ac vtilitate comprobatas ab vllo in diſcrimen reuocari.

His itaque breuiter, quæ ad diuinarũ reuelationũ veritatem ſpectant, prælibatis, ad ipſas Ioſephi reuelationes venio: quæ cùm copioſiſſimæ ſint, ne ab inſtituta Hiſtoriæ breuitate longiùs abſcedam, grauioribus tantùm explicatis, cæteras compendio colligendas duxi. Ab his igitur vt exordium ducam, quibus is occultas, atque intimas animi aliquando cogitationes aperuit, quo alios, vel à ſcelere abſterreret, vel ad pietatem compelleret: Leoniſſæ Ioannes Nicolaüs Argentius, qui & Blancucius dicebatur, cùm à viro, cuius nomen conſultò prætereo, viginti aureorum ſummam, quam tabulis probare non poterat, apud Iudicem repetere minimè valeret; iſque debitum negaret, odio, atque ira percitus in ipſius necem conſpirat; réque nulli omninò communicata, longiori, ac breuiori catapulta, necnon & pugione armatus, ſolus in agrum pergit; vbi vir ille ſuam in fœno metendo operam præſtabat. Verùm, cùm ager haud longè à Capucinorum Conuentu diſtaret; Blancucio iter prope Conuentum, vt ad virum debitorem pertingeret, carpendum erat; cùm Ioſephus, cui Deus Blancucij animum ad ſcelus paratum reuelauerat, eidem in via inſperatò occurrit; eúmque manibus apprehenſum, quaſi de ſeriis rebus cum eo collocuturus, in Conuentum pertrahere nititur: reluctari ille, ſanguinario ſpiritu exagitatus, grauiſſimúmque negotium ſimulans, colloquium ad reditum vſque differre. At Ioſephus tot illum, támque ſuauibus verbis attrahit; vt tandem in Conuentum perduxerit: vbi iniquum illi animi propoſitum aperiens, eum grauiter increpat, atque in Eccleſiam ante ſacræ Euchariſtiæ Altare perductum, à Deo machinati ſceleris miſericordiam petere, odiúmque iam animo conceptum deponere iubet. Tum verò ad eum: Blancuci, (inquit,) æquo animo eſto: neque enim hic elabetur dies, quin debita tibi pecunia fruare. His Blancucius verbis recreatus, cùm in oppidum rediret, amicum quendam, Onufrium nomine, in ipſa Leoniſſæ porta ſibi obuium habet, qui rem ſuam cum viro compoſitam refert; ab eóque optatam pecuniæ ſummam recipit. Quo ex facto, Ioſephum, non modò intimam illius cogitationem rimatum fuiſſe; ſed & futurum rei euentum agnouiſſe, exploratum fuit.

*Occultum cuiuſdã ſcelus diuina reuelatione agnoſcens impedit.*

Ad hæc nobilis quædam mulier Aquilana, ex Alferiorum familia, tam ſæua in famulum animo odia conceperat; vt alterius opera eum è medio tollere decreuiſſet. Dum verò, quo pacto id cautiùs peragi queat, ſecum animo verſat; en Ioſephus domum aduentat, qui iniquum animi illius conſilium detegens, eam grauiùs obiurgat. At mulier: Quis (inquit) Ioſeph, meum tibi hoc conſilium aperuit, cuius duntaxat mihi animus conſcius eſt? Cui Ioſephus: Is planè, qui niſi ab eo animum reuocaueris, crimen grauiùs vlciſcetur. His illa exterrita, mox conſilium reuocat, & Ioſephi in vrbe ſanctimoniam prædicat. 14

Poſt hæc Viro Dei, Ciculi, quod amplum eſt Aprutij oppidum, Dei verbum quadrageſimali tempore diſſeminante, eiuſdem oppidi Baroniſſa, quiddam ſibi in animo agendum propoſuerat, quod in propriam ipſius animæ perniciem redundaret. Res ita occulta erat, vt ſola illius mente concluſa, necdum eatenus ad ipſius linguam perueniſſet: quo tempore Ioſephus opportunam occaſionem nactus, ad eam ſe confert; totámque ſui conſilij ſeriem, quam animo texuerat, eidem reuelans, eam à propoſito abſterret: quæ rem maximè admirata, eam deinceps, poſt Ioſephi exceſſum, certa publici Tabellionis fide confirmauit. Nonnulla alia, quæ in Proceſſu Leoniſſæ confecto habentur, prætermitto, vt ad propheticas illius prædictiones accedam.

*Quamplurima prophetico ſpiritu futura prænũciat.*

Quo tempore Ioannes Clodolus, Sancti Viri nepos, ſuas Maffæo Barberino, S. R. E. Cardinali, nunc verò Chriſti Vicario, operas locatas habebat, ingentem in omnium animis, ob ſingularem virtutem, ac prudentiam, qua præditus erat, futuri profectus ſpem alebat. Quamobrem, cùm de præclara viri expectatione à pleriſque cum Ioſepho ſermo haberetur, his ille: Vana (inquit) vos expectatio fallit: eximium hoc germen eſt, quod multorum ſpem fruſtrabitur: ante enim morte areſcet, quàm in arborem ex- 15

creſcat.

quietis nonnihil capturus ſeceſſiſſet; amicum, qui nuper vita functus fuerat, eò ingredientem cernit: cuius primo aſpectu turbatus, vbi animum confirmauit, ita defuncto: An non, Frater, (ait,) iam ex humanis deceſſiſti? Quomodo hîc te præſentem cerno? Cui ille: Sum equidem vita functus; at non abſque Dei conſilio huc ad te acceſſi. At Ioſephus: Aperi, quæſo, quis nunc vitæ ſtatus te detineat. Mox defunctus, magno ex imo pectore ſuſpirio educto: O Ioſeph, (inquit,) ſi quàm ſeuera omnium, quæ fiunt, à Deo in morte ratio exigitur, tibi perſpectū eſſet! Iterúmque altiùs ex intimo ſuſpirium trahens: O Ioſeph, ô Ioſeph, (addit,) ſi quàm difficilis eſt ad ſalutem aditus, non obſcurè intelliges! Atque hoc modo obtruncato, imperfectoque ſermone, cùm protinus euanuiſſet; Ioſepho perficiendum, & quid ſibi agendum eſſet, perpendendū reliquit. His defuncti verbis, Ioſephus, ſibi non oſcitanter; ſed ſeriò in via Dei progrediendum fore edoctus; hac adeò viſione profecit, vt inde maiores ad omnia virtutum ſtudia ſibi ſtimulos adhiberet. *Defuncti anima illi apparens Dei illum iudicia docet.*

9 Poſt hæc, cùm Leoniſſæ Lucas quidam Argentius grauiſſimè ægrotaret; horrenda vultu ſigna, quibus domeſtici haud leuiter terrebantur, præferebat. Quamobrem eò Ioſephus accerſitus, cumprimùm ad ægrotum acceſſit, cubiculum, & ægrotantis ſtratum Dæmonum turba occupatum cernens: Heu! (inquit,) quot hîc Dæmones adſunt! Cùmque ſtatim cubiculum, ac domum aqua luſtrali aſperſiſſet, ac ſua benedictione proſequutus fuiſſet, mox effugata Dæmonum nube, æger quieſcens, paulò pòſt ſuauiter in Domino obdormit. Cuius animam cùm apud Deum ſalutem adeptam fuiſſe conſpexiſſet; hoc quoque nuncio lugentem illius vxorem conſolatur.

10 Poſtremò, cùm anno 1611. Leoniſſa diſcedens, Amatricem proficiſceretur; ab ea vix lapidis iactu digreſſus, cùm iterum ad patrium oppidum faciem conuertiſſet, innumeris illud Dæmonibus obſitum conſpiciens, mox lacrymas fundere, ac Dominum, vt ſuam ab eo iram auerteret, deprecari cœpit. Demum ſua illi benedictione impertita, ſuum, Amatricem versùs, iter proſequitur. *Leoniſſam à Dæmonum caſtris obſeſſam cernit.*

11 Hanc verò rerum incorporearum viſionem, quæ per corporeas imagines, vel corpora ex aëre formata fieri ſolet; nemo vanam, aut mendacem exiſtimare debet: cùm paſſim in ſacris Paginis huiuſmodi, tum Dæmonum, tum Angelorum, tum Dei ipſius ſub corporea forma, apparitiones habeantur. Nam & Abrahæ, & Loth, & Tobiæ Angeli ſub humana ſpecie ſe ſpectandos præbent: Dæmon quoque Euæ ſub ſerpentis forma apparens, eam ad pomi eſum prouocat: & Chriſtum Dominum ſub humana ſpecie in deſerto tentat. Demum ipſe inuiſibilis Deus, tum à Daniele, tum à Ioanne Euangeliſta ſub ſenis, & antiqui dierum corporea ſimilitudine conſpicitur. Quo fit, vt in his nihil vanum, aut mendax præferatur. Quanquam enim inuiſibilia, corpore, quo inuiſibilis natura repræſentari queat, non conſtent; cùm tamen ea humanis obtutibus, non niſi per corpoream ſpeciem innoteſcere valeant; quo aſpectari queant, aëreum corpus aſſumunt, vt docet Gregorius his verbis: *Aliquando imaginibus, ante corporeos oculos, ad tempus ex aëre aſſumptis, per Angelos loquitur Deus. Sicut Abraham non ſolùm tres viros videre potuit; ſed etiam habitaculo terreno ſuſcipere: & non ſolùm ſuſcipere; ſed eorum vſibus etiam cibos adhibere. Niſi enim Angeli quædam nobis interna nunciantes, ad tempus ex aëre corpora ſumerent, exterioribus profectò noſtris obtutibus non apparerent: nec cibos cum Abraham caperent, niſi propter nos ſolidum aliquid ex cæleſti elemento geſtarent.* Gen. 18. Gen. 19. Tob. 6. Gen. 3. Matth. 4. Dan. 7. Apoc. 1. S. Greg. Mor. 28. c. 2.

12 Ab hac igitur viſionum luce Ioſephus, ad decimam, Deo perfectiùs illius ſpiritum illuſtrante, diuinarum reuelationum aſcenſionem aſſurgit: quæ cùm partim ad res futuras, partim ad occultas pertineant; facilè his, quæ vel ab humano, vel à diabolico ſpiritu confinguntur, ipſa rerum veritate, vtilitate, ac fine diſcernuntur. Finis autem eſt, ipſa Dei gloria, & proximorum vtilitas, in quam omnis prophetiæ ſpiritus, omnis reuelatio, omnis occultorum cognitio, omnis futurorum prædictio collimare debet; vt veræ, ac diuinæ eſſe, & appellari queant, vt docet Apoſtolus, dicens: *Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem.* Potiſſimum verò veræ reuelationis agnoſcendæ argumentum eſt nota ipſa viri, cui reuelatio fit, ſanctitas, & humilitas: ſolet enim Deus Opt. Max. ſibi amiciſſimos huiuſmodi futurorum, aut occultorum cognitione illuſtrare: quemadmodum de Abraham legitur, cui Deus dixit: *Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum?* *Diuinis ſæpè reuelationibus fruitur: & quæ veræ reuelationes ſint, aperitur.* 1. Cor. 12. 7. Gen. 18. 17.

infimum; aucta medium; perfecta verò ſupremum orationis gradum conſtituat. Hoc itaque orationis gradu conſcenſo, haud mirum, quòd Ioſephus in ea tam frequens, & aſſiduus conſpiceretur; vt quotidiano vſu, quarta tantummodo noctis parte neceſſario ſomno indulta, reliquas ſacris vigiliis, ac diuinæ contemplationi dicaret: & plerunque etiam integras noctes in oratione inſomnes tranſigeret. Hinc cæleſti hoc lumine perfuſus, cùm orationi incumberet, ita diuinâ virtute ſurſum agebatur; vt velut immobilis petra, abſque motu, & ſenſu conſiſteret; ac plerunque ecſtatica actione in Deum raperetur.

*Vi ecſtatica ſæpè extra ſenſus rapitur.*

7 Eſt autem ecſtaſis, ſeu raptus, eleuatio mentis in Deum, cum abſtractione à ſenſibus exterioribus, ex ipſius eleuationis vi procedens; quæ cùm ad ſupremum diuinæ contemplationis gradum pertineat, ea anima ſuauiſſimè ad interiora colligitur, & quaſi diuinis immergitur, de qua in Canticis: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?* Neque enim ea propriis animæ viribus, ſed diuina virtute per noui luminis infuſionem, & amoris incendium operante perficitur, vt præclarè docet Bernardus, exponens illud: *Introduxit me Rex in cellam vinariam,* &c. *Cùm enim* (ait) *duo ſint beatæ contemplationis exceſſus, in intellectu vnus, & alter in affectu; vnus in lumine, & alter in feruore; vnus in agnitione, alter in deuotione: pius ſanè affectus, & pectus amore calens, & ſanctæ deuotionis infuſio, etiam & vehementi ſpiritus repletus zelo, non planè aliunde, quàm è cella vinaria reportantur; & cuicunque cum horum copia ſurgere oratione donatur, poteſt in veritate loqui: quia introduxit me Rex in cellam vinariam.* In hoc igitur ſtatu dum mens à ſeipſa alienata in illam rapitur diuini luminis abyſſum; atque ab illo diuini amoris incendio vndique circundata, intimè penetratur, atque vſquequaque inflammatur, ſeipſam exuit, ac diuinum quendam affectum induit: ita vt inſpectæ pulchritudini (vt Victorinus ait) configurata, tota in aliam gloriam transeat. Hoc illum ſæpè diuinæ contemplationis dono potitum, ne abſque teſtimonio aſſerere videar, id ex Proceſſu Leoniſſæ inſtructo perſpicuum eſt: ex quo, cùm is ante quandam B. Virginis imaginem, quæ extra Leoniſſæ oppidum in Ædicula, publicæ viæ expoſita, depicta erat, ſtans oraret; à nonnullis, qui eò præteribant, toto corpore in aëra ferri viſum fuiſſe conſtat. Hinc etiam ſumma ipſius in ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum Religio exoriebatur, qua fiebat, vt nunquam ſacrorum Myſteriorum celebrationem vel ægrotus intermitteret: ea præſertim ratione, quòd Deo nulla maior gloria; homini verò Deum diligenti, nulla amplior voluptas poſſit accedere, quàm Deo ipſo paſci, eique concorporeus, & conſanguineus fieri. Quamobrem tanta mentis puritate ad ſacra hæc Myſteria peragenda ferebatur, vt animum quotidie, ante celebrationem, Sacramento ab omni ſorde expiaret: támque ſingulari ad ea mentem præparatione anteiret, vt ſemper B. P. noſtrum Franciſcum ſibi ad Diaconi; S. Antonium ad Subdiaconi miniſterium; Angelum tandem ſui Cuſtodem, vnà cum cæteris, ſibi adſiſtentem vocaret; quò maiori dignitate Sacramenta perageret. Quæ res quàm Deo grata eſſet; quantáque apud Deum Ioſephus ſanctimonia præcelleret, diuino aliquando teſtimonio declaratum fuit. Cùm enim in oppido Montiſregalis Sacra ſemel facturus eſſet; Eccleſiæ Rector, qui multa de Ioſephi ſanctitate audierat, cùm eum præſentem, & cum cæteris colloquentem cerneret, hæc apud ſe tacita cogitatione verſare cœpit: Hunc homines Virum tam ſanctum celebrant: erit profectò & ipſe quaſi ex aliis vnus. Porrò Miſſa peracta, dum Ioſephus ſacerdotalia indumenta exuit, idem Eccleſiæ Rector, ex illius humeris, velut è Sole emicantem fulgorem animaduertens, eo exterritus, conceptam animo cogitationem reuocat, & quem cæleſti teſtimonio probatum agnouit, non vulgarem; ſed eximium Dei ſeruum habere cœpit.

*Cant. 8. 5.*

*S. Bernard. ſerm. 49. in Cant.*

*Orans in aëra ſublatus conſpicitur.*

*Fulgens poſt Miſſæ celebrationem apparet.*

8 Hinc denique nona illi, ad cæleſtes viſiones, aſcenſio diuinitùs aperta fuit, in qua cùm vel per corporeas, vel imaginarias, vel tandem intellectuales rerum imagines, ſiue occulta, ſiue cæleſtia myſteria pandantur; variis Ioſephum per corporeas ſimilitudines viſionibus à Deo honeſtatum fuiſſe, probata ipſius geſta declarant: ex quibus aliqua decerpere, atque hîc inſerere haud importunum erit. Paucos adhuc Ioſephus ætate iunior in Religione annos exegerat, cùm ex Fratribus quidam, illi admodum familiaris, ſoluto mortis debito è viuis exceſſerat. Nonnullis verò poſt amici obitum diebus elapſis, cùm is poſt prandium in cellam

creſcat. Dictum cùm plerique obſeruaſſent, haud inane probarunt: tertio enim poſt illud anno, Ioannes immatura morte omnium ſpem intercepit.

16 Anno 1608. Ioſephus Romam profectus, Pantam de Maximis, nobilem Romanam, extremo morbo laborantem offendit: quam cùm verbis conſolatus eſſet; ab ea tandem diſcedens: Panta, (inquit,) ne vitæ occaſum timeas: amplior enim tibi vitæ terminus præſcribitur. Vix hæc Dei ſeruus protulerat, cùm illa ab ægritudine libera conualuit. Quo fit, vt duplex hîc Sancti Viri virtus perſpecta fuerit; vna quidem, qua prophetica luce eam perſanandam prædixit; altera, qua diuina illi virtute valetudinem contulit.

17 Per id tempus Flaminius Falconius Spoletanus, Vir illuſtris ægrotans, magno in vitæ periculo verſabatur. Quamobrem Maximilla, ipſius nurus grauiter afflicta, quo tempore Ioſephus Spoleti moras trahebat, illius præſentiam nactus, magna illi familiæ damna, quæ ex ſoceri morte futura timebat, ſummo animi dolore aperit; atque inter alia duos liberos, maſculum, nimirum, & fœminam adhuc puerulos ſibi adeſſe narrat, qui cùm illius ope deſtituendi ſint, iis maximum inde detrimentum exoriri debeat. Cui Ioſephus: Quid, Maximilla, tantoperè afflictaris? ſocerúmque velut mortuum, luges? Iam dolorem, metúmque deponito: viuet ſocer, & vſque ad B. Martini annos pertinget. Et hanc, quam geris, tuorum liberorum ſollicitudinem exue: neque enim is antè rebus humanis valedicet, quam & filio vxorem, & filiæ virum copulauerit. Res ita ad amuſſim accidit: Flaminius nanque, cùm ad octogeſimum vſque annum ſuperſtes perueniſſet, vtriuſque & pueri, & puellæ nuptias vidit.

18 Anno 1611. cùm Lælius Palla Leoniſſæ febri laboraret, à Ioſepho inuiſitur: qui, vbi ægrum ad morbi tolerantiam verbis adhortatus eſt, diutina quidem febris moleſtia vexandum; ab ea tamen ſoſpitem futurum ſignificat; verùm hæc addit: Læli, ex hac quidem ægritudine, licèt tardiùs, conualeſces: at ne incolumitati credas: ab repentino enim ſymptomate, quod in inſidiis latet, haud multò pòſt, inopinatò abripieris: ac tunc mutuo apud Deum conſpectu fruemur. His cùm multiplicem futurorum euentum prædicaſſet, certam quiſque veritatem conſequutus eſt: æger nanque cùm non niſi poſt aliquot menſes à febre incolumis emerſiſſet; quod primum vaticinij caput erat; ſecundum quoque certum accepit: nam poſteriori anno 1612. repentino morbo oppreſſus, vix ad vigeſimamquartam horam vita comite peruenit. At neque tertium dubium fuit, cùm Ioſephus hoc ipſo anno, mortalem cum immortali vitam commutauerit: quod ſupremis ille verbis ſubobſcurè annuere voluit: cùm mutuo ſe apud Deum conſpectu potituros prædixit.

19 Ægrotabat Leoniſſæ puer, Anconiæ Colandicæ filius, quæ cùm Ioſephum in vico prætereuntem videret, eum ad pueri viſitationem acceſſit. Porrò is domum ingreſſus, vix gradum conſcendit, cùm hæc ab eo vox erumpere cœpit: O quàm beatus puer! ô quàm fœlix anima, iam iam inter Angelos ſeſſura! Cúmque iam puerum in lecto iacentem cerneret, ad parentes conuerſus: O ter, (inquit,) quaterque fœlices, qui charam ſobolem, quamprimùm in cæleſti ſede, ſi non corporis, ſaltem mentis oculis fulgentem conſpicietis! Equidem ille dies, non mortis luctui; ſed natalis, ac gloriæ ipſius lætitiæ vobis conſecrandus eſt: meliores ſiquidem in Cælo parentes, meliores propinquos, optimos ibi amicos offendet, gloriæ conſocios. His cùm dictis parentes ſolatus eſſet; puer poſtridie morte ſublatus in Cælum conſcendit. Neque abſimile fuit, quod de Cariolano puero, Hieronymi Morelli filio, in proceſſu legitur: qui cùm grauiter ægrotaret, ad eum Ioſephus accedens, ſimul atque in eum oculos defixit, ad parentes conuerſus: Qualem (inquit) hunc puerum eſſe arbitramini? Angelus certè eſt, & inter Angelos quamprimùm in Cælo collocandus. Idcircò, ne vobis moleſtum ſit, veſtram hoc honore prolem inſigniri: verùm, cùm Hieronymus pater, huius filij occaſum moleſtiſſimè ferret, futura illum alterius filij, cui Ludouici nomen imponere debeat, natiuitate conſolatur: vtrunque verò de pueri prioris morte, ac poſterioris ortu vaticinium, ipſo rei exitu confirmatur.

20 Hoc modo Paulino à Leoniſſa, qui liberos optabat, cùm copioſam filiorum ſobolem prænunciaſſet; eos tamen vno, vel altero excepto, non mundo, ſed Cælo conſecrandos fore annuit; rei euentum ipſo filiorum exitu pronunciante: cùm enim is decem circiter filios ex vxore procreaſſet, iis necdũ ex infantia erũpentibus ſibi morte ereptis,

vix vnum, aut alterum ſuperſtitem accepit. Futuram hanc liberorum procreationem cùm Vir Sanctus pleriſque diuino ſpiritu prædixerit, hoc compendio perſtringere libet. Conſtantiæ Venantiæ à Leoniſſa, quæ ob ſterilitatem moleſtias à coniuge patiebatur, maſculi fœtum, quem ſequenti anno enixa eſt, prænunciat. Pueri quoque procreationem Olympiæ Attiæ, quæ nullos eatenus liberos genuerat, pollicetur; quem illa nouem menſium expleto numero à coniuge ſuſcipit. Ioſepho item Pulcino à Leoniſſa, qui fœmineam tantùm prolem ab vxore ſuſceperat, maſculi fœtum prædicat. Marcello itidem à Leoniſſa maſculum puerum, primo coniugis partu procreandum affirmat: quos ij ſibi ortos conſpexêre. Poſt hæc Hyacinthum Caſſianum à Monteregali, Ioannem Baptiſtam Petronium, & Andream Sanctutium maſculæ prolis, quam ſuo quiſque tempore ab vxoribus ſuſcepêre, præmonet. Poſtremò, Portiæ Caëtanæ, Amatricis Baroniſſæ, futurum maſculi pueri fœtum, quo poſt nouem menſes potita eſt, præſignificat.

Latinum Vrſinum, huius Portiæ virum, qui Feſcenninos mimos, ac mimas Amatricem aduocauerat, quibus caſti hominum mores in diſcrimen trahebantur, liberiùs correptum, cùm à propoſito reuocare minimè potuiſſet, futurum ei, atque Amatricis populo, qui æs illi ad huiuſmodi hominum alimenta, & ſumptum conferebat, Dei iudicium comminatur. Latino quidem, quòd in delicti pœnam magnam, tum in criminibus apud Senatũ, & Iudices eluendis, tum in ſimultatibus alendis auri vim profuſurus ſit. Amatricis verò populo, quòd tam ingenti poſt hæc ære alieno prægrauandus ſit; vt ab eo vix poſt diuturna tempora reſpirare debeat. Id vterque ſibi aduenitſſe, ſerò licèt, ingemuit: nam Latinus poſt hæc tot ab æmulis criminibus apud Regium Senatum pulſatus fuit, vt in iis abſtergendis inimicorum factione coërcenda magnam ſuorum redditu um partem conſumpſerit. Amatricis verò populus, qui hactenus ab alieno ære immunis erat, ab eo tempore eo tam obruta fuit, vt viginti millium aureorum ſumma illi in alieno ære fuerit. 21

Poſt hæc anno 1611. Laurentius Piccarus de Amatrice, cui Neapolitanus Prorex exulum in tota Aprutia, & Apulia perſequendorum munus demandauerat, cùm iis deletis, Neapolim profecturus eſſet; vt à Prorege laboris, ac officij præmium conſequeretur, re cum Ioſepho communicata; protinus Vir Dei: Laurenti, tu quidem (inquit) de præmio cogitas: Quid? ſi præmij loco ibi te vitæ pericula, & graues moleſtiæ maneant? Cui Laurentius: Id (inquit) planè incredibile. At Ioſephus: Ne incredibile (ait) id tibi perſuadeas: certam enim rei euentus eius tibi fidem adſtruet: at ne animum deſpondeas: breuis hæc tempeſtas erit; intumeſcentéſque in te fluctus celeriùs diſſoluti, ac ſedati, lætam tibi ſerenitatem parient. Neque à dicto res aliena fuit: Laurentius nanque Neapolim profectus, cùm inimicorum conſpiratione graue illi apud Proregem crimen inuſtum eſſet, quaſi clandeſtina cum proſcriptis conſilia habuiſſet; in vincula coniectus, duorum menſium ſpatio vitæ pericula, & graues ærumnas pertulit: à quibus tandem, ipſius innocentia erumpente, ereptus, ampliores apud Proregem honores adipiſcitur. 22

Poſtremò, vt pleraque alia ipſius vaticinia, ipſo rei euentu confirmata, prætercam, cùm eodem anno in Spoletano Conuentu, in quo Prouinciale Capitulum celebratum fuerat, Vir Dei à Franciſco Meuanienſi, tunc Exprouinciali, cuius anteà in ipſius officij triennio Socius fuerat, circa menſis Auguſti initium ſeparandus eſſet; his eum affatur verbis: Franciſce Pater, triennium vnà multo cum labore exegimus: verùm ſupremi adhuc nos labores manent, quibus fortiter perferendis mutua nobis ope neceſſe ſit: ex nobis enim alter infra vnius anni ſpatium vitæ curſum abſoluet: alter adhuc ſuperſtes graue vitæ incommodum eſt laturus. Alter igitur alterum ſuo apud Deum auxilio, & oratione foueat. Res quidem tunc ſubobſcurè dicta: at ipſe rei euentus, quid ea verba portenderent, declarauit: cùm enim Franciſcus in Luniani Conuentum profectus eſſet, nonnullis ibi menſibus tranſactis, in ſiccam ciſternam, quæ tunc in Clauſtro ædificabatur dilapſus, vtrunque ſibi crus confregit: Ioſephus verò in Amatricis Conuentum ſecedens, necdum expleto anno ſub menſis Februarij exordium anni 1612. extremum vitæ curſum confecit. 23

24 Hac igitur reuelationum aſcenſione abſoluta, ad vndecimam Ioſephus, Deo potiſſimùm ductore, conſcendit, quæ ex varia miraculorum virtute conſurgit: quæ cùm diuinæ omnipotentiæ opera ſint, ac velut diuina quædam teſtimonia, quibus Deus, & ſeruorum ſanctimoniam commendat, & in Sanctis ſuis mirabilem ſe præbet; in his potiſſimùm Dei gloria, & Chriſtianæ Religionis vtilitas ſpectanda ſunt: quæ enim alium finem ſibi præſtitutum habent, non miracula; ſed vel mira, vel præſtigiæ appellari debent, vt Laurentius Iuſtinianus opportunè monet, ita ſcribens: *Cùm enim aliquod miraculum fit, expedit, vt ſit à Deo, quòd ſit præexiſtentia naturæ, & ſupra eius ordinem fiat, quòd ſit euidens, & quòd ſit ad fidei roborationem, alioquin mirum, non miraculum, dici poteſt.* Verùm & illud cum Gregorio haud leuiter obſeruandum, vera miracula, etſi ex Dei ſemper virtute fluant, quandoque tamen ex Sanctorum prece; interdum verò ex poteſtate fieri: quæ enim Dei ſeruorum poſtulatione fiunt, à Deo immediatè patrantur, de quibus Saluator apud Ioannem: *Vſque modò non petiſtis quicquam in nomine meo: petite, & accipietis.* Quæ verò Sancti Dei homines abſque vlla oratione efficiunt, ea ex miraculorum dono iis collato profluunt; cuiuſmodi communia illa, in exordio Eccleſiæ, fidelium miracula fuêre, de quibus Dominus apud Marcum: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo Dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent,* &c. Ita enim ſcribit Gregorius: *Qui deuota mente Deo adhærent, cùm rerum neceſſitas expoſcit, exhibere ſigna modo vtroque ſolent: & mira quæque aliquando ex prece faciunt, aliquando ex poteſtate. Cùm enim Ioannes dicat: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, qui filij Dei ex poteſtate ſunt, quid mirum, ſi ſigna facere ex poteſtate valeant?* Id verò maximè hîc adnotandum fuit, cùm in Sancti huius Viri miraculis, quædam præuia oratione, alia abſque vlla obſecratione, ab eo facta legantur.

*Miraculorum vis, & natura expenditur.*

S. Laur. Iuſt. de caſto connub. Ver. & An.

Ioan. 16.24.

Marc. 16.17.

S. Greg. Dial. lib. 2. cap. 30.

25 Ab his igitur vt narrationem exordiar, quæ fuſis ad Deum precibus ab eo patrata fuêre, primum illud Antonini Iacobelli, Viri Dei ex ſorore nepotis occurrit, cui rabioſus canis talares alterius pedis neruos peſtifero morſu abſciderat. Hic cùm poſt varia Medicorum remedia fruſtrà tentata, morſu curationem omnem reſpuente, ad Montiſregalis Conuentum, vbi tunc Vir Dei in ea familia conſcriptus degebat, tandem appuliſſet; à Fratribus hoſpitio exceptus, tam diro cœpit vulneris dolore torqueri, vt propediem moriturus crederetur. Neque id fruſtrà: alter enim, qui ab eodem cane admorſus fuerat, ea tabe conſumptus diem ſuam iam obierat. Ioſephus intereà nepotis caſum miſeratus, aſſiduis Deum precibus pulſare, diuinámque illi clementiam exorare cœpit. Quam cùm tandem poſt Matutinas aſſequutus eſſet, feſtiuus, ac hilaris ad nepotem pergit; híſque eum dictis compellat: Antonine, quid gemis? quid formidas? bona ad te nuncia perfero: animum repete: cumprimùm cibo corpus refeceris, domum illicò remeare poteris. Antonino primùm Ioſephus viſus eſt ludere: attamen, cùm illius ſanctimoniam non ignoraret, ſpem animo concipit. Cùmque, die illuceſcente, cibi illi ad refectionem allati eſſent, vix illis deguſtatis, à peſtifera plaga ita incolumis euaſit, vt inſtauratis neruis, & conſolidato vulnere, ne cicatrix quidem in talo relicta fuerit: quare eodem tempore pedeſter domum rediit.

*Miraculorum ipſius catalogus explicatur.*

26 Quo tempore Vir Dei Aſſiſij moras trahebat, Conſtantia quædam à Leoniſſa, diuturna hydropiſi laborans, illius ſanctimoniæ fama permota, ad eum cum Flaminia fratria acceſſit: cúmque maxima illa ſiti arderet, quod commune eſt hydropicorum ſymptoma, ciſterna, quæ ante Conuentus fores patet, conſpecta, aquam à Flaminia poſtulat: quæ dum illi aquam velut pernicioſam recuſat; en Ioſephus aduentans; mutuámque Conſtantiæ, & Flaminiæ de aqua altercationem percipiens, mox ad Flaminiam: Cur, (inquit,) Conſtantiæ tam dura, ac moleſta es? Ægris, ac præſertim hydropicis aquam ſitientibus nonnihil ignoſcendum. Cúmque vrceolo aquario, qui ante ciſternam pendebat, aquam attigiſſet; vbi pauliſper orauit, & aquam benedictione proſequutus eſt, plenum vrceum Conſtantiæ porrigens: Bibe, Conſtantia, (inquit,) quouſque ſitim extinguas. Porrò Conſtantia, aqua epota, mox alnum detumeſcere, vímque morbi ita miteſcere ſenſit; vt deinceps eo nunquam afflictata fuerit.

*Hydropicam aquæ potu perſanat.*

Armellina Palla à Leoniſſa, catapultaria glande, qua alter illi pes caſu perfoſſus fuerat, grauiter ſauciata; ſpaſmo ſuperueniente, certo in vitæ diſcrimine verſabatur: 27
quo tempore Vir Dei ad eam accedens, cumprimùm ægræ cubiculum ingreſſus eſt: Armellina, (inquit,) tuo tibi in primis vulneratori ignoſcendum, & pax cum eo ineunda. Cui illa: Et ignoſco, & pacem Dei cauſa dare non abnuo. Tunc Ioſephus linteamina, quibus pes obtegebatur, ſolui, & vulnus aperiri iubet; breuíque ad Deum oratione facta, vulnus Crucis ſigno petit: ſtatímque ſpaſmus abſcedit. Cúmque veſper incumberet, Vir Dei abſcedens, ægram integræ ſalutis ſpe conſolatur. Hac ſpe cùm Armellina ſuaui tota nocte ſomno potita eſſet; manè curatum vulnus, pedem incolumem, ac plantam ita conſolidatam experitur; perinde ac ſi nullo vnquam vulnere ſaucia fuiſſet. Eodem ſanctæ Crucis ſigno, cùm Ioann. Ioſephum Petronium ad Medicorum deſperationem ægrotantem, proſequutus fuiſſet, ſtatim incolumem reddidit.

*Plurimos ægrotos ſua oratione curat.*

Vlyſſes Ioann. Baptiſtæ Petronij à Leoniſſa filius, iam aliquot annorum puer, tam 28
deſperato à Medicis morbo ægrotabat, vt velut mortuo iam funera pararentur: quo tempore Ioann. Baptiſta pater, ad Ioſephum, cuius vaticinio puerum à Deo acceperat, actutùm ſe confert; moribundíque pueri ſalutem deſperatam narrat. Cui Vir Dei: Annon (inquit) antequàm hunc à Deo natum acciperes, Bonauenturæ nomine tibi appellandum monueram? Hæc tu monita ſpernens, Vlyſſem potiùs, humano conſilio ductus, quàm Bonauenturam, quo ſeruari poterat, appellandum voluiſti: tua hæc omninò culpa eſt. Veruntamen ſi primum, quem ab vxore breui ſuſcipies, puerum Bonauenturæ nomine appellandum ſpoponderis; ſalua tibi erunt omnia. Id cùm Ioann. Baptiſta certa fide pollicitus fuiſſet: Iam (inquit) lætus domum reuertere: puerum enim ſaluum, & incolumem reperies. Id verò cùm Ioann. Baptiſtæ ipſo rei euentu certum fuiſſet, haud ſecùs, quàm præuia ſerui Dei oratione illi impetratum fuiſſe credendum eſt. Cùm enim miracula, quæ ſigno Crucis patrantur; Dei ſaltem tacitam inuocationem, quæ pars orationis eſt, ſibi coniunctam habeant, quis ea abſque oratione fieri exiſtimet?

Hoc modo etiam Borbonæ, Saluatorem quendam Marinucium, qui per quindeno- 29
rum annorum ſpatia ita inſana mente fuerat; vt vinculis eum interdum conſtringi opus eſſet, cùm obuium ſibi haberet; Cruce illius fronti manu impreſſa, ad ſanam ita mentem reuocauit, vt deinceps inter prudentes, & cordatos Viros connumeratus fuerit.

Hoc ipſo in oppido, Filaurus, Petronij Qualliæ filius, extremo cum morte agone 30
luctabatur: quo tempore pater Ioſepho extremum filij ægrotantis periculum narrans, ab eo opem implorat. Cui Vir Dei: Qualem (ait) moribundo opem adferre poſſum? Veruntamen Dei in hac proxima nobis B. Virginis Æde auxilium exquiramus, qui & mortuis vitam conferre valet. Atque hoc ipſo tempore, cùm in B. Virginis Eccleſiam, quæ Sancta Maria de Porta nuncupatur, ſeceſſiſſet; pro ægroto ad Deum preces fundit: Petronius verò, cùm poſt Sancti Viri orationem domum rediiſſet; filium, quem mortuum putabat, viuum, & incolumem è ſtrato emerſiſſe comperit.

Dum Aſculanum agrum Ioſephus, Dei verbum euangelizando, peragrat, ad Truen- 31
tum aliquando fluuium peruenit, qui cùm ex imbrium copia ita intumuiſſet, vt tranſuadari minimè poſſet; breui oratione ad Deum fuſa, pallium ſuper fluminis vndas extendit; ſimúlque cum Socio pallium calcans, fluuium traiicit.

Per id tempus vir quidam pauperculus in quodam pago ægrotans, in lecto decum- 32
bebat, quem, dum Vir Dei verbis ad patientiam hortatur; ille vini modicum expoſcit: at, cùm paupertas vinum è domo exulem egiſſet, nihil in ea vini prorſus inuentum, quo æger recrearetur: quamobrem iubet Ioſephus aquam hauriri, quam vbi ſigno Crucis benedixit, ſtatim in vina conuertit, atque ægrotanti deguſtandam propinat. Is verò cumprimùm ex ea potum ſumpſit, à febri liber incolumis euaſit; ac poſt eum plerique infirmi eandem aquam vinum factam deguſtantes, à morbis conualuêre.

In oppido Campli agri Nurſini, cùm poſt prædicationem, à muliere quadam roga-

tus, ad ægrotantem filium acceſſiſſet, morti proximum comperiens, vini paululùm poſtulat, quo illius vires inſtauret. At vinum iam diu ab ea domo exulare reſponſum: vrget tamen Vir Dei, quandámque lagenam, quæ iampridem vino vacua erat, quaſi eo plena ſit, indigitat. At mulier, tametſi eam vino carere nequaquam ignoraret; attamen, vt Sancto Viro pareat, ad lagenam pergit, quam præter ſpem optimo vino, quod non dolium; ſed diuina manus effuderat, plenam offendit. Porrò in eo Vir Dei cùm panis buccellam intinxiſſet, moribundo deguſtandam præbet; qua ſumpta, ſtatim in vitam, atque incolumitatem reſpirat. Hoc modo in oppido Campenſi & Iacobæ cuiuſdam filium ægrotantem ad ſalutem reuocat; doliúmque iampridem vino vacuum, ſiccum, abſque epiſtomio eleuatum, vtrunque ſua oratione plenum præſtat. *Vinũ è Cælo impetrat, eóque moribũdum perſanat.*

33 Ioſepho Santucio, Andreæ filio ſupremùm ægrotanti, iam funera parabantur, quo tempore ad eum Vir Dei accedens, vbi aliquantiſper orauit, eúmque ſigno Crucis benedixit, certam illi ſalutem pollicetur, quam poſtridie recuperata valetudine, aſſequitur.

34 Leoniſſæ cùm Fabritij Pulcini agrum, tritico ſatum, vermes deuaſtarent, is Virum Dei rogat, vt ſua oratione vermes ex agro expellat: qui cùm ſe in agrum contuliſſet, ſimul atque vermibus diſceſſum imperauit, ij præcepto audito, præter vermium naturam, vt celeriùs imperanti obediant, quaſi alas aſſumunt; vnáque ſe ſe in aëra attollentes, inde vno volatu ſe abripiunt. Hoc pacto tauro feroci tritici agrum depaſcenti, ad quem armentarius propiùs accedere non audebat, cùm in Nomine Domini diſceſſum præcepiſſet; eum ſolo vocis præcepto Crucis ſigno adiuncto, ab agro expulit.

35 Idem in oppido S. Mariæ à Nurſia Dei verbum quadrageſimali tempore proponens: cùm ſemiquadrans modij fabarum ab Eccleſiæ Rectore accepiſſet; ſua illud ita oratione multiplicauit, vt ſibi, ac pauperum multitudini toto illo tempore alendæ ſatis fuerit. Verùm, quod maiori admiratione dignum, eadem fabarum menſura, poſt quadragenarium ieiunium, integra conſpicitur.

36 Dominicus Raucus à Leoniſſa, Medicus, qui hydropiſi incurabili laborabat, cùm Ioſephi apud Deum opem, ad morbi curationem imploraſſet, ſuam ille apud Deum operam pollicetur: ac tertio pòſt die conualeſcens, breui perfectam à morbo incolumitatem adipiſcitur.

37 Dei verbum Ioſephus Otricoli aliquando prædicabat, cùm audita familiæ cuiuſdam inopia, ad eam ſubleuandam, in ipſius domus hortulo, qui quindenorum pedum menſuram non excedebat, cicera ſeminat: quæ ita eo orante excreſcunt, vt vigintiquatuor horarum ſpatio fructum germinauerint: ad cicera verò cùm tota domus familia, quæ filiorum præſertim fœcunda erat, quotidie conflueret; ea non modò minui, ſed ita augeri videbantur, vt quò plura colligebantur, eò copioſiora fierent: quo non parum pauperculæ familiæ egeſtati proſpectum fuit. *Cicera pauperibus ſata ſua oratione multiplicat.*

Trebæ in Latio, Martha quædam, decem annorum puella, quæ apud Moniales S. Luciæ educabatur, incurabili hydropiſi laborans, grauiſſimis inſuper doloribus affictabatur, quo tempore Vir Dei ad Sacra facienda, eò accedit. Moniales verò, quæ plurima in Virum Dei, cuius ſanctitatem nouerant, deuotione ferebantur, eundem per internuncium rogant, vt hydropicam puellam manu contingat, ac ſigno Crucis benedicat. Abnuit Ioſephus; ea præſertim ratione, quòd nullum ſibi cum iis, quæ in Monaſterio degunt, negotium eſſe debeat. At cùm illæ ab eo ſaltem orationem pro puella expoſcerent, is internuncio: Quid (inquit) Moniales vlteriùs petunt, cùm puella à morbo libera, Dei clementia iam incolumitate fruatur? Lætæ igitur Moniales, cùm ad puellam rediiſſent; perfectè incolumem reperiunt, ſola corporis imbecillitate, in morbi ſignum manente, quæ breui inſtaurata fuit.

38 Hyacinthus Caſſianus à Monteregali, in Vmbriæ S. Franciſci Prouincia, vir in Ordinem beneficus, tam dirè anno 1604. colico dolore torquebatur, vt ab eo ſe perimendum planè dubitaret; quo tempore Ioſephus in Montiſregalis Monaſterium aduentans, à Fratribus Hyacinthi periculum audit: quem cùm ſingulari beneuolentia proſequeretur,

tur, protinus ad orationem ſe confert. Eodem tempore Hyacinthus leui ſomno correptus, Ioſephum ſibi adeſſe conſpicit: qui cùm ſua Crucifixi imagine doloris locum contigiſſet; primò quidem æger maiori dolore correptus exclamat: Quid agis, Ioſeph? dolorem auges. Tum verò dolor ita cœpit miteſcere; vt eo ſe liberum exiſtimaret. Mirabantur domeſtici, quòd æger cum Ioſepho colloqui videretur; ægrúmque interrogantes: Quid (inquiunt) Ioſephum commemoras? Nullus hîc Ioſephus adeſt. Quibus ille: Erratis, (ait:) hic enim modò Ioſephus à Leoniſſa Capucinus adfuit, qui cùm doloris locum Cruce, quam geſtabat, contigiſſet; me ad eas voces prouocauit: nunc verò mihi à dolore reſpiraſſe videor. Hæc porrò cùm noctu accidiſſent, manè, die illuceſcente, Ioſephus Hyaçinthi domus oſtium pulſat; & ad illum accedens, amicum piis verbis conſolatur. Cui Hyacinthus: Plurimùm tibi, ô Ioſeph, pro nocturna viſitatione debeo; ex qua integra ferè incolumitas eluxit. At Ioſeph: Non mihi, (ait;) ſed Deo, quod accepiſti, debes: veruntamen animum auge, ac diuinis auxiliis confide, integram accipies. Iam Sacra facturus ad B. Virginis, quæ de Planitie nuncupatur, Ædes pergo, vt pro integra tua ſalute orem. Tum verò ſacris ibi Myſteriis peractis, cùm ad ægrum rediiſſet: Iam (inquit) Deo, ac B. Virgini gratias refer; quorum ope iam integram es incolumitatem aſſequutus: móxque perfectè à dolore conualuit.

Quadrageſimali tempore, quo ſeruus Dei Ioſephus Concionator fuit in caſtro Campi, Spoletanæ diœceſis, febri hectica, & ſuppuratione, ſeu apoſtemate laborabat Antonius, Ioannis Mariæ Depincti filius, annum agens ſupra duodecimum: at tali pacto angebatur, vt mortis limen quaſi pertingens, non alio, quàm muliebri lacte vitam duceret. Quod cùm mater, Iacoba dicta, conſpiceret, filij ſalutem deſperans, opem diuinam ſibi duntaxat implorandam decreuit. Cùm ergo audiret, caſtri ſui Concionatorem eſſe Virum ita ſanctitate, & charitate inſignitũ, vt quicquid orando expoſceret, à Deo facillimè obtineret, ad illum confugere excogitauit, ſibi animo ducens, quòd ſi Pater domum ſuam petiiſſet, filium morti proximum intuendo, illius profectò miſertus fuiſſet. Id animo perpendens, fidei ſtimulo impulſa, ad templum D. Andreæ ſacrum ſe contulit; eo, inquam, tempore, quo Pater ſacri verbi finem fecerat, & ipſius muneris concionandi cauſa ad vicina oppida properare decreuerat. Efficaciter tum exorauit, vt ad ſuam domum filio in agone contendenti auxiliaturus accederet. Ioſephus cùm vicinis oppidis ſe verbum Dei allaturum promiſiſſet, feſtinationis cauſam afferens, ſui ipſius excuſationem oranti præbuit, quam cùm mulier ferre non poſſet, Finauram quandam, Capucinorum Familiæ fautricem, tum ibidem exiſtentem orauit, vt ſuis precibus Concionatorem ad gratiam conferendam impelleret. Pia mulier P. Ioſephum conueniens, dixit, orantem mulierem eſſe viduam omnium maximè egenam, cui elapſo triennio vir miſerè necatus fuerat, à quo cùm non aliud, quàm æs alienum retuliſſet, cuncta bona maximo onere ſe leuandi ſtudio creditoribus iam tribuiſſe, adeò vt victus ſibi ſuppeditandi cauſa, eleemoſynas petere cogeretur, & quod boni ſupererat, eſſe filium ægrotantem, quem vt in vita ſeruaret, non alio poterat quàm ſui ipſius lacte nutrire. Et cùm illicò ſit moriturus, te, Pater, etiam atque etiam rogo, vt ad illum viſendum te conferas. Quibus auditis, Pater miſericordia motus, ægroti domum adiuit, vbi infirmo vita propemodum functo, perbreuem orationem habuit: qua expleta, ægroti pectus ſanctiſſimo Crucis ſigno muniuit: quibus peractis ſtatim apoſtematis ſaniem latẽtem euomit, & Ioſephus ad matrem conuerſus dixit: Præbe mihi vini parum, & panis, quo mero infuſo, illum valeam reſtaurare. Cui mater reſpondit: O Pater, dolium, quod viuente meo viro plenum eſſe ſolebat, modò prorſus exhauſtum manet: & iam annus præteriit, cùm epiſtomio, & ligneis circulis vacans exiſtit; nec domi eſt mihi, vnde reperiam. At ſi meus filius vini potum libare poſſet, à vicinis expeterem. Pater tali pacto reſpondit: Deus ipſe prouidebit. Inſpice igitur in vaſe illo ſupra menſa expoſito. Cui iterum mulier: Vas illud vino omninò caret. Cui Pater denuò: Inſpice: nam Deus parabit. Ipſáque Patri reſpondit: Vas illud mihi eſt vſui hyemali tempore ad aquam calefaciendam; & ideò fumo, & nigredine eſt deturpatum. At teſtor Deum, vinum in ipſo non reperiri. Ad hæc Pater reſponſum retulit: Inſpice, quæſo, & panem vino madefactum infirmo tradere ne dedigneris: Deus enim

*Dolium vino penitus exhauſtum, plenum reperitur.*

39

opitulabitur. Quibus dictis, ab illa diſceſſit. At vix domo egreſſus fuit, cùm mulier agnouit, filium è vita migrantem, ac ſi perfecta valetudine frueretur, per lectulum ſe dimouere. Ex quo non parum admirationis eliciens, etiam in vaſe vinum ſe reperire autumauit, & diuinam pietatem Ioſephi meritis ſibi præſtò futuram, dum vas prædictum vino redundare perſpexit; quo cum pane mixto, vt Dei famulus imperauerat, filium reſtaurauit, & exinde ægrotus perfectam ſanitatem, ac vires reſumendo è lectulo diſſiliuit, & cùm pedibus ſtare, & firmiter ſe valere ſenſiſſet, domo exultans egredi voluit. Vnde mater maiori admiratione affecta Ioſephum apud omnes commendans, & ſuæ domus præſidium prædicans, animo ſibi duxit, quòd, ſicuti menſæ vaſculum eius precibus vino plenum repererat, dolium quoque in cella vinaria eodem liquore plenum inuentura eſſet: quocirca ambo deſcendentes, dolium ipſum loco firmè collocatum cum epiſtomio, quo antè vacauerat, & vino plenum ſenſère; de quo, & Deum laudare, & B. Ioſephum de tanto miraculo vbique locorum celebrare non deſiuerunt. Atque hæc de huius Dei ſerui miraculis, oratione patratis ſufficiant. Plura adhuc ſuperſunt miracula explicanda, quæ abſque oratione ab eo in Proceſſu edita leguntur.

40 In his Lucretia quædam vidua à Leoniſſa iſchidiaco dolore per viginti, & ampliùs annorum ſpatium dirè laborauerat, quæ cùm in Ioſephum aliquando cum Angela ſorore in vico colloquentem incidiſſet; Angela, quæ diuturnam Lucretiæ ægritudinem non ignorabat, ad fratrem conuerſa ait: Ioſeph frater, mulier hæc iandiu coxendice abſque remedio affligitur: quæſo te, vt pro illa Deum ores, Sanctúmque Ioannis Euangelium ſuper eam legas. Cui Ioſephus: Mihi modò per otium non licet: verùm Angelum Cuſtodem accipiet, cuius præſentia, ac virtute perſanabitur. Vix hæc affatus fuerat, cùm Lucretia à diutino morbo libera cæleſte præſidium ſenſit.

*Pleraque abſque oratione miracula edit.*

41 Anno 1610. cùm Venafri Principiſſa, ex Perettorum familia, quæ Capucinorum Ordinem plurima olim deuotione proſequuta fuit, diutina ægritudine teneretur: poſt omnia remedia fruſtrà tentata, Ioſephum tandem, de cuius ſanctimonia multa fama perferente audierat, Romam aduocandum curat: cuius præſentiam nacta, cùm ſe plurimùm illius orationi commendaſſet, vbi illam Vir Dei piis verbis conſolatus eſt, æream Chriſti crucifixi imaginem, quam ſecum geſtabat, ei deoſculandam præbet. Quo factum eſt; vt ſimul cum Crucifixi oſculo ea integram incolumitatem conſequuta fuerit. Hoc ipſo anno Dei verbum Otricoli diſſeminans, cùm pauperem quendam lepra conſperſum ſuis manibus lauiſſet; eodem tempore à lepra curat: pauper verò à lepra mundatus, cùm nullo deinceps loco appareret: num Angelus, an Chriſtus ſub pauperis forma fuerit incertum reliquit.

*Perettam Principiſſam Crucifixi oſculo incolumem reddit.*

42 Anno verò 1611. dum Vir Dei in oppido S. Iacobi à Porta, diuinæ prædicationi incumbit, in alium pagum Dei verbum diſſeminaturus proficiſcebatur, cùm fluuium Marroiam aquis tumidum in itinere offendens, aliquantiſper in ripa ſubſiſtit; donec viri quidam equis inſidentes ab eo recederent. Tantæ quippe Vir Dei honeſtatis erat, vt ne crura quidem, alterius in oculis, detegere auderet. Equum illi Viro Dei offerre, atque impenſiùs rogare, vt eo ad fluuium traiiciendum vtatur: reluctari ille, ac penitùs recuſare. Tandem quo incedebat, habitu demiſſo, flumen ingreditur, progreditur, fluminis vndas calcat, ſicco pede traiicit; atque ad alteram fluuij ripam, ne ſandaliis quidem aqua madidis peruenit.

43 His & cæci cuiuſdam illuminatio accedat. Cùm enim Dei verbum aliquandò in quodam Leoniſſæ pago diſſeminaſſet; poſt ſermonem è ſuggeſtu deſcendens, in mulierem quandam incidit, quæ cæcum puerum manu ducens, dum eum illius precibus commendat, cæcus puer Ioſephi habitum manu apprehendens, viſum confeſtim recipit: quare cùm repentè huius miraculi rumor in populo diffunderetur; is ſe ſe è medio porripiens, inde velociùs abſcedit.

44 Plerunque is rerum multiplicationem, quæ ad potiſſimum miraculorum genus ſpectat, abſque oratione moliri conſueuerat: quo fiebat, vt ſæpè panis, ac fabæ, quas is pauperibus paſſim erogare ſolebat, ac præſertim Otriculi, dum verbum Dei prædicat, inter illius manus diuina virtute ita multiplicarentur: vt quæ vix

*Panem, ac fabas pro pauperibus multiplicat.*

paucis

paucis ſatis eſſe poterant, multis ad eſum ſufficerent: ac poſt eſum ſuperfluerent.

*In maxima annonæ caritate ex exigua farina, ipſius benedictione, plurimi panes conficiuntur.*

Anno ſanctiſſimi Iubilæi 1600. in terra Otricoli, & circa finitimos tam dira grando,
cæli ſæuitia regionem totam inuaſit, vt prorſus terræ fructus, & ſegetes deuaſtaue- 45
rit: & cùm eo tempore Orbis totius Chriſtiani populi, ſummæ Veniæ cauſa, vndequaque confluerent; tanta annonæ caritas poſtero anno 1601. ſollicitauit, vt non ſolùm plerique premerentur; verùm & multi inopia necarentur, & fame. Seruus Dei Ioſephus, qui tunc temporis ibi quadrageſimali concionandi munere fungebatur, iſta perſpiciens, pietate omnes, & miſeratione cõplectebatur: & licèt ſedulò nonnullas familias pudentes, alióſque multos Otricoli pauperes adiuuare niteretur; ab hoc pietatis opere non quieſcens; in quartam Dominicam Quadrageſimæ, in memoriam miraculi, quo Chriſtus Dominus quinque panibus, ac duobus piſcibus turbã illam tam numeroſam expleuit, conuiuiũ aliud ſpiritualibus, ac corporalibus epulis mixtum fidelibus populis parandum conſtituit. Qua de re Dominica tertia, poſtquàm omnes inter concionandum hortatus fuit, vt ſequenti Dominica ſinguli proximum templum D. Mariæ Patrum S. Onufrij plenariam peccatorum Veniam conſequendi ſtudio peterent, ſolenni inuitamento, vt quam habere debebat illius diei concionẽ, de dicto miraculo conficiendam, audirent, placidè commonefecit, volens, habita concione, in miraculi ipſius memoriam panẽ benedicere, & illum cunctis, tam egenis, quàm diuitibus ſic benedictum præbere. Expleta concione, rogauit D. Attiliam Martinam, tunc ſanctiſſimi Societatis Roſarij Præfectam, vt Dei, ac Deiparæ Protectricis amore oſtiatim farinam quæreret, & ex ipſa panẽ conficeret: nam ſequẽti Dominica illũ benedicere, & cunctis diſtribuere decreuerat. Cui mulier: Paternitas veſtra magnũ fecit inuitamentum: nam, cùm de more ſingulis annis huc gentes innumeræ, Indulgẽtiæ cauſa accedant, & hoc anno tanta penuria immineat; tam frequentes populi, quibus panẽ pollicita fuit, confluent, vt non parum farinæ, ſed multũ frumenti, vt modicum quis accipiat, neceſſe foret. Inter nos autem, tribus, aut quatuor exceptis familiis, omnes & frumento, & farina carent, panem quotidie in victũ ementes: idcircò & ſententiam mutet, & ab incepto deſiſtat, oportet. Cui Ioſephus: Perge, quæſo, & farinam ob Dei, & Sanctiſſimæ Genitricis amorem nobis certè annuentium quæritare ne graueris. At mulier, cui omnium extrema penuria ſatis, ſupérque patebat, cùm farinam inuenire impoſſibile exiſtimaret, licèt multis in reſponſionem obiectis, ſe iterum excuſauit. Verùm Concionatori obſequendi ſtudio, vnà cum Iacoba Vetutia, dictæ Societatis miniſtra, vt farinam reperirent, totam terram circuierunt; & licèt in quæritando, hoc pietatis opus à Concionatore demandatum eſſe dicerent, & omnem diligentiam vnanimes adhiberent, vix paruam conchulam, quæ farinæ ad ſummum duodecim, aut quindecim libras capiebat, inuenire potuerunt, quam Ioſepho exhibentes dixerunt: Pater, inſpice, quæſo, quid farinæ reperierimus; ideò cùm amplius reperiri non poſſit, & acquieſcere, & opus infectum deſerere decet. Ad hæc hilaris Pater reſpondit: Ite, & ex modica iſta farina panes cõficite: Deus enim, & Sanctiſſima Mater egeſtati proſpicient. Cui mulier: Pater, ne iubeas, vt parua ex iſta materia pro tanto populo panem conficiam: certè enim hoc ipſa tentare non audeo: ſi tamen in animo eſt, vt tibi obtemperem, ex mea farina, quam in iſta reponam, minores, quot potero, exiguos panes conficiam. Sed, quid inter tantos? Crede mihi, Pater, magis tuæ exiſtimationi congrueret, vlteriùs non progredi. Quod audiens Dei ſeruus, diuino Numine afflatus ſuaſit, ne alius farinæ portionem aliquam repertæ adderet; cùm ſciret, illam non Dei amore; ſed humanis reſpectibus, & proprij honoris cauſa præbere: & ſi vellet obſequi, ex illa tantùm modica, in eleemoſynam tradita, optatum panem conflaret: nam Deus, eiúſque Genitrix alia paraſſent. Cùm mulier ampliùs obſtare non poſſet, panem ſe ilicò facturam promiſit. At ſtatim difficultatem commemorans à ſententia deceſſit, & per ſuum virum iteratis precibus Ioſephum admonuit, ne opus hoc inceptaret: at ſi ab eo deduci non poſſet, ſaltem vt de ſua farina ſe maſſam augere permitteret. Et quia Ioſephus, vt maximè conſtans idem ſemper reſpondit; mulier tandem, ne nimiam moleſtiam inferret, farinæ modicum excuſſit, quæ expurgata, tam modica profectò erat, vt in arcula vix cerni poſſet: fermentum immiſit; & poſteà ex aqua farinam ſubiicere paulatim cœpit, quæ talem in modum ſibi creſcere

præ

præ manibus videbatur, vt illam ampliùs tractare non poſſet: ex quo magno ſtupore correpta, ac ſuæ incredulitatis conſcia, altis gemitibus plorare incepit. Quod vir eius audiens, ad ploratum cucurrit: cuius audita cauſa, vxori hæc verba fecit: Ne verearis: nam & ipſe in opere auxilium præſtabo. Et vnà cum vxore totus alacris farinam iam conglobatam dimouere, ac premere cœpit. At iterum tam breui aucta fuit, vt nec ipſi ampliùs eam dimouere poſſent. Cuius rei cauſa, & ipſe deplorãs deuotis lacrymis vtrinque commiſtis coagulatam farinam madefaciebant. Et quia domi nullus alius morabatur, qui in opere auxiliaretur, vicinas aliquas vocare decreuerũt. Ab vxore igitur viciniori vocata, quæ ex lacrymabili voce infortuniũ aliquod accidiſſe credebat, celerrimè illam adiuit, & fletus inſpecta cauſa, validè cum ipſis farinæ ſubiectum globum permouere contendit. At cùm magis, magiſque ipſis verè conſpicientibus creſceret, nec addito auxilio tractari poſſet, ſuperiùs appellatam Iacobam, & Iuſtinam Pucciam accerſire cogitarunt, quarum ope ingenti animi propenſione, & lacrymis opus ad exitum redactum fuit. In quo præter alia, hoc præcipuum admiratione dignum narratur, quòd furnus, qui trecentas, & vltrà farinæ libras excipere ſolebat, panes huiuſmodi nequaquam excepit: nam, quod ex prima clibani calefactione ſuperfuit, ſecunda coquere opus fuit. Hoc totum cùm tot mulierum teſtificatione probaretur, breui tempore, tum finitimis, tum exteris miraculũ fuit exploratum; adeò vt fama vociferãte, aduentantem Dominicam, vt miraculoſi panis particulam referrent, maximoperè cuncti exoptarent. Ad diem dictam gentes innumeræ Otricoli conſtiterunt. Expleta prædicatione Ioſephus allatũ panem benedixit, & liberaliter vnà cum Archipreſbytero, & aliis porrigẽtibus, diſtribuere cœpit. Et quanuis cunctis, tam diuitibus, quàm pauperibus; tam cõciuibus, quàm extraneis; tam paruulis, quàm adultis bis, atque iterum, & deuotionis, & penuriæ cauſa accedentibus; & quatuor, & octo panes liberaliſſimè traderentur; panis tamen inter tot tradẽtium manus ſuperfuit, quo prædicta Attilia conſanguineos, & amicos poſteà exhilarauit. Sicut & Ioſephus pauperum familiis ſubuenit, & vſque ad præſentem diem illum, Reliquiæ loco, deuotiſſimè ſeruant, cùm in morbis diuinam propè virtutem ſæpiſſimè experti fuerint. Deuota mulier Attilia in perpetuam miraculi huiuſce memoriam, & ſuæ in Beatum Ioſephum deuotionis argumentum, teſtamento legauit prædium, & domum, vt perpetuò ipſius redditibus ſingulis annis prædicto Quadrageſimæ die pauperibus diſtribuendus panis cumulus conficiatur. Quod ſemper factum fuit, & quotannis ſingulari deuotione fit, vbi Beato Ioſepho, cuius meritis tantum opus adſcribitur, deuotiſſimas gratias agunt.

46 Ipſius patris Ioſephi meritis eadem panis multiplicatio facta fuit in terra Borbonij, Reatinæ Diœceſis, anno 1608. quò cùm Pater, prædicationis cauſa, ſe contuliſſet, totum populum ingenti penuria exagitatum inuenit: quocirca conterraneos ditiores edoctus, ipſe cunctos exoratum petiit, vt egenis proximis opem afferrent: & cùm ab ipſis frumenti cumulum cum dimidio tantùm reciperet, quod Romana menſura octoginta, vel centum librarum pondere extabat; panem ex illo conficiendum iuſſit, & in quartam Quadrageſimæ Dominicam fideles omnes audientes, vt de ipſo die concionem habendam audituri præſtò eſſent, dicens, poſt Concionem velle panem benedicere, & in miraculi ipſa die à Chriſto Domino perpetrati memoriam benedictum præbere: & quia Concionatoris inuitamentum cunctis illicò innotuit, tum deuotione, tum ſumma egeſtate cogente, ferè innumeri conuenerunt. Habita Concione, mulieres illæ, quæ panem confecerant, caniſtra duo in Eccleſiam deportauerunt. Pius Ioſephus illum benedixit, & ſingulis ſex, octo, & duodecim panes, ſex vnciis quolibet conſtante, diſtribuit. Quibus cognitis, ſtupore omnes affecti fuerunt: nam certè ſibi ſuadebant, etſi quilibet vnum tantùm acciperet, tertiæ vix gentis aduectæ parti haud poſſe ſufficere. Quocirca Ieremias Quaglia ad Dei ſeruum conuerſus dixit: Quid inter tantos? Paternitas veſtra modum faciat in diſpenſando. Nónne cernit, quotquot hominum hîc expectant? Cui feruidus charitate Pater: Ne dubites: nam Deus proſpiciet. Et maiori quàm fecerat liberalitate diſtribuens, ſicuti ipſe plenis manibus tradere non deſinebat; ita & panis ad tradendum haud deficiebat: qua de re omnes admiratione afficiebantur; cùm panem nunquam diminui euidenter agnoſcerent. Concionatoris Socius, Archipreſbyter, aliique Sacerdotes, & Laici panis multiplicitatem videntes, & ipſi cœperunt, nonnullis octo, nonnullis verò decem, & duodecim liberaliſſimè panes præbere: & cùm fama eſſet, dictum panem diſpenſatione non minui, bis, atque iterum

*Innumerum ferè populum ex duobus panũ ab ipſo benedictorum caniſtris reficit, & implet.*

pauperes, æquè ac diuites panes recipere non deſinebant: tamen, cùm nec tanta populi frequentia minuerentur, cùm per tempus diſtributio non ampliùs liceret, Archipreſbytero, aliiſque probantibus factum fuit, vt poſt prandium ad proxima rura, pauperúmque domos, quod ſupererat, deportaretur. Quo facto, licèt Borbonij terra quadringentas familias contineat, & ipſarum nulla foret, quæ hoc pane ſe non reficeret; ſexaginta tamen panes ſuperfuerunt, qui in patris Ioſephi Concionantis domicilium à Socio in futurum diſtribuendi delati fuerunt. Cæterùm pius Pater pane ex ipſo voluit, vt quotidie mane, tam pro ſui, quàm Socij refectione ſumeretur buccella, quæ deuotiſſimè ab vtroque comedebatur; & octo, & plurimorum dierum ſpatio in ſingulos dies, cunctis petentibus, necnon domi pietatis cauſa illum ſeruaturis humaniſſimè tribuebant; quemadmodum eouſque ſeruatur, nulla parte corruptus, ita vt ariditate, ac duritie amota, recens haberetur. Quod Ioſephi meritis acceptum omne refertur.

*Zelus ipſius pro Eccleſiarum honore declaratur.*

Quanto verò zelo Sanctus hic vir zelatus eſſet pro Domo Domini, vel ex hoc exemplo manifeſtum eſt. 47 Cùm ſemel Leoniſſæ Conuentum repetens ante templum Imaginem nuncupatum, in campeſtri regione ſitum, ſeruus Dei Ioſephus tranſiret, venerationis cauſa cum ſocio in templi limine genuflectens, non parum perturbatus inſpexit, quòd intra templum milium, ſegetis ſpecies, binis bobus triturabatur. Diuino amore flagrans, ad Franciſcam, Annuntij Laureti vxorem, boum dominam, ibíque morantem conuerſus, eam acriter increpauit, & parui cultus religionis reprehendens diuinæ iuſtitiæ vltionem minatus fuit. Mulier ſuæ culpæ excuſationem afferens, ob imminentes pluuias templum petere, ibíque opus illud patrare fuiſſe coactam aiebat: at Ioſephus magis, magíſque cæleſti ardore inflammatus reſpondit: Quid ſit euenturum, videbimus. Et cum Socio diſceſſit. At parum ipſo diſtante, triturantium boum vnus ante altare Deiparæ Virgini ſacratum inopinanter occubuit; & cùm totis neruis contenderent illum erigere, vt viderent, ſi vitæ ſignum afferret; illum reuerà mortuum eſſe agnouerunt. Quocirca mulieres flere cœperunt: & cùm aliqui eò confluentes bouem mortuum omninò affirmarent, Franciſca ploratus ingeminans, è templo diſceſſit, & Ioſephum conueniendi ſtudio, celeriter viæ ſe commiſit: quem propè Capucinorum Conuentum aſſecuta, preces humiles effundens, & de bouis morte Ioſephum certiorem faciens, ſupplex eum exorauit, vt ſuæ paupertatis miſertus in vitam animal reuocaret.

*Bouem mortuum in vitam reuocat.*

At Ioſepho minimè exaudiente, ipſa precibus tandiu contendit, & lacrymis, vt tandem ſuo Socio, loci illius Præfecto intercedente, poſtulata exaudiret, & ad templum reuerſus, bouem iam pelle denudandum, extra templum inuenit, necnon dictæ Franciſcæ filiasfamiliæ damnum plorantes intuendo dixit: Nónne hoc omne ſignificaui? nónne id totum præuidi? His dictis, Dei famulus prope bouem flexis genibus ſe inclinauit, & poſt illum omnes adſtantes, quibus vt Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam deuotè proferrent, imponens, & manu, & Cruce, quam ſecum geſtabat, mortuum bouem conſignauit, qui iuſſus ſtatim reſurgere, illicò reſurgendo ſtetit, & ſupra decem annos poſteà incolumis vitam traduxit. Beatus Ioſephus ſe ad circunſtantes conuertens admonuit, vt ex ipſo exemplo templa, & loca ſacra, quæ ſummæ maieſtatis domicilia, non beſtiarum ſunt receptacula, & colere, & venerari diſcerent. Sic omnes curis leuatos deſerens, iter inſtitutum repetiit. Quod fuit in cauſa, vt loca ſacra ſummo in honore habeantur.

His, ac quamplurimis aliis, quæ breuitatis ſtudio prætermittuntur, cùm Deus ſeruum 48
ſuum miraculis illuſtraſſet; eximiáque vitæ ſanctimonia ita ſe apud omnes clarum præſtitiſſet, vt vbique Ioſephi nomen, ac ſanctitas peruulgaretur; gloriæ tandem corona illuſtriorem redditurus, pleriſque eum reuelationibus futuri obitus præmonet: quem cùm Franciſco à Meuania (vt ſuperiùs dixi) Spoleti ſubobſcurè indicaſſet; clariùs deinde, cùm Amatricem proficiſceretur, pleriſque ſibi familiaribus aperuit. Leoniſſa nanque multis comitantibus per iactum lapidis digreſſus, cùm vultum ad patrium, ac natale oppidum extremum illi valedicturus conuertiſſet; his illud verbis alloquitur: Iam, (inquit,) ô dulcis Patria, abs te ſupremùm digredior: neque vlla mutuo aſpectu nobis aliquando fruendi ſpes relicta eſt: breuis enim mihi vitæ curſus peragendus ſupereſt. Stat præ foribus extrema dies, quæ me celeriùs ad ſepulcrum vocat. Iam æternum vale: benedicátque tibi Dominus benedictionibus cæli deſuper: det tibi de rore cæli, & de

*Obitũ ſuum pleriſque proximum prædicit.*

pinguedine

pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini: abundareque te faciat omnibus bonis; mala extinguat, odia diſſipet, ſimultates ſepeliat, pacem in medio tui ſtatuat. Ipſe autem Dominus pacis det tibi pacem ſempiternam. His haud ſine lacrymis prolatis, familiares, qui eum eouſque comitati fuerant, amplexatus, eos pacis oſculo dimittit.

49 Hinc itaque cùm ad Montiſregalis Conuentum, qui medius interiacet, cum Socio appuliſſet; Leoniſſani, qui celerem Ioſephi obitum, ab his, qui illum comitati fuerant, maturè didicerant, ad eum nuncios mittunt, qui illi ad patriam reditum totius oppidi nomine perſuadeant. Quibus ille cùm obedientiam ſibi patriæ anteferendam reſpondiſſet, cœptum, Amatricem versùs, iter proſequitur. Amatricis eo tempore Conuentum Franciſcus à Leoniſſa moderabatur: cui cùm Ioſephus ſingulari neceſſitudinis vinculo coniunctus eſſet, ſimul atque eò peruenit, Guardiani ſeſe pedibus proſternens, his eum verbis affatur: Franciſce Pater, id ego iampridem à Deo obnixè poſtulaui, vt cumprimùm extrema dies præſtitutum mihi vitæ curſum interciperet, id te præſente fieret: quem, vt ſummo ſemper honore, ac beneuolentia proſequutus ſum; ita me piis tuis officiis adiuuandum ſpero. Iam ſummas, atque immortales Deo meo gratias ago, qui me, & optatis frui, & ad vltimam vitæ metam celeriùs properantem, tua præſentia ſolari voluit. Quapropter omnem meiipſius ſollicitudinem exuens, animæ, corporis, eorúmque omnium, quæ ad me ſpectant, ſtudium, ac curam tibi integram committo. Cui cùm Franciſcus reſponderet, nihil eiuſmodi illi hactenus formidandum eſſe; cùm longiori adhuc per aliquot annos vitæ vſura frui debeat. His ille: Non anni, (inquit;) ſed menſes, & quidem pauci mihi ad vitæ finem præſcribuntur: hæc mihi vitæ meta conſtituta. Ne, quæſo, Pater, ne melioris vitæ ſpem, ſub falſa huius pollicitatione fallas: neque enim tanta mortalis huius vitæ cupiditate afficior, vt ea expoliari metuam: neque inuitus, tametſi nullius mihi boni conſcius abeo.

50 Poſt hæc diarrhœa correptus ægrotare cœpit: qua per quatuor circiter menſium ſpatium, nimirum, à menſe Septembri, quo Amatricem appulerat, vſque ad ſacrum Sanctorum Innocentium diem vexatus; haud tamen eo tempore, præ ſumma, qua in ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ferebatur, Religione à Sacrorum celebratione vnquam abſtinuit: morbo tamen ex ſuperueniente febri ingraueſcente; ac propterea cancro illi inter genitalia exorto; cùm neque Sacra facere, nec ſacris Myſteriis intereſſe valeret; id tamen à Superiore impetrat, vt quotidie ſacro Domini Corpore reficeretur: atque vt laudatam à Chriſto Centurionis fidem, & humilitatem ſectaretur, qui ſe Dominum tecto ſuo recipere indignum iudicabat; haud abſimili humilitate, ac reuerentia ductus, allatam ſibi à Sacerdote ſacram Euchariſtiam, non intra cellæ tectum; ſed in ipſo cellæ veſtibulo genuflexus ſuſcipere voluit: vt vtroque, & myſtico, & litterali ſenſu, Domino obteſtari poſſet: *Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum.* *Graui carcinomatis morbo afflictatur.*

51 Ab eo itaque tempore cùm tam grauiter ſe habere cœpiſſet, vt diro vndique corporis dolore premeretur; tunc maximè illius patientiæ virtus enituit: neque enim vlla vnquam lamentationis, aut luctus; ſed diuinæ tantùm laudis vox ex ipſius ore toto eo tempore audita: ardens quippe in animo charitas, qua in omnium rerum, licèt duriſſimarum, tolerantiam ferebatur, carnis dolorem comprimebat. Morbo igitur in dies ingraueſcente, cùm extremum ſibi diem imminere non ignoraret; generali totius vitæ peccatorum confeſſione animam expiat: quam ex Sacerdotis, qui eam exceperat, dicto, tam inculpatam duxerat; vt eam nullius vnquam mortiferæ culpæ ſorde labefactaſſet. Tum ſacro Domini Corpore, tanquàm Viatico, muniri poſtulat: quo tempore tanta mentis humilitate, tótque lacrymis à Fratribus, ſi quos eatenus dicto, facto, aut improbo exemplo læſiſſet, veniam poſcit; eorúmque ſibi in ſupremo illo mortis articulo, in quo ad Dei iudicium profecturus erat, tam impenſè opem efflagitat; vt vniuerſos ad fletum compelleret. Deo inſuper, pro innumeris ſibi hactenus collatis beneficiis, ac præſertim religioſæ vocationis dono, gratias agens, circunfuſos Fratres ad diuinam ipſius benignitatem ſecum celebrandam, commendandam, ac laudibus extollendam prouocat. Vniuerſos denique cùm ad perfectam Regulæ obſeruantiam, paupertatem, rerum tolerantiam, ardentiorémque Dei charitatem, cæleſtibus præmiis propoſitis, cohortatus eſſet; Guardiano iubente, ſua Chriſti crucifixi imagine omnibus benedicit: tum ſe ad ſeipſum colligens, animũ ad cæle- *Deo in morte pro Religionis dono gratias agit.*

ſtia transfert, totúſque diuini amoris amplexibus inhærere cœpit.

Intereà Latinus Vrſinus, Amatricis Dynaſta, atque oppidi illius Proceres, breui Sancti
Viri vitæ curſu percepto, ad eum conueniunt, vt illius ante obitum benedictione per- 52
fruantur: at, qui ſummam ſemper animi humilitatem, & abiectionem eovſque proſe-
quutus fuerat, poſtulationi reluctatur, benedictionémque proferre abnuit: miſerúmque
ſe, ac peccatorem inclamans, Guardiani id munus eſſe contendit. At Guardiani tandem
præcepto compulſus, primùm Latino Vrſino, tum aliis ſua Crucifixi imagine benedictio-
nem impertiens, ſaluberrimis, quæ vnunquenque attingerent, monitis perſequitur. Hoc
quoque tempore ad varios Ordinis Superiores litteras ſcribit, quibus animam ſuam ad
Deum profecturam commendat, catholicæ fidei confeſſionem inſtaurat, ſolennia Re-
ligionis vota in profeſſione nuncupata refricat, & eorum ſibi benedictionem expoſcit.

Sæuiebat in dies magis carcinomatis morbus, quo Vir Dei afficiebatur. Quamobrem, 53
cùm aliis remediis fruſtrà hactenus adhibitis, ex Medicorum tandem conſilio decretum
eſſet, vt ferri inciſione pars illa carnis tabeſcens amputaretur, ne reliquam exederet; pri-
ma à Chirurgo, die Iouis, quæ menſis Februarij anni 1612. ſecunda erat, inciſio fit: in qua
(vt ſuperiùs memini) cùm de Viro Dei vinculis colligando ageretur; is, ſua Crucifixi
imagine manu apprehenſa, Chirurgo: Ne alia, (inquit,) vincula quæras: fortiſſimum hoc
mihi vinculum eſt, quo teneor. Tantáque animi conſtantia eam inciſionem pertulit, vt
nulla prorſus, præterquàm illa B. Virginis inuocationis ab eo vox audiretur: *Sancta* MA-
RIA, *ſuccurre miſeris.* At cùm necdum integra illa inciſio eſſet; altera poſtridie repetitur,
quam pari animi patientia ſuſtinet: ex qua cùm ſe ad vitæ occaſum pertrahi intelligeret;
Sabbatho ſe extremæ Vnctionis Sacramento inungi poſcit: quo tempore ſenſibus inte-
gris Sacerdoti inungenti reſpondet; tantámque in vultu ſerenitatem, & claritatem inſi-
nuat, vt angelicam potiùs, quàm humanam ſpeciem præſeferre videretur.

*Præclaris patiētiæ exemplis refulget.*

Haud ſanè fruſtrà ille, apud Numeros, ſibi iuſtorum mortem optabat, qui aiebat: *Mo-* 54
*riatur anima mea morte iuſtorum: & fiant nouiſſima mea horum ſimilia.* Qui enim ab omni car-
nis inquinatione liber, duris pro pietate agonibus probatus, ac præclara corona iuſtitiæ in-
ſignitus, ad ſupremi omnium Iudicis conſpectum feſtinabat; haud mirum, quòd eam vul-
tus claritatem oſtenderet, quæ futuram illi gloriæ coronam portenderet. Sacro itaque oleo
inunctus, cùm Primam Horam Canonicam cum Sacerdote ſibi adſtante, pleno mentis
ſenſu, ad ea vſque verba: *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius. Sancta* MARIA,
*& omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum.* perſoluiſſet; vnius *Miſerere* ſpatio, oculis
in cælum erectis conſtitit. Cúmque verba vlteriùs proferre non poſſet, quaſi qui ſomno
indulgere vellet, membra componit: nullóque omninò, aut corporis motu, aut vultus
mutatione, quæ morientibus accidere ſolent, editis, hoc anno 1612. pridie Nonas Fe-
bruarij, cùm duodeſexageſimum ætatis annum ageret; quorum quadraginta magna cum
vitæ auſteritate, paupertate, patientia, charitate, atque illuſtriſſima virtutum ſanctimonia in
Religione exegerat, fœlici tandem in Domino ſomno conſopitur; fœliciori in Cælo glo-
ria coronandus. Ita filius accreſens Ioſeph duodecimam, ac ſupremam in Cælum aſcen-
ſionem abſoluit, ac myſticæ illius Iacob ſcalæ conſcenſis gradibus, Dei Deorum in cæ-
leſti illa Sion beato aſpectu perfruitur.

Numer. 23. 10.

*Summa cum pietate in Domino obdormit.*

Porrò ſoluta è corpore anima, defuncti vultum tam ſerenum, ac ſpeciȩ decorum, car- 55
némque ita mollem, ac tractabilem, artúſque ita flexibiles reliquit; vt nihil illi morte
ſublatum, quinimò cæleſtis quædam venuſtas, quæ ſpectantes recrearet, ſuperaddita
cónſpiceretur. Poſt conſueta verò defuncto ablutionis officia à Fratribus reddita; Guar-
dianus, qui irruentem populi frequentiam metuebat, Fratres ne Sancti Viri obitum
peruulgent, mox præcepto cauet. At quem Guardianus ſilentio premere curat, pueri di-
uino œſtro perciti, cateruatim per oppidum diſcurrentes, detegunt, clamantes: Mortuus
eſt Vir Sanctus: mortuus eſt Beatus Ioſeph. Hac voce protinus occluduntur mercatoriæ
tabernæ, ceſſant nundinæ, totóque ad Capucinos populo conuolante, deſertum, ac velut
abſque habitatore oppidum manet; ſoláque pauperum communem egenorum Patrem
lugentium vox, ac gemitus audiebatur. Mox tam ingens populi frequentia ad Conuen-
tum confluit, vt ea Eccleſiam, domum, hortum, dormitoria, atque omnia Conuentus loca
obſidente, defuncti corpus in Eccleſiam deferri non poſſet.

56 Intereà Latinus Vrſinus, atque oppidi Proceres à Guardiano poſtulant, vt iis Sancti Viri corpus exenterare, atque aromatis condire liceat. Reluctari primùm Guardianus, eò quòd nullo apud noſtros id vſu receptum eſſet: at iis vehementiùs contendentibus, cedit Guardianus; corpúſque apto in loco collocatum, cumprimùm tribus præſidentibus Medicis, à Chirurgis inſectum fuit, tanta mox ex inteſtinis ſuauiſſimi odoris fragrantia erupit; vt eo Vrſinus Dynaſta, Proceres, ac cæteri, qui præſentes aderant, maximam, tum admirationem, tum animi voluptatem perceperint. Explorata primùm inteſtina, quæ cùm excrementis vacua eſſent, excrementorum loco candidum lac reddidêre. Quod cùm à Medicis magna rerum omnium conſideratione diſcuſſum eſſet; id à naturali agente in inteſtinis produci minimè potuiſſe, communi tandem ſententia conſenſêre. *Ipſius inteſtina ſuauiſſimè olent: & pro excremētis lac conſpicitur.*

57 Dum itaque inteſtina à Chirurgo, qui Ioannes è Maſſicinis appellabatur, nouacula à corpore præſcinduntur, accidit, vt nouacula in Chirurgi pollicem digitum delapſa, profundum illi vulnus infligeret: quod Seuerus Caponicus Medicus animaduertens, Ioanni ſuadet, vt ſaucium pollicem in defuncti ſanguinem, qui ex inteſtinis fluebat, ſtatim demergat: qui conſilio acquieſcens, ſimul atque pollice ſanguinem attigit, confeſtim perſanato vulnere, incolumem recepit: quod verò omnium admirationem auxit, Chirurgi pollex in B. Viri ſanguinem demerſus, diu poſt hæc ſuaui odore perfuſus fuit. Hæc ex Sancti Viri corpore cùm Vrſinus, Medici, ac cæteri oppidi Proceres, qui aderant, diuina ſigna exoriri cernerent; ipſa corporis inteſtina, (corde excepto, quod ſibi Guardianus vendicat,) inter ſe diſpertiuntur, ac ſibi pro ſacris Reliquiis reponunt: quæ deinde variis ægrotis applicata, quemadmodum fuſiùs infrà declarabitur, iis incolumitatem contulêre.

58 Poſtridie, quæ Dominica dies erat, cùm Ioſephi corpus in Eccleſiam delatum fuiſſet: tum, vt ardentiſſimo turbarum vndique ex finitimis Leoniſſæ, Montiſregalis, Accumuli, & aliis oppidis confluentium ſtudio ſatisfieret; tum etiam, vt ei iuſta à Fratribus perſoluerentur; mox turbæ tam immoderato in illud deuotionis impetu irruunt, vt iis haud ſatis eſſe videretur, ipſius habitum dilacerare, capillos tondere, barbam auellere, manuum, ac pedum vngulas obtruncare; verùm & dentes excutere, ac membra dilaniare contenderent: niſi ſumma vi corpus à Fratribus, armata militum manu opitulante, è turbarum manibus ereptum fuiſſet. *Turbarum in eum irruentium deuotiō explicatur.*

59 Falſus hoc tempore in Amatricis oppido rumor inualuit, Leoniſſanos, vt Ioſephi corpus raperent, inter ſe conſilium iniiſſe: quapropter Vrſinus Dynaſta, vnà cum oppidi Magiſtratu, omnem lapidem mouent, quò illud noſtris ereptum, in collegialem oppidi Eccleſiam transferant: at eorum conſilio Guardiano à quodam Ordinis familiari detecto; cùm ſpe ſua fruſtrati eſſent, Conuentum armatorum militum cuſtodia muniunt; ſpeculatoréſque, vnde Leoniſſani irrumpere valerent, omni diligentia collocant: Guardianus verò, dum Vrſinum, ac cæteros hoc metu exuere, & commotos animos ſedare omni ſtudio conatur; en toto ſpectante populo, Sancti Viri corpus, inſolito prodigio, tam copioſum ex ſe ſudorem effundit; vt vndique ex eo aquæ venæ ſcaturire viderentur. Eo populus exterritus, magno mox clamore à Deo miſericordiam expoſcere, ac ſudariolis ſudorem extergere. Hoc aſpectu, cùm Vrſini, & aliorum animi ſedati fuiſſent, poſt quintum ab obitu diem, corpus in lignea capſula occluſum, ſeorſim, toto oppido poſtulante, in Eccleſiæ pariete tumulatur. *Sudor è defuncto corpore copioſus emanat.*

60 At, quoniam hæc iuſtorum, qui in ſanctitate, & iuſtitia Domino ſeruierunt, merces eſſe ſolet; vt qui Deum in operibus ſuis glorificauerunt, gloriam & ipſi à Deo aſſequantur: Deo ipſo teſtante: *Quicunque glorificauerit me, glorificabo eum.* mox tot poſt obitum miraculis coruſcare cœpit, vt eorum fama permotus Aſculanus Epiſcopus, cui Amatricis oppidum in ſpiritualibus ſubiicitur, eò poſt duodecimum diem delegatæ iuriſdictionis Iudicem, vt de iis diligenter inquireret, deſtinauerit: qui cùm Sancti Viri corpus exhumari iuſſiſſet; ita venuſtum, molle, integrum, labra rubicunda, artus flexibiles, nullóque tetro odore perfuſos offendit: vt viuens potiùs, quàm exanime videretur. Hoc modo, & quinto poſt hæc menſe elapſo, à Portia Caietana Baroniſſa, nonnulliſque Sancti Viri propinquis, qui Leoniſſa eò profecti fuerant, conſpicitur. 1. Reg. 2. 30.

61 At verò cùm miraculorum, quæ ab eo poſt mortem patrata ſunt, tam ingens copia

abundet, vt ſingula hiſtorica narratione proſequi, nimis inſtitutæ breuitatis metas excederet; grauioribus duntaxat, vel explicatis, vel indicatis, cæteras in Proceſſibus, qui tum Spoleti, tum Amatrici, atque aliis locis de his confecti fuêre, explicanda relinquimus.

*Pleriſque poſt mortem glorioſus apparet.*

Atque vt rem ab ipſius apparitionibus exordiar: qua hora Sanctus Vir, mortalem cum immortali vitam commutat, Neapoli Laurentio Piccardo (cuius ſuperiùs memini, cùm de ipſius vaticiniis ageretur) in ſomnis apparet: qui cùm à Prorege in carcere detineretur, proximam ei poſt duos dies liberationem, quam & viuens prædixerat, pollicetur. 62

Cæterùm, quo tempore Ioſephi corpus adhuc inhumatum in loculo iacebat, Andreas Lactantius Amatricenſis, cum Fr. Marco ex noſtris Sacerdote, in eodem Amatricis Conuentu, de præclara illius vita, ac virtutibus iuxta ignem colloquebatur; cùm eundem Ioſephum hilarem, ac feſtiuum, poſt Marci terga, quaſi qui eo colloquio delectaretur, ſtantem intuetur: qui cùm tanto temporis ſpatio, quo ab eo plenè agnoſci poſſet, ibi perſtitiſſet; illius tandem ex oculis euanuit. 63

Anno 1625. Michaël Angelus Senenſis, ex noſtris Sacerdos, dormiens catarrhi fluxu nocte quadam præfocabatur: quo tempore à B. Viro ſibi apparente, his ſe verbis excitari audit: Surge, Michaël Angele, ac S. Ioſephum B. Virginis Sponſum inuoca. Qui ſurgens confeſtim, cùm ſanguinis volumen ex ore eructaſſet, mox à periculo liber, nunquam deinceps eo oppreſſus fuit. 64

Poſtremò anno 1627. Caſtoria Deſideria, Ioſephi vterina ſoror, cùm altera corporis parte paralytica, iam diu in lecto iacuiſſet: Ioſephi fratris ſibi apud Deum opem implorat, qui eadem illi nocte apparens, cùm illius brachio apprehenſo illud ita fortiter perſtrinxiſſet, vt eam altiùs exclamare coëgerit; paulò pòſt incolumem reliquit. Atque hæc de illius apparitionibus commemoraſſe ſufficiat. 65

*Miracula ante illius ſepulturam patrata recenſentur.*

Venio ad miracula, quibus Deus Opt. Max. ſerui ſui gloriam, ac cæleſtem aſcenſionem declarare voluit. Necdùm Sancti Viri corpus humi conditum fuerat, cùm Clementina Amatricenſis è Nauigantium familia, cui filius erat Hieronymus nomine, febri, ac tam diris ceruicis doloribus laborans, vt contractis colli neruis caput immobiliter ad humeros reflexum gereret; cùm B. Viri obitum percepiſſet, puerum ad Capucinorum Eccleſiam, vbi tunc illius corpus in feretro iacebat, manu ducens; vix ob ingentem populi frequentiam eò illi penetrare datur: at, cumprimùm ad loculum cum puero peruenit; B. Viri merita inuocans, puerum fide plena ſuper corpus extendit; móxque fidei præmium recipit: puer enim confeſtim caput mouet, atque vndequaque flectit, febris fugatur: demum integra valetudine potitus toto ſpectante, & admirante populo, domum cum matre redit. Hoc quoque tempore Grauina Rabina, Amatricenſis, graui humeri dolore affecta, cùm Ioſephi corpus exoſculans, ab eo doloris liberationem poſtulaſſet, ea abſque vlla temporis mora perfruitur. 66 67

Quinto poſt Sancti Viri obitum menſe elapſo, dum Laurentius Petronius Leoniſſanus, qui iam per decennium tam graui genuum morbo detentus fuerat, vt abſque fulcris vltrò, citróque progredi non valeret; Amatricem cum aliis B. Viri propinquis profectus, ipſius corporis aſpectu fruitur; cæleſtémque ipſius, ad genuum curationem, opem implorans; hanc eadem nocte B. Patris ſuffragio conſequitur: ita vt, qui pridie equeſter Amatricem venerat, poſtridie Leoniſſam pedeſter regredi voluerit; vt collatam ſibi, illius merito, gratiam omnibus prædicaret. 68

At, quandoquidem in diuina, ac miraculoſa morborum curatione, quidam iuxta morborum genera gradus minores, vel maiores diſtingui ſolent, quibus diuina virtus, quæ vbique operatur, minùs, vel magis elucet: haud abs re alienum erit, cùm varias in Ioſepho, tanquàm in filio excreſcente, virtutum, ac donorum aſcenſiones diſpoſuerimus, diſtinctas etiam in eo miraculorum aſcenſiones, quò illius magis, ac Dei gloria excreſcat, proponere. 69

*Quàmplurimi ad ipſius Reliquias febricitantes curantur.*

Primam itaque aſcenſionem à febricitantibus aggredior, qui ipſius Reliquiis, vel intercesſione curati leguntur. Primus Camillus Claretta à Leoniſſa continua febre laborans, diu in lecto iacuerat, cùm Franciſca vxor, acceptis à vicina muliere quibuſdam 70

Ioſephi

Ioſephi Reliquiis, eum ad Sancti Viri merita imploranda prouocans, Reliquias viri collo appendit: qui vxoris conſilio acquieſcens, vix Reliquias contigit, cùm à febre liber exurgit.

71 Ioanna Laureta à Leoniſſa, eadem continua febre correpta, plurima ad illius curationem remedia fruſtrà experta fuerat; cùm ad Ioſephi opem ex animo confugiens, vbi exiguam habitus illius particulam ſimul cum cibo ſumpſit, ab ea nulla temporis mora interiecta liberatur.

72 Fridericus Maſſæus, iam per trimeſtre continua febri vexatus, cùm vniuerſa medicorum remedia minùs ſibi prodeſſe animaduerteret; ſtrophiolum, quo Ioſephi ſudor poſt mortem exterſus fuerat, ſibi magna cum fide applicans, ab ea confeſtim curatur.

73 Colaſantium puerum Amatricenſem diuturna febris, quæ comitiali morbo grauior euaſerat, miſerè cruciabat: at vix in ipſo quoque comitialis morbi ſymptomate, quo humi ſpumans volutabatur, habitus Ioſephi particula illi admota fuit, cùm protinus à morbo, & à febre liber ab humo exurgit.

74 Dominicus Mautinus Narnienſis, & Paula Niculea Leoniſſana, vterque febricitans, dum Sancti Viri Reliquias piè exoſculantur, mox integram incolumitatem conſequuntur. Eodem modo & Calixtus, Remigij Collis filius, & Franciſcus Antonius Galucius, hectica febre laborantes, poſt cæleſtem à Ioſepho opem imploratam, ſolo Reliquiarum ipſius contactu, plena mox corporis ſalute potiuntur.

75 Secunda à febricitantibus ad claudos, & membris captos aſcenſio ſuccedit: in qua prior occurrit Iacobus Vitellus Borbonenſis, altero crure claudus, ac præterea calculis laborans; qui cùm B. Viri ſibi in ſalutem merita inuocaſſet, ac quaſdam illius ſibi Reliquias admouiſſet; eodem tempore ab vtroque morbo liber emergit. *Claudi, ac mẽbris capti perſanantur.*

76 Poſt hunc Hyacinthus Craſſus & ipſe altero poplite claudicans, ſtrophiolo Ioſephi ſanguine intincto poplitem contingens, liber, ac rectus incedit.

77 Iphigenia Alegrana Amatricenſis, ita vtraque manu capta, vt nequidem cibum ſibi miniſtrare poſſet, cùm poſt varia remedia incaſſum tentata, ad Sancti Viri opem implorandam animum contuliſſet; inter hæc pia ad Ioſephum vota obdormiſcens, manè liberas, atque incolumes manus ipſius interceſſione ſibi redditas lætatur.

78 Cùm nonnullæ Ioſephi Reliquiæ, inter quas habitus, pallium, cingulum, ſandalia, & cilicium ipſius enumerabantur, Leoniſſam à noſtris allatæ fuiſſent: Cinthius quidam Tocius, cuius os, & oculi catarrhi fluxu ita oppreſſi fuerant, vt oculis peruerſiſſimis, os illi ad aures vſque diſtenderetur; vix ad has Reliquias acceſſit; atque illius præſertim caputio, cingulo, & cilicio os, & oculi illi obſignati fuêre, cùm iis ad priſtina loca redeuntibus, rectus illi horum membrorum vſus reſtitutus eſt.

79 Gratioſa Leonina Amatricenſis è ſublimiori loco cadens, alteram ſibi manum ita læſerat, vt oſſe perfracto, & contractis neruis digiti palmæ inſeparabiliter adhærerent: plurimis verò ſex menſium ſpatio Medicorum tentatis remediis, cùm nulla ſibi prodeſſe cerneret; ad Ioſephi ſepulcrum accedens, cæleſtémque ſibi illius opem lacrymis efflagitans, manu tumulum tam plena fide contingit, vt mox inſtaurato oſſe, ac extenſis neruis, libera illi manus reſtituta fuerit.

80 Patientia Amatricenſis arthetico morbo ita vndique obſeſſa, vt contractis neruis, nullum ſibi membrorum vſum vendicaret; hoc morbi ſtatu duos, & ampliùs menſes continuis doloribus vexata, abſque vlla ſalutis ſpe tranſegerat, cùm miraculorum fama, quæ de Ioſepho vbique diffundebatur permota, nocte quadam, qua hiſce vehementiùs doloribus angebatur, impenſiùs quoque ab eo opem è Cælo poſtulare cœpit: quam etiam tunc primùm miteſcente, tum paulò pòſt abſcedente morbo, celeriùs accepit. Eodem morbo correpti Barbara Craſſia, Paulinus Vitellocius, & Ioſephus à Leoniſſa iunior Capucinus, Sacerdos, Reliquiarum Sancti Viri contactu perſanantur. Atque hoc ipſo Reliquiarum contactu Ioan. Dominicus Rampinus à chiragra, quæ illius manus occupauerat; Laurentia Fares, Annæ ſoror, ab ingenti faucium tumore; Franciſcus Boſchius, à poplitis luxatione; Paula Stortiana Meuanienſis à mutilatione manus; Ioannes Andreas Pompeius, membris mutilus; mulier quædam Amatricenſis curua, à neruorum attractione, nulla temporis mora interpoſita curati fuêre.

*Saucios & variis doloribus affectos poſt mortem ſanat.*

Tertiam ad ſaucios, ac variis corporis doloribus affectos aſcenſionem aperit Laurentius Paulinus Amatricenſis, qui cùm anno poſt B. Viri mortem elapſo, in ſylua ligna cæderet; ſecuris in alterum genu dilapſa, graue illi vulnus inflixerat: cui cùm à Medico, præſertim ob ſpaſmi metum, celeriùs remedia pararentur, Felix mater, quæ ſtrophiolum Ioſephi ſanguine intinctum, domi aſſeruabat, cuius anteà virtutem experta fuerat; omnibus medicæ artis remediis poſthabitis, illud tanquàm ſupremum omnium remedium, B. Viri merita implorans, vulneri admouet: nec ſpe illa ſua fruſtrata fuit. Etenim eo ipſo tempore vulnere conſolidato, Laurentius opus ſuum incolumis proſequitur. Porrò Felix, huius Laurentij mater, cùm paulò anteà genuum dolore ita afflictata fuiſſet; vt nec loco dimoueri poſſet: vbi illa eodem ſtrophiolo obuoluit; protinus effugato dolore, & loco dimoueri, & liberè incedere valuit. 81

Stephanus Pellinus è caſtro S. Angeli vulnus in fronte acceperat; quod, omnibus licèt remediis adhibitis, nunquam curari potuerat: quo tempore Viſſum profectus, cùm ſe aliquando ad Capucinos contuliſſet, à Guardiano B. Viri Reliquiis in fronte obſignatus, mox curato vulnere incolumis euaſit. Hoc modo Maria, S. Auguſtini Tertiaria, à graui ſupercilij vulnere: Petrus Angelus Amatricenſis, à plaga in ſuperiori labro accepta: Franciſcus Antonius Gaſſanus, à duplici dorſi, & dextri vberis vulnere: puer demum Ioannis Mariæ Coracini filius, à mortifero gutturis vulnere, his Ioſephi Reliquiis adhibitis, illicò perſanantur. 82

Fauſta Palla Leoniſſana, Garofanus eiuſdem coniux, ac paruulus eorum infans, variis vlceribus affecti, voto ad B. Virum, de illius ſepulcro viſitando, emiſſo, perfectam ab iis curationem aſſequuntur. Maria Antonia Maſſiotta Meuanienſis, cancro laborans, qui ſiniſtram oris ipſius partem ferè integram exeſerat, annulo catenæ, quam Ioſephus viuens præcinctam gerebat, ori applicato; ſtatim à morbo curatur. Hoc ipſo adhibito, Iſotta Spacia, ab apoſtemate, quod ſub dextro oculo contabuerat, confeſtim ſanatur. Sudarioli, quod B. Viri ſanguine intinctum fuerat contactu, Hieronymus infans à ſerpentino morbo; Felix Paulina, à grauiſſimo genuum dolore; Antonia Carocia, à colica paſſione liberantur. 83

Hieronymæ Sirochiæ Amatricenſis femur tuber quoddam putridum inuaſerat: quod cùm in dies excreſceret, in eam magnitudinem euaſit, vt quodlibet humanum caput excederet: eo verò tabeſcente, tam ſæuus inde illi dolor exortus, vt cùm in ſpaſmum degeneraret, in ſummum illam vitæ diſcrimen adduceret. Fruſtrà omnibus illa medicæ artis remediis adhibitis, cùm nulla alia tentanda ſupereſſent; Ioſephi illa è Cælo præſidium inuocat, cuius ſepulcro cereum ſe crus appenſuram ſpondet. Voto emiſſo, cùm tota nocte præter morem obdormiſſet, mane faſciis, quibus genu inuoluebatur, ſolutis, mox tuber nullo pellente dilabitur; & carne conſolidata, genu priſtinæ ſanitati redditum cernitur. 84

Flaminia Vbaldeſca, graui in altero humero dolore affecta, cùm eo B. Viri ſepulcrum piè contigiſſet, protinus ſe ab eo liberam ſenſit. Andreas Ciachitus à Leoniſſa ſtomachi languore diu laborauerat: quo tempore Maximilla ſoror, B. Viri opem germano implorans, dum ad Oratorium, quod in paterna illius domo erigi cœperat, nudis pedibus accedit, Andreas frater à languore conualeſcit. Camilla Aloyſia, quæ acerbo dextri brachij dolore cruciabatur, ſimul atque B. Viri cingulo ægrum brachium præcinxit; eodem tempore effugato dolore, brachij incolumitate potitur. Eo quoque ſibi lumbos præcingentes Maria Ioanna Piccara, & Fabritius Sinibaldus, Leoniſſani, illa à laterum, hic ab humerorum, ac lumborum dolore conualeſcunt. 85

Sermonia Caretta à Leoniſſa, ſacras Ioſephi Reliquias omni pietate contingens, à diutino femoris cruciatu, quo clauda incedere cogebatur, eiuſdem ſuffragiis eripitur. Auguſtinus Canocius eiuſdem oppidi, qui per quinque annorum ſpatia monſtruoſo corporis tumore, ac prætereà aſſiduis doloribus laborauerat; vix B. Patris habitum induit, atque ipſius cordis, quod Leoniſſæ aſſeruatur, Reliquiis obſignatus fuit; cùm mox euaneſcente tumore, ac doloribus ſedatis, perfectam corporis incolumitatem adipiſcitur. 86

Anno 1618. equus Laurentij Nouelli ab Amatrice è rupe decidens, ſiniſtram ſibi coxam confregit, & licèt quatuor menſium ſpatio diligentiſſimè curaretur, nihilo ſeciùs cùm 87

morbus

morbus incurabilis eſſet, pede claudus remanſit, nec in poſterum ſanari potuit: & cùm ſeptimo elapſo menſe, nulli vſui accommodatus, ſic claudus pabulum ſumeret, ex alia rupe ſe denuò præcipitem dedit. At, cùm ab omnibus veterinariis, vel equorum medicis eo viſo diceretur, medicamen quodlibet eſſe ſuperfluum; & ideò deglubendum; mater ipſius Laurentij, Felicis nomine dicta, equi bonitatem, & manſuetudinem memorans, cæleſti ope eum adiuuare autumauit. Idcircò Ioſephi merita in memoriam reuocans, ad ſtabulum ſeſe contulit, vbi ſumpto linteolo, quo ſudorem à Dei famulo triduò poſt mortem emiſſum abſterſerat, equum toto corpore tumefactum, & ſemimortuum Beati Ioſephi protectioni aſſignauit, & prædicto ſudario ſuperimpoſito, receſſit. Equus repentè in pedes diſſiluit, primo, & ſecundo caſu, coxæ fractura, & morbo incurabili omninò liber, in poſterum non ſolùm ephippio, verùm & clitellis aptum ſe præbuit. Cuius rei comprobandæ ſtudio Dominus Victorius Lancellotus, vnus ex delegatis apoſtolicis, qui præuio examine hoc miraculum comprobauit, eundem equum per decem & octo milliaria, non ſine ſtupore, ac deuotione ad equitandum adhibuit.

88 Petrus Fontichij in Aprutio Eccleſiæ Præpoſitus, colico dolore tam acerbè iactabatur; vt cùm nullis Medicorum remediis leuari poſſet, ad certum vitæ occaſum feſtinaret: quo tempore à noſtris illi cingulum, ex Ioſephi habitu compactum defertur: quo præcinctus, protinus miteſcit dolor, ac poſtridie incolumis è lecto emergit. Néve cuiquam dubium eſſet, quin ea curatio ex cingulo, diuina illi virtute indita, in eum profecta eſſet; quinto pòſt die, cùm cingulum, quod eatenus præcinctum geſtauerat, exuiſſet; iiſdem repentè doloribus obrui cœpit: à quibus, non niſi repetito cingulo, liberatur. Hoc colico dolore Diana Ficarda Leoniſſana diu exagitata, ſimul atque cannabaceo Sancti Viri cingulo præcingitur, in ſalutem vendicatur.

89 Flauia Lælia ad quintum vſque diem partus doloribus cruciata, cùm fœtum edere non poſſet, certum ſibi vitæ occaſum expectabat: quo tempore Ioſephi ſibi præſidium inuocans, filium mox ſalua, ac læta parit. Hac quoque in B. Virum pietate Lucretia Riccia, diu inter partus anguſtias, certo mortis diſcrimine conſtituta, ſeſe fœliciter à fœtu expedit. His & Delia Dionyſia Leoniſſana, & Olympia Baraſaſſia, & Helena Micoratia, & Virginia Maſſæa, fœtæ accedant, quæ Reliquias B. Viri ſibi admotas geſtantes, à partus doloribus, ac vitæ periculo eximuntur.

90 Quartam porrò miraculorum aſcenſionem, variis morbis, & ægritudinibus afflicti conſtituunt; inter quos Franciſcus infans, Amatrici recens natus, cùm tam graui hernia laboraret, vt illi inteſtina diſluerent, à Patientia matre ad B. Viri ſepulcrum allatus; mox inde incolumis ab ea domum refertur. Pari modo & ad Sancti Viri ſepulcrum Franciſcus è Trionis oppido, & alter Oleander Quatroculus, pueri, herniæ curationem accipiunt. Quartus Veſpeſianus Lucius à Pedepodij oppido, cùm à boue cornupeta in inguine vulneratus illi inteſtina defluerent, B. Viri ope ſibi ſalutem inuocans, mox ad priſtinam ſoſpitatem reuocatur. Ab eodem herniæ morbo Vincentius Boſchius, & Ioannis cuiuſdam filius è caſtro S. Angeli, necdum duorum annorum pueri, cùm B. Viri Reliquias attigiſſent, integram ex eo contactu incolumitatem aſſequuntur. *Variis morbis laborãtes sua intercessione reddit incolumes.*

91 In villa Muſciani Nucerinæ ditionis, anno 1610. Margarita, filia Angeli Bernardini, cùm ferè vigeſimumſecundum annum attingeret, in febrim vehementiſſimam incidit: quo tempore, cùm magis, magiſque per totum corpus mirabili modo craſſeſceret, à Phyſicis, morbum illum hydropiſim eſſe autumantibus, multis, ac variis medicamentorum generibus, ſed vanis & inutilibus curata fuit: quindecim enim annos ægritudine iſta laborans, in dies poſteà ingraueſcente, tam craſſo corpore affecta fuit, vt non ampliùs mulier, ſed monſtrum horribile videretur; adeò vt magni dolij, quod vino impleri ſolet, ſpeciem omnibus præſeferret. Prætereà, cùm multis, & quinque præſertim plagis, aliarum maximis, ac magis patentibus, per quas interna viſcera cerni poterant, & fœtidiſſima, perenniſque ſanies egrediebatur, non ſine ingenti, & aſſiduo dolore agitaretur; tandem ſalutis ſpe deſtituta, poſtquàm tres denique annos vltra quindecim nunquam à lectulo dimoueri potuiſſet, cunctáque hominum medicamenta infructuoſa eueniſſent, anno 1631. die menſis Iulij decimaquinta, eam viſere contenderunt duo ex noſtra Familia Fratres, Paulus, nempe, à Meuania, & Fr. Euſebius à Nuceria; qui, poſtquàm ad patientiam illam hortati

fuēre, dictus Pater Paulus ſic ægram fuit allocutus: Cùm tibi humana remedia non proſint, ad diuina confugere, & ad patrocinium B. Ioſephi Capucini à Leoniſſa, tot, tantáque miracula operantis, (quorum aliqua ſolaminis cauſa ægrotæ ipſi narrauit,) confugere certè debes. Et cùm illa deuotiſſimè fuiſſet aſſenſa, Fratres ipſi flexis genibus preces aliquas adhibuerunt. Intereà ægra mulier ſimul Beati ipſius, quem celebrari audierat, patrocinium implorauit. Quibus peractis, illam Sacerdos exigua telæ parte, qua cor Beati Ioſephi fuerat inuolutum, pertingens, eam placidis verbis ſolando deſtituens, cum Euſebio Socio diſceſſit. At non priùs Fratres domo egreſſi erant, quàm infirma mulier cæleſtis medelæ virtutem experta fuit: nam corporis venæ, quæ eouſque tam tumeſcentes extiterant, illicò deficientes in naturalem, & priſtinam formam redire viſæ fuerunt: plagæ, & vlcera, quibus venter ſcatebat, vlteriùs nec dolorem, nec putredinem attulerunt: immanis corporis craſſitudo, quam domus ianua capere non poterat, vnà cum pondere, & dolore penitùs euanuit. Id totum die Martis euenit: poſtera autem die, cùm venter omninò tumorem, & craſſitatem depoſuiſſet, plagarum, & vlcerum ora, quæ priùs nunquam præ ventris altitudine, & craſſitate videre poterat; nullo incommodo inſpiciebat. Ex quo rectè coniecit, non aliud, quàm plagæ ſignum in cute fuiſſe relictum. Die Iouis, & dolore, & grauedine ſatis leuata, è lecto nullo adiuuante diſſiluit; ac duobus innixa baculis, quod per tres annos nunquam efficere potuerat, extra domus limen ſe contulit. Veneris die, quæ fuit decimaoctaua menſis prædicti, & tertia ſuæ valetudinis, cùm ſe iam vires corporis reſumpſiſſe, & ſe ſatis confirmatam agnoſceret, templum rem ſacram auditura petere excogitabat: at Parochus vnà cum illius domeſticis, à ſententia eam dimouerunt; verentes, ne inter pergendum deficeret. Die tandem Dominico, qui ipſius menſis fuit vigeſimus, cùm ſe continere non poſſet ſuo arbitratu, itineri ſe commiſit: quod cùm nullius ope factum eſſe videretur, omnium voce, ingenti, & inaudito miraculo adſcriptum fuit: & cùm ab omnibus quaſi incredulis, & diuinam virtutem ignorantibus interrogaretur, quonam pacto ipſa tam citò ſalutem fuiſſet adepta, & à morte in vitam regreſſa, ipſa, & mater, & ſoror tot percunctantibus cùm reſpondere non poſſent, vno, & omnium ore dicebant, B. Ioſephum Capucinum à Leoniſſa reſtituiſſe ſalutem. Quibus auditis, populus omnis, qui illic talia intellecturus confluxerat, miſericordiam bis, atque iterum, & miraculum conclamare incepit; & nonnulli, qui licèt factum iam cernerent, fieri nequaquam poſſe ſibi ſuadebant; & vini, & alius refectionis præſidio illam in via comitantes, adiuuare contenderunt: ipſa verò alio non egens domum firmiſſimè regredi, & poſteà templum, campos, & culturam, vt ante morbum fecerat, ac ſi nunquam ægrotaſſet, repetere viſa fuit. De qua inſigni gratia & beneficio, Deo Opt. Max. ac B. Ioſepho, quem omnes ibi deuotiſſimè colunt, vnanimes gratias egerunt.

Alexander Bocanegra Leoniſſanus, & Paulus Graſſus Amatricenſis, odontalgia, ad inſaniam vſque laborantes, ille B. Viri iecoris particula; hic eiuſdem molari dentibus admoto, à morbo perſanantur. Frater Leo à Monte Leone, ex noſtris Laïcus, miraculorum, quæ ad B. Viri Reliquias quotidie patrari audiebat, incredulus, has morborum curationes humanæ potiùs virtuti adſcribendas putabat; cùm repentino capitis morbo tam acerbè cruciari cœpit, vt cùm nulla diu, noctúque illi quies eſſet; & humanæ artis remedia dolorem illi potiùs augerent, quàm minuerent; mox B. Virum inuocare; mox vt eius Reliquiæ adferantur, exclamare; mox lacrymis ab eo ſuæ incredulitatis veniam petere cogitur. Tandem B. Patris caputium affertur, quod vbi ipſius capiti impoſitum fuit, ceſſat capitis dolor, ac ſuopte periculo, qua pietate Dei ſeruorum ſigna accipienda, ac interpretanda ſint, addiſcit. Eodem quoque S. Patris caputio, Pompeio Piccaro Amatricenſi, qui eadem cephalalgia laborabat, capitis incolumitas redditur. 92

Comitiali morbo Ioſephus, Remigij Collis filius, Narnienſis, tam grauiter affligebatur; 93
vt eo ter, quatérque in die obrueretur. At harum Reliquiarum, quæ illi adhibitæ fuerunt, virtute, protinus ſanatur.

Strumis prætereà Carolus Mautinus Narnienſis, & Semidea Amatricenſis, laborantes, 94
haud alio, præterquàm ſacrarum huiuſmodi Reliquiarum remedio, ab iis incolumes emergunt.

95 Ab iſchiadico morbo, tam acriter Margarita Angela, & Valentina Piccara Amatricenſes premebantur ; vt ne quidem greſſum mouere poſſent : quo tempore B. Patris ſibi Reliquias adhibentes, poſtulata incolumitate perfruuntur.

96 Anno 1635. Franciſca, filia Petri Antonij Genuenſis, Mediolani Nummularij, Virgo Monialis profeſſa, ex Capucinorum Familia in Sancti Caroli Cœnobio, vrbis Placentiæ, annorum ætate 22. die 14. Iulij, grauiſſimis doloribus toto corpore obſeſſa fuit, quibus cùm in dies magis, magiſque angeretur, Phyſicorum conſilio multa, & varia medicamina experta fuit, à quibus aliquando leuamen, aliquando morbi, & doloris incrementum percepit. Quocirca morbo ingraueſcente, menſe Nouembris tam vehementi cruciatu affecta fuit, vt contractis neruis, pedes lateribus iungerentur, & talem in modum brachia ſe contraxerunt, vt inſtar arcus ad humeros ſe conuerterent. Manus adeò in pugni formam ſe coarctarunt, vt nulla humana facultate, ac medicaminis virtute à contractione diſſolui poſſent. Hiſce doloribus detenta, nulla parte dimoueri poterat : & dum ab aliis mouebatur, dolore ingenti afficiebatur. Medicamina ſicut ſemper inutilia fuêre ; ita & morbus aperitionibus phyſicis incurabilis habitus fuit. Quo factum eſt, vt ſacra Virgo ſpe ſalutis deſtituta remanſerit. At, cùm humana auxilia ſibi inania experta eſſet, ad Sanctorum patrocinia confugit. Verùm, cùm octo menſes tali pacto impedita, ſalutis ſpem abieciſſet, non alio quàm patientiæ lenimine cum Chriſto Domino ſe ſolabatur. Interim Sereniſſima Duciſſa Parmæ Heroïna Cœnobium petiit, vbi Virginis audito morbo, Abbatiſſam docuit, vt ægrota Beato Ioſepho à Leoniſſa tot miracula patranti ſe commendaret. Quod Abbatiſſa læto animo efficiens, iteratis precibus contendit, vt ægra prædicti Fautoris protectioni ſe committeret : at, quia Virgo, nec ſuorum Patronorum interceſſione ſalutem recuperauerat, nec Ioſephi meritis conſequi arbitrabatur ; Abbatiſſa ſerui Dei effigiem à D. Conſtantia Piceda Fontana, Parmæ Heroïnæ à cubiculo acceptam, Virgini ſacræ detulit ; quam oſtendens hortabatur, vt depicti Patris interceſſionem expeteret. Ægra 19. die Martij, 1636. die Lunæ maioris hebdomadæ, qua doloribus magis vexabatur, ſumma animi propenſione, ac pietate beatum Ioſephum exorauit, vt in tot cruciatibus ſibi præſtò eſſet. His propemodum oblatis precibus, interna quadam, & ſpirituali voluptate ſe repleri viſa fuit ; animo ſibi certò ducens, B. Ioſephi meritis perfectam ſanitatem ſibi reſtitui. In qua ſententia perſiſtens, Beati gratiam implorare non deſinebat, firmè conſtituens, velle ſingulis annis eius vigiliam, panis & aquæ ieiunio, eiúſque diem feſtum, qua fieri poſſet veneratione celebrare. Et cùm in dies internum gaudium experiretur, maiori ſuffulta fide, credebat propediem morbum abſcedere ; hoc pacto ſanandi credulitate aucta Beatum orabat, vt in proximam Paſchatis ſolennitatem ſanitatem reſtitueret, vt benè valens, Miſſæ Sacrificio intereſſe poſſet. Hac in petitione perſeuerans, interiùs ſenſit, preces non fore irritas. Quare die Sabbathi ſancti, quò magis dies creſcebat, eò magis lætabatur, ſibi ſuadens, B. Ioſepho intercedente, perfecta ſanitate potiri. Quo die tandem aducto, qui fuit vigeſimusſecundus prædicti menſis, vix ſolutis campanis, earúmque percepto ſonitu, attracta membra ſe diſſoluerunt, crura, brachia, & manus dimoueri cœperunt, & deuota hilaritate imbecillitatem ſuperante, ſacris duabus virginibus innixa, nullo affecta dolore, ſtrata deſeruit, pedibus conſtitit, Deo Opt. Max. gratias egit, interceſſoris patrocinium recenſuit, & cunctis Monialibus obſtupeſcentibus, ad templum, Paſchatis ſolennia celebratura, ſe contulit : cuius membra, licèt tandiu impedita, & ſenſu carentia fuiſſent, adeò ſolida, firma & ſoluta redierunt, vt morbi præteriti nedum ſignum reperiatur. De quo maximo beneficio, & virgines omnes gratiarum largitori, ac B. Ioſepho, cui deuinctiſſimæ viuunt, immortales gratias egerunt.

97 Franciſcus, filius Ioannis Mariæ Baſſoli à Carpro anno 1636. grauiſſimo quodam morbo à Phyſicis, epileptici, vulgò autem caduci nomine dicto, qui nonnullorum ſententia reperiri ſolet in maleficiatis : cùm enim dictus Franciſcus à malignis ſpiritibus vexatus eſſet, ob frequentes lapſus aliqui naturalem morbum eſſe negabant, licèt Medicus ipſe, qui Franciſcum curauerat, phyſicis rationibus affirmaret, eſſe morbum caducum, & totius corporis motus concluſiuos cum detentione principaliū cerebri facultatum concurrere : huius cauſa octies, & decies in die, & duodecies ſæpè cadebat. Et quanuis variis

medicaminibus curaretur, ſingula tamen inania fiebant. Poſtquàm circa menſem tot in angoribus verſatus fuit, ægroti pater humana auxilia deſperans, & diuina tantùm exoptans, Patrem Ioannem Baptiſtam Eſtenſem, Capucinum, quem iam, dum Mutinæ Ducatus habenas moderabatur, ſuum Principem naturalem agnouerat, ſibi adeundum conſtituit. Cui cùm filij ægritudinem narraſſet, eius opem ſuppliciter exorauit. Quod pius Pater accipiens, tum parentis, tum filij miſeratione motus ſtatim ægrotum adiit, quem poſtquàm breui, ac miti ſermone hilarauit, flexis genibus B. Ioſephum, ſuum peculiarem Patronum pro infirmi valetudine deprecatus, aquam deinde, quæ os quoddam B. Ioſephi tetigerat, potandam præbuit: vnde ægrotus tam frequentibus caſibus minimè obnoxius, firmior in poſterum factus fuit. De hoc certior factus Pater Ioannes Baptiſta, quarto die ægrum viſurus rediit, cuius ex ſalutis progreſſu ſpem perfectæ valetudinis concipiens, B. Ioſephum vehementibus precibus orandum duxit. Et cùm infirmi parens, vltra preces pro filij incolumitate fuſas, vouiſſet cum argentea imagine vnà cum filio Beati tumulum inuiſere; aquam prædictam denuò præbuit, & ſequenti die bis tantùm: die verò Dominico ſemel cadere viſus fuit. Fugato tandem morbo B. Ioſephus apparuit dicens, in diem Iouis futurũ, Chriſti Corpori ſacrum, ſe planè cõfirmatum fore. Interim non ampliùs cadens, non alio, quàm angore ſolito affectus fuit. Chriſti tandem Corporis die aduentante, vt Ioſephus prædixerat, ſanitatem recepit, quam ſummo rerum Opifici, ſuóque Patrono acceptam referens, ſemper in poſterum ab hoc morbo, Deo annuente, liber fuit.

*Surdos, & cæcos illum inuocantes curat.*

Quintam miraculorum aſcenſionem promouent ſurdi, & cæci, qui à Viro Dei in Pro- 98
ceſſu perſanati probantur. In his Marcheſana Amatricenſis, S. Auguſtini Tertiaria, primùm ſiniſtræ, tum vtriuſque auris auditu carens, pleraque ad earum curationem remedia contulerat; quæ cùm vana, ac inutilia probaſſet, ad cæleſte Ioſephi remedium confugit, eiúſque opem implorans, ipſius iecoris, & habitus particulam ſtrophiolo, quod eiuſdem ſanguine intinctum tulerat, inuolutum ſurdis auribus alligat. Poſt hæc vix ſecunda, vel tertia hora elapſa, ingentem in auribus, velut rotæ, quæ celerrimè vertitur, ſtrepitum percipit, quo totius illi corporis compago commoueri videbatur. Eo verò ſtrepitu ceſſante, & ſurditas ceſſat: & aures illi ad voces diſtinctè percipiendas, aperiuntur.

Martha à Caſtro S. Angeli, mulier nonagenaria, obtuſæ penitùs auris, cùm Fratrem 99
Franciſcum à Leoniſſa, ex noſtris Sacerdotem, nonnullas Ioſephi Reliquias gerentem percepiſſet; ad eum accedens, his aures ſibi contingi, ac prætereà eas in aquam demergi poſtulat: quibus facilè impetratis, cùm poſt ſacrarum Reliquiarum contactum, aquam, in quam Reliquiæ demerſæ fuerant, ſecum domum aſportaſſet; & antequàm ad quietem decumberet, Ioſephi ſibi è Cælo opem implorans, eam guttatim ſibi in aures inſtillari curaſſet; manè poſt quietem exurgens, integro auditus ſenſu perfruitur.

Franciſcus Maſſutus puer, vtroque ita lumine orbatus, vt nihil in oculis, præter albugi- 100
nem, præferret; cùm anno circiter 1622. ab Antonia matre ad B. Viri ſepulcrum perductus fuiſſet; dum pro eo mater preces cum lacrymis fundit, aqueum is primùm humorem guttatim ex oculis ſtillare, tum copioſè effundere: ex quo ſubobſcurè res intueri poterat: demum perfracta oculorum membrana, vnde lacteus, ac ſanguineus humor effluere viſus, inde perfectum illi oculorum lumen erumpit. Alcinæ à Turre ex catarrhi fluxu, oculi ita caligauerant, vt luce penitùs careret. Quamobrem catenæ, qua Ioſephus viuens præcingi ſolebat, annulum nacta, vbi pias ad eum, multo cum lacrymarum imbre, preces fudit, eo ſibi oculos obſignans, mox lucem recipit, Deóque, ac ſeruo ſuo gratias agit. Dominicus à Puteo, & mulier quædam Amatricenſis, altero lumine capti, cùm ille præfato catenæ annulo oculum contigiſſet; & hæc vino, quo Ioſephi oſſa lota fuerant, ſibi lumina aſperſiſſet; vterque mox ad lucem reuocatur. Oleandrum Quatroculum, puerum vtroque oculo cæcum, cùm in veſpere mater B. Viri impenſiùs ſuffragiis commendaſſet; manè claro lumine omnia videntem offendens, diuinas Deo, ac Dei ſeruo gratias perſoluit. His & alij accedant vtroque lumine orbati, qui ad Sancti Viri Reliquiarum contactum lumen recepêre. In his in Proceſſu enumerantur Patienza, puella Ioannis Lucidi filia, Nancidonia Palla Amatricenſis, Maria Ioanna vnius anni puella, & Ioſephus de Maximis Amatricenſis ſex annorum puer, qui vel ex ſolo ſepulcri contactu, bis repetito, integram oculorum lucem conſequuntur.

1 Sexta miraculorum aſcenſio ad inſanos & mente captos diuina ab Ioſepho virtute ſanatos ſpectat; inter quos Petrus Paſchalis, qui trium menſium ſpatio, in Trionis oppido ita inſanæ mentis fuerat; vt eum ſæpè vinculis alligari neceſſe eſſet: cùm Amatricem ad B. Viri ſepulcrum vi perductus fuiſſet; vix per horæ quadrantem iuxta illud commoratus primus ſanæ menti redditur, atque ea deinceps vſque ad obitum potitur. Bartholomæus Meſſanienſis iam à multo tempore inſaniens, quem vix vincula retinere potuerant, ad ſacrarum Reliquiarum aſpectum, ac impoſitionem, ſtatim ad mentem redit, ac Deo gratias agit. Idem & alteri à Vallona oppido, dementi contigit, ad ſanam mentem harum Reliquiarum contactu reuocato. Hoc modo & Philippa à Monteleone, & Lucia Leoniſſana à phreneſi liberantur. Lucia Lazzari Leoniſſana, ob Sobrini cædem extra mentem acta, cùm in inſania perſeueraret; ad B. Viri Reliquias, quæ Leoniſſæ aſſeruantur, ducta, iiſque obſignata, non modò ad mentem reuocatur, ſed & à febre, qua laborabat, eodem tempore curatur.

2 Septima ad obſeſſos à Dæmone, & arreptitios aſcenſio fertur, qui Sancti Viri ſuffragio liberati traduntur. Horum in numero ſunt, Franciſcus Romulus à Leoniſſa, iam diu a malo Spiritu poſſeſſus, qui cùm in Fratrem Franciſcum à Leoniſſa ex noſtris Sacerdotem, qui ſecum B. Viri Reliquias gerebat, fortè incidiſſet; nequam Spiritus in eum, tanquàm ſuæ pacis perturbatorem verbis inuehi cœpit: quem Franciſcus, cùm ſacris Reliquiis obſeſſi capiti impoſitis ad exitum prouocaſſet; ſtridère ille primùm, ſpumare, obſeſſum exagitare: demum poſt vnum, aut alterum diem, liberum hominem relinquere cogitur. Sancia, Mercurij Maſſeri vxor, & Diamans à Fondo Viſſi, vtraque iampridem ab Dæmone obſeſſa, cùm Leoniſſæ Viri Dei Reliquias veneratæ fuiſſent, nefarij Spiritus erumpentes, egreſſus ſigna dedêre; liberâſque mulieres deſeruêre. Porphyria quoque, Ioannis Maſſari vxor, ab infeſto Dæmone nuper obſeſſa, maturè ſacrarum Reliquiarum contactu liberatur. Poſtremò Lucia à Monteleone, & Olympia è Sale oppido, Dæmonis faſcino alligatæ, ſacras Reliquias venerantes, à diabolico vinculo ſoluuntur.

*Obſeſſos à Dæmone, ac faſcino alligatos liberat.*

3 Ad octauam miraculorum aſcenſionem, quæ moribundos, ac deſperatæ ſalutis ægrotos Viri Dei, vel inuocatione, vel Reliquiis ſanatos complectitur, viam aperiunt, in primis Ludouicus, Hieronymi Morelli filius, qui Ioſephi vaticinio natus, ab eo Ludouici nomen acceperat. Hic cùm deſperata penitùs ſalute ægrotaret; B. Viri Reliquiis obſignatus ſtatim perſanatur.

*Moribundos ad ſalutem reuocat.*

4 Chryſoſtomum Monutiam à Leoniſſa cum morte colluctantem, velut mortuum parentes lugebant: quo tempore, cùm vitta ex B. Viri habitu præciſa ægri caput à noſtris præcinctum eſſet; paulò pòſt à morbo liber, & incolumis è lecto ſurgit. Hoc pacto Dominicus Carmellanus Narnienſis, Pompeius Picardus Amatricenſis, Paulus Nouellus, Baptiſta Lombardus, Santus de Amicis, Hyacinthus Tranſius, & Ioannes Baptiſta Caponius Amatricenſes, quorum penitùs deſperata ſalus erat, ſacrarum Reliquiarum impoſitione ad ſalutem reuocantur. Poſt hos, Ioannes Petronius Leoniſſanus, Maria Antonia à Caſtro S. Ioannis, ad Medicorum deſperationem ægrotantes; & Bartholomæus Angelus vnius anni infans, qui non tam moribundus, quàm mortuus credebatur, voto pro iis ad B. Virum emiſſo conualeſcunt.

5 Poſtrema ſupereſt, ad mortuos B. Viri interceſſione ſuſcitatos, aſcenſio: in quibus primùm Lucretia, Vitellotij Georgij vxor, Meuanienſis, cùm febri continua correpta, plurimos in ægritudine dies duxiſſet; tandem è vita exceſſit. Iam decem poſt illius obitum horæ effluxerant, cùm propinquis Lucretiæ obitum inconſolabiliter lugentibus, dum illi funus paratur; Dominicus quidam Camaſſeus, qui Ioſephi catenæ annulum, quo pleraque iam miracula patrata fuerant, domi aſſeruabat; eos ad B. Viri opem implorandam prouocat; annulóque ſtatim allato, cùm tota domus familia humi proſtrata, Ioſepho pro mortua excitanda, vota obtuliſſet; ac piè Dominicam Orationem cum Salutatione Angelica perſoluiſſet; Dominicus annulo in aquam demerſo, illius aquæ paululum in defunctæ os ſtillat: quo facto, mox oſcitat defuncta, frigida membra caleſcunt, albeſcunt manus, rubeſcit vultus, ac tandem lumina aperiuntur. Repentè clamare omnes, voces extollere; miraculum inclamare; Dei, ac Ioſephi laudes perſonare: Lucretia verò à mortuis excitata, pulſa febri, conualeſcit.

Poſt hanc Carolus Virginiæ Amatricenſis filius, cùm è matris vtero mortuus prodiiſſet; & cunctis in eum, quæ ab obſtetricibus adhiberi ſolent, experimentis tentatis; omni vitæ ſenſu carere probatum eſſet, in lecto componitur, vt primo quoque tempore ſepulturæ donetur. Intereà mater, quæ Ioſephi in eo partu, ex quo moritura credebatur, opem experta fuerat; ſupplex ab eo tantùm filio vitæ poſtulat, quoad ſacra Baptiſmi vnda frui poſſit. Iam quarta ab illius partu hora effluxerat, cùm B. Viri Reliquias, quas etiamnum ſibi impoſitas geſtabat, mortuo filio applicari iubet: quo tempore, dum tota domus familia vnà cum matre piam obſecrationem ad B. Virum fundunt; en infans in vitæ ſignum vagitum edit: quo vniuerſi mox lætitia perfuſi, miraculum exclamant, ſummas Deo laudes perſonant, & ad B Viri ſepulcrum eidem gratias agentes, pergunt: Infans verò ſacro Baptiſmate intinctus, cùm in eo Caroli nomen ſortitus eſſet, ad biennium vſque vitam produxit.

Præter hæc pleraque alia B. Viri miracula enarrantur, quæ ad Crucis, quam is viuens, 7
Leoniſſæ in porta vinearum erexerat, cuius aliàs memini, contactum patrata fuère. Huius nanque Crucis particula collo appenſa Dominicus Luciæ Lauretæ filius febricitans, Eliſabetha Pipia membris trunca, Conforti Leoniſſani filia clauda, Micinella Pulcinia, & Maximilla Ciachetta, dentium diu dolore afflictatæ, incolumitatem aſſequuntur. Quibus & alia quamplurima addi poſſent, quæ ſcripto minimè excepta fuère. At præclarum illud, quod Medicorum iudicio, diuinum comprobatum fuit: ipſius enim ſanguis, quod in vitrea ampulla penes S. Saluatoris Sodalitium Leoniſſæ aſſeruatur; tam recens, rubicundus, ac liquidus conſpicitur; perinde ac ſi ea die ex illius venis hauſtus eſſet. Quo planè & Dei gloria, & B. Viri apud homines ſanctitas in dies illuſtrior apparet; vt qui diuina hæc in Ioſepho miracula ſuſpiciunt, ad altiorem eorum contemplationem emergant.

*Sanguis eius in ampulla aſſeruatus liquidus apparet.*

Neque enim fruſtra hæc à Dei ſeruis ſigna exhibentur: ſed, cùm præclara eius vitæ, 8
ac virtutis teſtimonia ſint, vniuſcuiuſque, ac noſtram præſertim ſocordiam perſtringunt, qui cùm par cum eo vitæ propoſitum amplexi fuerimus: atque eodem curſu regularis vitæ ſtadium percurramus; lentiùs tamen, ac negligentiùs in curſu procedimus: quibus cùm Deus Opt. Max. Ioſephi tum vitam, tum miracula contemplanda proponit, tot contra nos teſtes inſtaurat, quibus negligentiam noſtram coarguat: nam, vt rectè Gregorius monet, *teſtes ſuos contra nos Dominus inſtaurat, cùm electorum vitam prauitati noſtræ contrariam ad arguendos nos, inſtruendóſque multiplicat. Teſtes itaque ſuos contra nos Dominus inſtaurat: quia bona, quæ facere ipſi negligimus, hæc ad correptionem noſtram fieri ab his demonſtrat: vt, qui præceptis non accendimur, ſaltem exemplis excitemur; atque in appetitu rectitudinis nihil ſibi mens noſtra difficile æſtimet, quod perfectè ab aliis peragi videt. Et fit plerunque, vt cùm alienæ vitæ bona conſpicimus, noſtra ſollicitiùs damna timeamus.*

S. Greg. lib. 9. Mor. c. 35.

Huc itaque cùm Sanctorum Virorum virtutes, ac miracula ſpectent; vt his velut ſti- 9
mulo puncti, ad omnium virtutum ſtudia vehementiùs excitemur: & quemadmodum ex igne naturaliter emicat ſplendor, & ex vnguento præſtanti diffunditur odor; ita ex his, quæ præclarè ab eis geſta legit, quiſque ſibi vitæ regulam, ac formam, quam ſequatur, præſcribere debet. In id verò potiſſimùm cuique noſtrûm enitendum eſt, vt quem eiuſdem vitæ, ac Inſtituti conſortem habuimus, huius nobis quoque veſtigia ſectanda proponamus: ac velut ex aſpectu carbonis ardentis, qui omninò tepeſcunt, ad omnium virtutum ſtudia accendantur. *Habet* (inquit Hieronymus) *vnuſquiſque propoſitos Principes ſuos: Romani duces imitentur Camillos, Fabritios, Scipiones, &c. Nos autem habeamus propoſiti noſtri Principes Paulos, Antonios, Hilariones, Macarios.* Hæc ille. At nos Duces, ac Principes noſtros nobis vendicamus Franciſcos, Antonios, Bonauenturas, Ludouicos: & ſi ad noſtra propiùs accedendum ſit, Felices, Fideles, Raynerios, Seraphinos, Ieremias, Laurentios, ac demum Ioſephum, cuius intuentes exitum, imitemur & vitam.

*Sanctorum virorum miracula quorſum ſpectent, perpenditur.*

S. Hieron. ep. 13. ad Paulin.

Aſcenſiones vidimus, quas filius hic accreſcens, in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacry- 10
marum: aſcendentem quoque è valle lacrymarum conſpeximus, donec pertingeret ad Deum Deorum in Sion. Quidni & noſtras cum eo nos quoque aſcenſiones ponamus, vt diuina cum eo viſione nobis frui liceat? Quòd ſi quis ſuæ aſcenſionis modum ignorat,

Bernardum audiat docentem: *Vt aſcendas,* (inquit,) *prius neceſſe eſt leuare te ſuper te, calcando carnalia deſideria, quæ in te militant aduerſùm te. Sequere etiam aſcendentem Crucem, exaltatum à terra: vt non ſolùm ſuper terram; ſed & ſuper omnem quoque mundũ, mentis faſtigio colloceris: vniuerſa, quæ in terris ſunt, deorſum aſpiciens, & deſpiciens, ſicut ſcriptum eſt: Cernent terram de longè. Nulla te mundo oblectamenta inclinent, nullæ aduerſitates deiiciant. Abſit tibi gloriari, niſi in Cruce Domini tui* Iesv *Chriſti, per quem tibi crucifixus eſt: vt quæ mundus appetit, Crucem reputes, & tu crucifixus mundo, illis, quæ mundus Crucem reputat, toto inhæreas amore. Iam verò quid ex hoc reſtat, niſi vt ad illum aſcendas, qui ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula? Diſſolui iam, & eſſe cum Chriſto, multò magis optimum. Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te, ait Propheta ad Dominum: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit: ibit de virtute in virtutem, vſque ad videndum Deum Deorum in Sion.* — *S. Bernard. ſerm. 5. de Aſcenſ. Domini.*

11 Pauci adhuc præter enumeratos, Viri virtute illuſtres referuntur. In Romana Prouincia, Fr. Clemens Velitrenſis, Sacerdos celebratur, qui cùm eximia vitæ integritate, perfectâque regularis obſeruantiæ laude floreret; orationis potiſſimùm ſtudio addictus, ecſtaſis plerunque dono potitus fuit, in qua ſæpè ad quartam vſque horam inſenſibilis permanſit: ac demum Sublaci, virtute plenus è viuis exceſſit. In S. Angeli Prouincia Ivstinvs Neapolitanus, Laïcus, Vir magnarum virtutum, præſertim verò effuſæ in pauperes charitatis commendatur: qua factum eſt, vt Laurentium quendam de Magiſtris, apoſtemate in ventris vmbilico laborantem, iam à Medicis morti adiudicatum, Crucis ſigno perſanauerit. Poſtremò in Cathaloniæ Prouincia, Fr. Hilarion Britannus, Sacerdos, miris virtutibus enituit: virginitatem perpetuò coluit: diem mortis prædixit: ac Perpiniani corporis exuuiis depoſitis, pulchrior poſt mortem molli, ac tenera carne, ac membris flexibilibus præditus apparuit. — *Fr. Clemens Velitrenſis. Fr. Ivstinvs Neapolitanus. Fr. Hilarion Britannus.*

12 Cæterùm inter ea, quæ hoc anno memoranda acciderunt. In Neapolitana Prouincia Matthæus quidam de Afflictis Amalphitanæ vrbis ciuis, vini lagenam noſtris, ſingula quaque hebdomada erogare conſueuerat: at aliquando auaritia ductus, cùm Fratrum Eleemoſynario vinum poſtulanti nihil ſibi vini adeſſe reſpondiſſet; nonnulliſque diebus interlapſis, ſecundò, & tertiò eidem vini eleemoſynam petenti acerbè eidem vinum denegaſſet; contigit, vt eadem die Matthæus in cellam vinariam deſcendens, vnius dolij circulos laxari, ac effundi cerneret: quapropter omnem ſtatim operam impendit, vt dolium circulis vinciat. Verùm, dum in hoc dolio vinciendo inſudat, en ſecundum eodem modo laxatum vinum effundit. Vixque is ad ſecundum accurrit, cùm tertij ferrea vincula diſrumpi, ac vinum diffluere animaduertit. Has inter anguſtias Matthæus concluſus, cùm hæc à Dei vindicta proficiſci non obſcurè agnoſceret; mox genuflectens, ita B.P. Franciſcum precari cœpit: Scio, B.P. Franciſce, ſcio, vnde hæc mihi calamitas fluat: digna hæc meæ auaritiæ retributio eſt: ter immeritò Filiis tuis vinum negaui: tria quoque vini dolia, te vlciſcente, mihi meritò effunduntur: at, ſi vinum contineas, ac iuſtam vindictam temperes, nunquam me deinceps Capucinis Fratribus vinum denegaturum ſpondeo. Vix hæc Matthæus plena animi pœnitudine protulerat, cùm vinum ſiſtere, ac doliorum circulos inuiſibili virtute religari cernit: atque experimento ipſo diſcit, quæ auaritia parantur, citò dilabi: dilapſa verò pietate reparari. — *Capucinis vinum denegans dolia vinum effundentia cernit.*

13 Porrò, ſi hanc in noſtros à ſæcularibus viris Deus charitatem exquirit; quantò ſeueriùs à noſtris, ſicubi res poſtulauerit, eam à Deo exigi credendum erit? Id manifeſto exemplo hoc anno declaratum fuit: in Luceriæ enim Conuentu in Apulia, quæ tunc Nouitiorum Domus erat, cùm ſæculares Nouitij cuiuſdam exigui pretij veſtes pauperibus diſtribuendæ aſſeruarentur, eas Fr. Antonius Nouanenſis Sacriſta, à Prouinciali Miniſtro impetrauerat: vt cuidam ex ſuis propinquo tenuis fortunæ viro, largiretur. Intereà, dum is temporis opportunitatem expectat, feria quinta hebdomadæ maioris, qua locus ad ſacram Euchariſtiam aſſeruandam parari ſolet, imminente; dum apertis Eccleſiæ foribus, in ipſo diei crepuſculo, pio is ſollicitè operi incumbit; pauperculum in Eccleſiæ angulo nudum, ac penè frigore confectum animaduertit: qui cùm totius corporis tremore ſummo ſe algore premi indicaret; piam illi in animo miſeratio- — *Pauperi veſtes non tribuens à Domino corripitur.*

nem excitabat; ita vt mox ſæcularia illa indumenta, quæ propinquo danda parauerat, illi tunc in mentem venerint; quibus pauperis huius nuditas contegi potuiſſet. Agebatur ille conſcientiæ ſtimulis: hinc enim præſentem pauperis nuditatem, ac neceſſitatem; qui inopiæ proculdubiò præferendam ſentiebat: illinc propinqui amor, quo tenebatur ex aduerſo pugnabat. In hac igitur carnis, & ſpiritus lucta, tandem præualuit carnalis propinqui amor. Veruntamen, vt conſcientiæ latratum ſedaret, is panem è communi penu depromptum, ad pauperculum defert, qui eo contempto, atque humi relicto, magna cum Fratris admiratione paulò pòſt euaneſcit. Poſtridie verò, dum eadem hora Eccleſiæ fores aperit; en ſplendidus iuuenis in ipſo Eccleſiæ limine apparet, qui grauiter illum obiurgat, quòd pridie nudum, ac frigore algentem ſæcularibus illis veſtibus, quæ ſibi debebantur, haud contexerit: propinquúmque haud ita indigentem, ob carnis, & ſanguinis vinculum ſibi prætulerit. His dictis, protinus ex ipſius oculis euaſit. Sacriſta verò, qui eum Dominum IESVM eſſe agnouerat; graui ob negatas Chriſto veſtes pœnitudine ductus, multis deinde lacrymis crimen abſterſit.

In Romano Conuentu hoc anno, dum quidam ex noſtris Theologiæ candidatus, noctu 14
lucernam accenſurus, in culinam ſe confert, tres ibi defunctos Fratres offendit, qui facies, ac linguas per ardentes prunas raptantes, ſemiuſtas gerebant: cuius rei cùm ab eis cauſam ſciſcitatus eſſet, reſponderunt, id illis pœnæ iuſtè à Deo inflictum fuiſſe, eò quòd eo in loco ſæpè de abſentibus obmurmuraſſent.

*Frater hypocrita in morte damnatur.*

At ſeuerior Dei vltio alterum Neapolitanæ Prouinciæ Sacerdotem comprehendit, 15
qui & vt apud Superiores exiſtimationem, & apud Fratrum vulgus probitatis ſibi famam compararet; animum vitiis corruptum externis quibuſdam perfectionis operibus, quæ ad animum non pertingerent, omni ſtudio obtegere conabatur: quo fiebat, vt ſe regularis obſeruantiæ in exteriori homine ſtudioſum ſimularet; diutiùs orantem fingeret; & ſi quando iter faciens ad Conuentus aduentaret; ad Matutinas nihilominùs Horas cum cæteris conueniret; atque eiuſmodi exantlaret, quibus apud Fratres, ac præſertim Superiores regularis diſciplinæ, ac virtutis æſtimatione floreret. Hinc ſæpè Guardianatus honores, ac dignitates conſequutus; dum fugientem auram perſequitur, ac probus non eſſe; ſed tantùm videri affectat; tandem in morbum incidit: quo ingraueſcente, cùm à Guardiano illi peccatorum confeſſio indiceretur; is Concionatorem quendam ſibi amicum, ac familiarem, quaſi ſua apud eum crimina depoſiturus, accerſiri poſtulat: quem, cumprimùm acceſſit, his verbis alloquitur: Amice, quandoquidem de æterna mea ſalute actum eſt, huc te aduocandum volui: non, vt meam delictorum confeſſionem excipias; ſed, vt me, pro tua erga me beneuolentia, integrè peccata mea tibi confeſſum eſſe ſimules. Cui Concionator: Quid ais, Frater? Quare peccata tua amico confiteri recuſas? At ille: Mihi (inquit) iam elapſum eſt pœnitentiæ tempus: fruſtrà Confeſſionem exquiris. Concionator verò, cùm multis illum ad diuinæ miſericordiæ ſpem verbis, & argumentis prouocaret: Quid, ait ille, fruſtrà laboras? iam iuſto Dei iudicio condemnatus ſum. Etenim, cùm ſola externæ probitatis facie contentus, animum multis ſemper vitiis labefactatum geſſerim; cùm hactenus nulla vnquam vera peccatorum confeſſione animi maculas eluerim; cùm denique tam graui Sacramentorum abuſu, & impœnitentia tot annorum curriculo, diuinam mihi iram accumulauerim; iuſta nunc Dei vindicta fit, vt nec ſcelera mea confiteri valeam; nec Deo mea ampliùs pœnitentia grata ſit. His dictis, linguam ſibi dentibus in fruſta concidere, atque horrendè in has voces exclamare cœpit: O lingua maledicta, cui ſcelera mea aperire ſemper durum fuit: iuſtam nunc Dei vltionem in partes obtruncata, experire. Cúmque hæc dicens, linguæ fruſta cum ſanguine expueret, inter hos clamores horrendo hinc fine ſublatus fuit: vt inde haud malè Ethnicum illum dixiſſe exploratum ſit, lento gradu ad vindictam ſui, diuinam procedere iram; tarditatémque ſuam ſupplicij grauitate compenſare.

Valer. Max. lib. 1. cap. 1.

*Clericus tertiana febre laborans aduenarum pedes lauans perſanatur.*

At, quò ſeueriorem in improbos, eò benigniorem ſe Deus Opt. Max. in pios, ac humi- 16
les præſtat: quemadmodum hoc exemplo declaratum fuit. In Conuentu Poliniaco Lugdunenſis Prouinciæ, Frater Modeſtus Clericus, tertiana febri diu laborauerat, à qua cùm nullo vnquam remedio curari potuiſſet, accidit, vt duo aduenæ Fratres eò appellerent: quibus dum iuxta conſuetum Religionis morem pedes lauantur, cæteris ad pedum oſcula

confluentibus, is quoque (dies enim à febri illi immunis erat) cum aliis ad humilitatis opus accedens, ita Deum precatur: Deus, qui nos hoc humilitatis exemplo, ad Vnigeniti tui imitationem compuliſti: fac, precor, vt hoc pedum oſculo, quod ad ſacri illius myſterij memoriam, ac venerationem exhibendum paro, febris hæc diutina abſcedat, priſtináque tua virtute incolumitas reparetur. Móxque eorum pedes exoſculatus, omni deinceps febris moleſtia caruit, perfectam incolumitatem conſequutus.

17 Pleræque etiam mulieres hoc anno diu partus doloribus cruciatæ, cannabaceo Ordinis cingulo iis adhibito, ad fœtum prouocantur: inter quas mulier quædam enumeratur, quæ cùm in oppido Villæparchæ, agri Panormitani, vnius iam menſis ſpatio mortuum, ac fœtentem fœtum in vtero geſtaret, ex quo certæ morti adiudicabatur; vix Fratrum chorda præcincta, putridum fœtum incolumis emiſit. Altera quoque Eleonora Iachetta, Panormitana, eodem Ordinis cingulo, partus beneficium nacta, cùm illud pueri cuiuſdam, qui lepræ, ac hydropiſis morbo laborabat, collo appendiſſet; nulla interiecta temporis mora, puer ab vtroque morbo liberatur.

18 Plurima etiam in Ordinis benefactores Dei benignitas elucet, quibus, tum in Neapolitana, tum in Cathalonienſi, ac Hydruntina Prouincia, ob erogatam noſtris eleemoſynam, vinum in doliis diuina virtute augetur. In Mediolanenſi quoque, ac Tirolenſi Prouincia B. P. noſtri Franciſci ligno, quatuor deſperata valetudine ægrotantibus, inſtantanea incolumitas diuinitùs confertur.

19 Supereſt tandem (vt extremum huic Volumini finem imponam) illuſtre admirabilis cuiuſdam obedientiæ exemplum explicandum. In Conigliani Conuentu Venetæ Prouinciæ, in quo ſub Pauli Vtinenſis diſciplina Nouitij educabantur; Nouitius quidam, Alexius nomine, Venetus, tanta ſimplicitate præditus erat, vt eum Fratres iudicij expertem ſuſpicarentur. Quamobrem Magiſter, vt illius virtutem, & obedientiam probet, iubet eum bis ſenas braſſicas in horti muro, qui ſe in pyramidem attollebat, adeóque in ipſa muri cuſpide per totum conſerere: hac tamen conditione, vt aquæ vas, quod ſextarium contineret, ſingillatim è puteo hauſtum, ſingulis quotidie infundat: ac per trium menſium ſpatia, ſuam in iis hoc modo irrigandis, operam impendat, donec muro coaleſcant, ac vegetatæ excreſcant. Feruebant tunc Caniculæ calores; murúſque ex tophis, & calce conſtructus, forulos vndique aperiebat: quapropter Alexius, audito Magiſtri præcepto, animum obedientiæ, manúmque operi parat: nouellas braſſicas, ſcala muro admota in foris plantat; quibus cùm tanta profunditas non eſſet; vt braſſicarum plantulas firmas complecti valerent; eas lapillis vndique collectis obfirmat; aqua quotidie rigat; impigréque impoſitum obedientiæ opus exantlat. Porrò mirabile dictu! cùm braſſica, quæ tunc in pingui horti ſolo ſata fuerat, Solis ardore magna ex parte exuſta aruiſſet, quæ ab Nouitio in muri petra, ſuapte natura ſterili, æſtuante Canicula, plantata fuerat; ita petræ coaleſcit, vt in vberes non modò foliorum ſinus excreuerit; verùm & ſemen, ad nouas braſſicas germinandas genuerit. Hinc Fratres ſumma admiratione obedientiæ factum proſequuti, Dei in Nouitio magnificentiam commendant. Ea quippe veræ obedientiæ vis eſt, vt nihil impoſſibile adſtruat, neque vllas ſuæ virtuti metas præſcriptas agnoſcat: hac enim, & feræ miteſcunt, & concitati maris fluctus ſedantur, & cælorum orbes quieſcunt; & Deo obediente voci hominis Sol medio in cælo ſiſtitur; fluminum curſus intercipitur; aquæ ſicco pede calcantur; arefacta ligna reuiuiſcunt: demùm quicquid vera obedientia à Deo poſtulat, indubiè conſequitur. Neque enim, vt docet Laurentius Iuſtinianus, *Obedientis poteſt repelli oratio, quæ de puritate cordis exhibetur: ſicut enim ſeipſum Deo tradidit, voluntatem propriam immolando; ſic à Deo omne, quod popoſcerit, conſequetur.*

*Illuſtre obediẽtiæ cuiuſdam Nouitij exemplum narratur.*

S. Laurent. Iuſtin. in ſig. vir. de obed. cap. 3.

20 Hic igitur & noſtra quoque Annalium conquieſcit Hiſtoria, quam cùm ab exordio ſola obedientia conceperit, conceptam pepererit, partámque hactenus omni ſtudio proſequuta fuerit; hæc ipſam ad finem vſque perductam concludit. Fateor equidem, me Nouitij illius inſtar; non ſponte, neque ex animi mei ſententia id mihi ſcriptionis aſſumpſiſſe; cùm me nouum, ac rudem potiùs Tyronem, quàm Scriptorem in hiſtorica diſciplina, & ſtylo verſatum agnoſcerem: quod igitur huius Hiſtoriæ conſcribendæ munus à me ſuſceptum fuit; obedientiæ, atque alienæ meorum Superiorum voluntatis opus fuit, mihi

peremptoriè iniunctum: à quo libentiùs abſtinuiſſem, vt prudentiori, ac ſapientiori locum cederem, niſi me ad id Superioris auctoritas compuliſſet. Quapropter nemini mirum videri debet, me duo hæc Annalium Volumina, velut communes braſſicas, non in pingui orationis ſtylo, tanquàm fertili ſolo; ſed in ſterili planè hiſtoricæ narrationis ſtructura ſeruiſſe: neque enim ſtyli, & verborum; ſed rerum mihi ratio ineunda fuit: ac præſertim præſcriptæ mihi obedientiæ præceptum ſpectandum: Superior quidem haud muri ſterilitatem, innatam ſermonis inelegantiam, atque imperitiam ignorabat, cùm in ea mihi Hiſtoriam ſerendam imperaret: at obedientem, nec Præpoſiti intentionem diſcutere, nec præcepta diſcernere; ſed ad id animum duntaxat intendere oportuit: vt quod ſibi præceptum fuit, omni mora poſtpoſita moliretur. Ego ſanè quotidianum laborem in his conſcribendis, vegetandis, prouehendis, quò ad perfectum excreſcerent, haud ſegniter impendi: nudam, ac puram Hiſtoriæ veritatem, qualem ab Ordinis MS. accepi, fideliſſimè aperui: res geſtas ſuo quaſque tempore, ac ordine diſpoſitas digeſſi: nullum denique ſtudium, & laborem prætermiſi, quo iniunctum obedientiæ opus pro viribus diligentiſſimè implerem. Quid verò hac mea ſollicitudine, ac diligentia aſſequutus fuerim, mihi penitùs ignotum. Multa quidem maiori, tum verborum, tum ſententiarum grauitate, ac pondere exarari; plura diligentiùs excoli, & perpoliri; plurima tandem meliùs, & perfectiùs efformari, nulla dubitatione potuêre: at hæc rudis adhuc Tyronis vitia ſunt, quæ obedientiæ virtus vel delere, vel ſaltem obtegere debet.

Quòd ſi mea hæc tandem qualiacunque ſtudia legenti haud inutilia eſſe cuiquam fortè videantur; is non meum; ſed diuinum planè opus, ſola obedientia perfectum, agnoſcat, Deo Opt. Max. acceptum reddat; bonorum omnium auctorem dignis mecum honoribus, & gratiis proſequatur: tum ſeptuagenarium ſenem, miſerum, ſpiritu imbecillem, bonis omnibus exhauſtum, cæleſti ope indigum, & iam iam ad patrios cineres dilabentem, ſua apud Deum oratione fulciat.

*Deo Opt. Max. Gloria, Deiparæ Virgini honor, ac Seraphico Patri laus in ſæcula ſæculorum. Amen.*

# REGESTVM
# BVLLARVM,
# ET DIPLOMATVM,

## DE QVIBVS IN HOC POSTREMO ANNALIVM
## Volumine ſit mentio.

### *BVLLA SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI* GREGORII XIII. *edita anno* 1581. *contra Tertiarios deferentes habitum Capucinis conſimilem.*

IN NOMINE SANCTISSIMÆ, ET INDIVIDVÆ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

N*OVERINT vniuerſi, & ſinguli hoc præſens publicum tranſſumpti inſtrumentum viſuri, lecturi, pariter & audituri, quòd nos Hieronymus Mattheius Protonotarius Apoſtolicus Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ, eiúſque Cameræ, necnon Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Iudex ordinarius, ſententiarum quoque, & cenſurarum, ac Literarum Apoſtolicarum quaruncunque vniuerſalis, ac merus exequutor, ab eodem Sanctiſſimo Domino noſtro Papa ſpecialiter deputatus: Ad inſtantiam R. Fratris Ioannis Mariæ à Tuſa, Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci, Capucini nuncupati, ac R. Commiſſarij, & Procuratoris Generalis, ac aliorum Fratrum dicti Ordinis, omnes, & ſingulos ſua quomodolibet intereſſe putantes, eorúmque Procuratores, ſi qui tunc eſſent in Romana Curia pro eiſdem ad dicendum & excipiendum quidquid in verbo, vel in ſcriptis dicere, vel excipere volunt, & poſſunt, contra, & aduersùs Litteras Apoſtolicas in forma breuis ſub Annulo Piſcatoris, vt moris eſt, expeditas, videndúmque eaſdem tranſſumi, & exemplari, in hanc publicam tranſſumpti formam redigi, mandari, noſtrámque, & Curiæ præfatæ auctoritatem, pariter & Decretum interponi, per audientiam publicam Litterarum contradictarum Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ, vt moris eſt, citari fecimus, & mandauimus ad diem infraſcriptam: qua adueniente comparuit in iudicio coram nobis R. Frater Ioannes Foroſempronianus, vnus ex dictis Fratribus Ordinis Capucinorum prænominatus, ac Socius præfati R. Patris Commiſſarij, & Procuratoris Generalis, & facto dictas Litteras Apoſtolicas in forma breuis ſub Annulo Piſcatoris, vt moris eſt, expeditas ſub datum Tuſculi, quarta Octobris,* 1581. *Pontificatus Sanctiſſimi D. N. Gregorij Papæ XIII. anno decimo præſentauit, quas ad manus noſtras recepimus, eáſque vidimus, & diligenter inſpeximus: & quia ſanas, integras, illæſas, non vitiatas, neque in aliqua ſui parte ſuſpectas; ſed omni prorſus vitio, & ſuſpicione carere reperimus: idcircò illas per Notarium publicum infraſcriptum tranſſumi, exemplari, & in hanc pu-*

*blicam tranſſumpti formam redigi mandauimus, & fecimus; volentes, & auctoritate dictæ noſtræ Curiæ ſtatuentes, quòd huic noſtro tranſſumpto publico de cætero, & in anteà taliter tanta fides in iudicio, & extra adhibeatur, qualis, & quanta originalibus ipſis Litteris Apoſtolicis datur, & adhibetur, ſeu daretur, & adhiberetur, ſi originales ipſæ Litteræ Apoſtolicæ in medium exhibitæ, vel oſtenſæ forent. Tenor verò ſupradictarum Litterarum Apoſtolicarum ſequitur vt infra, videlicet:*

*GRegorius XIII. ad perpetuam rei memoriam. Regularium perſonarum præſertim exemplarem vitam in humilitatis, & paupertatis ſpiritu viuentium quieti, ac indemnitati pro commiſſo nobis paſtoralis officij debito conſulere cupientes, ad ea remouenda, quæ ipſis præiudicium adferre, & ſcandali materiam præſtare dignoſcuntur, curam noſtram libenter intendimus. Accepimus quidem, quòd, licèt aliàs fel. rec. Paulus Papa III. prædeceſſor noſter, per ſuas Literas inter alia diſtrictiùs inhibuerit quibuſvis perſonis, cuiuſcunque conditionis exiſterent, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna eo ipſo incurrenda; ne habitum per Fratres Ordinis Minorum Capucinorum nuncupatorum geſtari ſolitum, niſi ſub Vicarij Generalis eiuſdem Ordinis pro tempore exiſtentis obedientia & cura permanerent, geſtare quoquo modo præſumerent; & piæ memoriæ Pius Papa IV. etiam prædeceſſor noſter Literas Pauli prædeceſſoris huiuſmodi; ita quòd nullus cuiuſcunque conditionis exiſteret, non ſolum habitum præfatum iuxta Litteras Pauli prædeceſſoris huiuſmodi tenorem; verùm etiam nec ita conſimilem, quòd propter eum poſſit credi Frater eorum Congregationis, niſi ſub præfati Vicarij Generalis pro tempore exiſtentis obedientia, & cura permaneret, ſub ſimili pœna excommunicationis latæ ſententiæ quoquo modo geſtare præſumere, per alias ſuas Litteras confirmauerit, & approbauerit, ac etiam ad id extenderit. Nihilominùs multi Fratres Tertiarij Ordinis Minorum Conuentualium Sancti Franciſci nuncupatorum, in Regno Siciliæ degentes, habitum eiuſdem panni, & coloris, quo ipſi Fratres Capucini vtuntur, geſtare; & ſaluo, quòd caputium rotundum more Fratrum Conuentualium huiuſmodi deferunt, in reliquis ita conſimiles eiſdem Fratribus Capucinis incedere præſumunt; vt paſſim à populo pro Capucinis habeantur, & reputentur, ac illis tanquàm talibus eleemoſynæ, & oblationes elargiantur, non ſine eorundem Capucinorum præiudicio, & ſæcularium ſcandalo, qui Capucinos à Regulæ obſeruantia emancipatos credunt, eíſque pecuniarum vſum, ac rerum commercium permitti intuentur. Quocirca nos rationi conſonum eſſe rati, vt qui in obſeruantia vitæ regularis vniformes non ſunt, ab iiſdem etiam habitus delatione diſtinguantur; in primis ad euitandas confuſiones, & contentiones, quæ niſi habitus vtrinque diſtinguatur, oriri poſſent, prouidere volentes; ac ſingulas Litteras Prædeceſſorum huiuſmodi, & in eis contenta quæcunque pro expreſſis habentes; & harum ſeriem approbantes, & confirmantes; atque etiam innouantes, motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra ſtatuimus, & ordinamus; quòd ex nunc de cætero, perpetuis futuris temporibus, huiuſmodi Fratres Tertiarij nuncupati dicti Ordinis Fratrum Minorum Conuentualium in Regno Siciliæ exiſtentes, & ſub obedientia, & cura dicti Vicarij Generalis Capucinorum pro tempore exiſtentis non permanentes, ad inſtar aliorum Fratrum eiuſdem Ordinis Minorum Conuentualium ibidem degentium, non ſolùm caputium rotundum, vt præfertur, ſed etiam habitum eiuſdem coloris, cuius eſt habitus dictorum Fratrum Minorum Conuentualium, videlicet, Berretini nuncupati, vt propterea à Capucinis Fratribus, facilè diſcernantur, deferre debeant, & teneantur. Alioquin, ſi ſecùs fecerint, poſt ſex menſes ab intimatione præſentium, pœnas Conſtitutionum Pauli, & Pij præfatorum incurrant eo ipſo. Decernentes præſentes Litteras de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quopiam defectu, etiam ex eo, quòd intereſſe habentes vocati non fuerint, ſeu quocunque alio prætextu notari, impugnari, inualidari, retractari, aut in ius, vel controuerſiam reuocari, ſed aduersùs eas quodcunque iuris, gratiæ, vel facti remedium impetrare nullo vnquam tempore poſſe. Sicque per quoſcunque Iudices ordinarios, vel delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere: irritum quoque & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominùs vniuerſis, & ſingulis dicti Regni locorum Ordinariis, in quorum Diœc. Fratres Tertiarij Minorum Conuentualium huiuſmodi pro tempore degent, per præſentes committimus, & mandamus; vt per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes Litteras, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, ac*

quoties pro parte Capucinorum præfatorum, vel aliorum, quorum intererit, fuerint requiſiti, ſolenniter publicantes faciant auctoritate noſtra Litteras, & in eis contenta huiuſmodi ab omnibus, ad quos ſpectat, & ſpectabit, quomodolibet in futurum, ſublato quocunque exemptionis priuilegio, inuiolabiliter obſeruari. Contradictores quoſlibet, & rebelles per prædictas, aliaſque ſententias, cenſuras, & pœnas, aliaque iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habitis ſeruatis proceſsibus, ipſas ſententias, cenſuras, & pœnas, etiam iteratis vicibus aggrauando: inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus præmiſsis, ac Apoſtolicis, necnon in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis, etiam ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam proprio motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine, ſimilibus, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet conceſsis, approbatis, & innouatis. Quæ omnia aduersùs præmiſſa nullatenus ſuffragari volumus, contrariis quibuſcunque, etiamſi Fratribus Tertiariis prædictis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diuiſim, ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſsint, per Litteras Apoſtolicas continentes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Volumus autem, quòd præſentium tranſſumptis etiam impreſsis, manu publici Notarij ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus vbique in iudicio, & extra, fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Tuſculi ſub Annulo Piſcatoris, die 4. Octobris, 1581. Pontificatus noſtri anno 10.

Locus ✠ Annuli Piſcatoris. Cæsar Glorierius.

Super quibus omnibus, & ſingulis præmiſsis, tanquam ritè, rectè, & legitimè factis, noſtram, dictæque Curiæ noſtræ auctoritatem pariter, & Decretum interponendum fore, & eſſe duximus, & interpoſuimus; prout interponimus per præſentes. In quorum omnium, & ſingulorum præmiſſorum fidem, robur, & teſtimonium præſentes fieri, & per Notarium noſtrum publicum infraſcriptum ſubſcribi, ſigilliique Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ, quo in talibus vtimur, iuſsimus, & fecimus, appenſione communiri. Datum Romæ in Ædibus noſtris, ſub anno à Natiuitate Domini Noſtri Iesv Chriſti milleſimo quingenteſimo octogeſimoprimo, Indictione nona, die verò trigeſimatertia menſis Octobris. Pontificatus Sanctiſsimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri, Domini Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. anno eius decimo. Præſentibus ibidem Dominis Pompeio Antonino, & Antonio Guidotto, Curiæ noſtræ Notariis, teſtibus ad præmiſſa omnia, & ſingula habitis, vocatis ſpecialiter, atque rogatis.

Locus ✠ ſigilli.

Pro ſucceſſore in officio D. Ioannis Antonij Curti olim Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarij de præmiſsis etiam rogatus, ego Pompeius Valerius, eiuſdem Curiæ Notarius, præſens Inſtrumentum ſubſcripſi requiſitus, & tranſumptum in forma probante.

## APOSTOLICA INHIBITIO FACTA anno 1582. Fratribus Ioannis Dei, & Minoribus Conuentualibus Reformatis, ne ſoleas, caputium, & habitum Capucinis conſimilem geſtent.

Hieronymus Mattheius, Protonotarius Apoſtolicus Sanctiſsimi D.N. Papæ, eiúſque Camerarij, necnon Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Iudex Ordinarius, ſententiarum quoque, & Cenſurarum in eadem Romana Curia, & extrà latarum, ac Litterarum Apoſtolicarum quaruncunque vniuerſalis, & merus exequutor ab eodem S. D. N. Papa ſpecialiter deputatus, necnon vtriuſque Sanctitatis ſuæ ſignaturæ Referendarius: Vniuerſis, & ſingulis DD. Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurariis, Sacriſtis, tam Cathedralium, quàm Collegiatarum, Canonicis, Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, ſeu Locumtenentibus, eorundémque

Plebanis,

*Plebanis, Viceplebanis, Capellanis, Curatis, & non Curatis, Vicariis perpetuis, Altariſtis, cæteriſque Presbyteris, Clericis, Notariis, & Tabellionibus, publicis quibuſcunque vbilibet conſtitutis, & eorum cuilibet in ſolidum, ad quem, & ad quos præſentes noſtræ Litteræ peruenerint, & præſentabuntur, ſalutem in Domino, & præſentibus fidem indubiam adhibere, noſtriſque huiuſmodi, imò veriùs Apoſtolicis firmiter obedire mandatis. Noueritis, quòd nuper pro parte R R: Vicarij Generalis, Procuratoris, & Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum, Nobis expoſitum fuit, quòd licèt quæcunque perſonæ, cuiuſcunque conditionis exiſtentes, non potuerint, nec debuerint habitum per ipſos Fratres Capucinos deferri ſolitum, nec conſimilem deferre, & geſtare, niſi de licentia Vicarij Generalis pro tempore exiſtentis, & ſub eius obedientia, & cura permaneant, etiam ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, vt ex Bulla fel. rec. Pij Papæ IV. confirmationis Priuilegiorum eidem Ordini, & Fratribus per fel. rec. Paulum III. & alios Romanos Pontifices conceſſorum, inter cætera clariſſimè apparet, expedita ſub plumbo, & data Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1560. quarto Non. Aprilis, Pontificatus eiuſdem fel. rec. Pij IV. anno 1. Tamen pleraſque perſonas habitum prædictum geſtare, & deferre non vereri abſque licentia Vicarij Generalis eiuſdem Ordinis, & ſine aliqua obedientia, & cura, excommunicationes, aliáſque eccleſiaſticas ſententias, cenſuras, & pœnas in Bulla prænarrata contentas damnabiliter incurrendo. Quare pro parte eorundem Reuerendorum Fratrum, Vicarij, & Procuratoris Generalium, & Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum, ſuper præmiſſis de opportuno iuris remedio prouidere requiſiti, diſcretioni veſtræ, & cuiuſlibet veſtrûm tenore præſentium committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus ſtatim viſis, & receptis præſentibus, & poſtquàm præſentium vigore fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrûm fuerit requiſitus, ex parte noſtra, imò veriùs Apoſtolica auctoritate, inhibeatis, prout Nos præſentium tenore inhibemus omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus perſonis, cuiuſcunque ſtatus, gradus, & conditionis fuerint, præſertim Fratribus nuncupatis* Giouan di Dio, *& Fratribus nuncupatis,* Reformati Conuentuali, *in Ciuitate Neapolitana, ſeu eius diſtrictu, ex aduerſo principalibus in exequutione præſentium nominandis, & cognominandis ſub mandati exequutiui, & in iuris ſubſidium excommunicationis, aliíſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, etiam in prænarrata Bulla, & Litteris Apoſtolicis fel. rec. Pij Papæ IV. contentis, & bis mille ducatorum auri de Camera locis piis arbitrio noſtro applicandorum pœnis, audeant, vel præſumant, aut eorum aliquis audeat, vel præſumat, habitum per Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci, Capucinos nuncupatos, geſtari ſolitum; ſcilicet, ſcarpas, & ſandalia, veſtes coloris cineritij, cordas, & caputium, nec conſimilem quoquo modo, ac ſub quouis prætextu, & cauſa deferre, niſi de licentia R.P. Vicarij Generalis eiuſdem Ordinis nunc, & pro tempore exiſtentis, & ſub eius obedientia, & cura permaneat. Et inſuper modo, & forma præmiſſis moneatis, & requiratis, prout Nos tenore præſentium, monemus, & requirimus primò, ſecundò, & tertiò, peremptoriè eoſdem, quatenus intra ſex dierum ſpatium, à die monitionis huiuſmodi eis factæ immediatè ſequentium, quorum ſex dierum, duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos dies pro tertio, & peremptorio termino, ac monitione canonica aſſignamus, & vos aſſignetis eiſdem ſub eiſdem ſententiis, cenſuris, & pœnis, quòd debeant habitum prædictum omninò dimittere, & ab illius geſtatione, & delatione ceſſaſſe, & ſeſe abſtinuiſſe, iuxta, & ſecundùm prænarratarum Bullæ Pij IV. & Litterarum Apoſtolicarum formam, & tenorem, Litteriſque prædictis, & præſentibus noſtris paruiſſe, & obediuiſſe in omnibus, & per omnia, ac de paritione & obedientia Nos intra viginti dierum ſpatium certificaſſe. Alioquin, niſi paruerint, & de paritione & obedientia docuerint modo, & forma præmiſſis, peremptoriè citare curetis, & citetis, prout Nos tenore præſentium citamus eoſdem, quatenus prima die iuridica poſt dictos viginti dies immediatè ſequenti, qua Nos, ſeu R.P.D. in ciuilibus cauſis, Locumtenentem noſtrum ad iura reddendum, & partium cauſas audiendum Romæ pro tribunali ſedere contigerit, compareant in iudicio legitimè coram Nobis, aut eodem Locumtenente noſtro prædicto; per ſeſe, vel Procuratorem, ſeu Procuratores ſuos idoneos, ad videndum, & audiendum, ſe in ſententias, cenſuras, & pœnas prædictas incidiſſe, & incurriſſe, declarari, & deinde aggrauari, & reaggrauari cum inuocatione auxilij brachij ſæcularis; vel dicendum cauſam, ſi quam habeant rationabilem; & quare præmiſſa fieri non debeant, allegandum. Certificantes nihilominus eoſdem ſic citatos, & monitos, quòd, ſiue in dicto citationis, & monitionis termino comparuerint, ſiue non; Nos nihilominùs, vel Locumtenens noſter prædictus ad præmiſſa, & alia grauiora, procedemus, ſeu pro-*

*cedet,*

*cedet, iuſtitia mediante, dictorum citatorum, & monitorum contumacia, vel abſentia in aliquo non obſtante. Abſolutionem verò in præmiſſis Nobis, vel Superiori noſtro tantummodo reſeruamus. In quorum omnium, & ſingulorum præmiſſorum fidem præſentes fieri, & per Notarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi, ſigillique R. Cameræ Apoſtolicæ, quo in talibus vtimur, iuſſimus, & fecimus appenſione communiri. Datum Romæ ex Ædibus noſtris, ſub anno à Natiuitate eiuſdem Domini noſtri* IESV *Chriſti* 1582. *Indictione* 10. *die verò* 22. *menſis Iunij, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N.D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. anno* 11. *Franciſcus B.......... Curiæ cauſarum...... Hieron. Aud. .......... Cameræ Apoſtolicæ Notarius.*

## INVOCATIO BRACHII SÆCVLARIS CONtra Fratres Ioannis Dei, caputium, & habitum Capucinis conſimilem geſtantes, edita anno 1588.

*INuictiſſimo & Potentiſſimo Rodulpho ab Auſtria Romanorum Imperatori Electo ſemper Auguſto, ac Sereniſſimo, & Chriſtianiſſimo Francorum, & Catholico Hiſpaniarum, aliiſque Sereniſſimis aliorum Regnorum Reipublicæ Chriſtianæ Regibus, Rerumpublicarum, & quoruncunque ſtatuum, & Prouinciarum Ducibus, Poteſtatibus, Magiſtratibus, & Rectoribus, eorúmque Illuſtriſſimis, & Excellentiſſimis DD. Proregibus, Viceducibus, & Gubernatoribus, ac Illuſtriſſimis & Reuerendiſſimis DD. Sedis Apoſtolicæ Legatis, Nunciis, Epiſcopis, Archiepiſcopis, Patriarchis, & aliis quibuſcunque in dignitate eccleſiaſtica conſtitutis; ac Illuſtriſſimis Dominis Principibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Caſtellanis, Arcium Præfectis, ac quaruncunque Prouinciarum, ciuitatum, terrarum, & locorum Gubernatoribus, Vicariis, Poteſtatibus, Auditoribus, Locatenentibus, Iudicibus ordinariis, & extraordinariis, ac Delegatis, & Subdelegatis quibuſcunque, Bariſellis quoque executoribus, cæteriſque iuſtitiæ Miniſtris, quibuſcunque quoquo nomine nuncupatis, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos, quibus præſentes noſtræ Litteræ peruenerint per totum Orbem terrarum. Auguſtinus Cuſanus, Protonotarius Apoſtolicus, S.D.N Papæ, necnon Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generalis Auditor, Romanæque Curiæ Iudex Ordinarius, ſententiarumque quoque, & cenſurarum in eadem Romana Curia, & extra eam latarum, ac Litterarum Apoſtolicarum quaruncunque vniuerſalis, & merus Executor ab eodem S. D. N. ſpecialiter deputatus, ſalutem in Domino, & noſtris huiuſmodi, imò veriùs Apoſtolicis firmiter obedire mandatis. Noueritis nuper coram nobis pro parte, & ad inſtantiam R.P.F. Hieronymi de Politio, Siculi, Ordinis Minorum S. Franciſci, Capucinorum nuncupatorum, Vicarij Generalis, ac R.P.F. Chriſtophori de Aſiſio, eiuſdem Religionis Procuratoris, & Commiſſarij Generalis principalium comparitum, & expoſitum fuiſſe, quòd cùm aliàs fel. record. Paulus Papa III. attendens vberes fructus, quos Ordo ipſe Minorum in agro militantis Eccleſiæ eatenus produxerat, & in poſterum producturum ſpe firma ſperabat; ac dignum cenſens, vt circa ea, quæ ipſius Ordinis incrementum concernebant, benignos fauores impenderet, ſupplicationibus nonnullorum tunc expreſſorum Fratrum dicti Ordinis inclinatus, nonnullas litteras piæ mem. Clementis VII. eiúſque Prædeceſſoris, nonnullis Fratribus tunc expreſſis Ordinis Minorum, vitam eremiticam ducere nunc, & pro tempore, toties, quoties, in quibuſuis locis, & quantum humana patiebatur fragilitas, Regulam Beati Franciſci obſeruare cupientibus, conceſſas Apoſtolica auctoritate, ex certa ſcientia ſua approbans, & confirmans, illas tunc, & pro tempore exiſtenti Vicario Generali Congregationis Capucinorum, ac ipſius Congregationis Fratribus, perinde ac ſi illæ eiſdem Congregationi, & Fratribus directæ fuiſſent, quoad omnia, & ſingula ipſis Litteris contenta ſuffragari debere decreuit: & nihilominus auctoritate, & ſcientia ſimilibus per ſuas ſub plumbo confectas Litteras, nonnulla pro dictis RR. Fratribus Capucinis ſtatuit, & ordinauit, diſtrictiùs inhibens quibuſcunque Perſonis, cuiuſcunque conditionis exiſterent, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, eo ipſo incurrenda, ne habitum per eos deferri ſolitum, niſi ſub prædicti R. Vicarij Generalis pro tempore exiſtentis obedientia, & cura permaneant, geſtare quoquo modo præſumant: & ſucceſſor ſanctæ mem. Pius Papa IV. per eius Litteras ſub plumbo expeditas ſub datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ, 1560. quarto Nonas Aprilis, Litteras prædicti Pauli prædeceſſoris*

*huiuſmodi, & omnia, & ſingula in eis contenta, ita quòd nullus cuiuſcunque conditionis exiſtat, non ſolùm Capucinorum habitum, iuxta prædictarum Litterarum Pauli prædeceſſoris tenorem; verùm etiam nec ita conſimilem, quod propter eum poßint credi Fratres eorum Congregationis, niſi ſub prædicti eorum Reuerendi Patris Vicarij pro tempore exiſtentis obedientia, & cura permaneant, ſub ſimili pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quoquo modo geſtare præſumant, auctoritate Apoſtolica prædicta confirmauit, & approbauit; ac omnia, & ſingula in eiſdem Litteris d. fel. record. Pauli Papæ III. contenta prædicta denuò conceßit, ac deinceps fel. record. Gregorius XIII. per eius Litteras in forma Breuis ſub Annulo Piſcatoris expeditas, die 4. Octobris, anno 1581. Pontificatus anno 10. ſpecialiter, & expreſſè præfatas Conſtitutiones Pauli III. & Pij IV. quoad caputij, & habitum Fratrum Capucinorum geſtationem approbauit, confirmauit, & innouauit, prout in præfatorum Summorum Pontificum Litteris coram Nobis exhibitis plenius continetur, quódque per Illuſtrißimos DD. Cardinales ſacræ Religionum Congregationis vigore auctoritatis, & facultatis eiſdem à S.D.N. Sixto diuina prouidentia Papa V. per ſuas Litteras in forma Breuis ſub Annulo Piſcatoris, vt moris eſt, & legitimè expeditas, ſub datum Romæ apud S. Marcum, die 13. Iunij, anno 1587. Pontificatus ſui anno 3. attributæ, inſtantibus RR. Fratribus Capucinis ſancitum, & decretum fuit, prout in quadam papyri cedula per Illuſtrißimum, & Reuerendißimum D. Cardinalem Alexandrinum ſubſcripta, & firmata, & eius ſigillo munita, & R.P. Generali prædictæ Societatis S. Ioannis Dei intimata, coram Nobis vnà cum intimatione exhibita tenoris infraſcripti.*

*Sacra Regularium Congregatio inſtantibus Fratribus Capucinis cenſuit, Confratres Societatis Ioannis Dei nullatenus debere geſtare habitum cum caputio oblongo, ſiue acuto; ſed rotundo; ſub pœna carceris, Congregationis arbitrio: licentiam propterea conceßit ipſis Fratribus Capucinis, omnes contrafacientes carcerari faciendi, die 16. Ianuarij, 1588. Cardinalis Alexandrinus. Georgius Palearius Secret.*

Locus † ſigilli.

*Et expoſito Nobis pro parte, & ad inſtantiam eorundem RR. Patrum, & Vicarij, & Procuratoris Generalium, quòd aliqui ex Confratribus Societatis Ioannis Dei, & forſan nonnulli alij habitum cum caputio oblongo, ſiue acuto abſque licentia R.P. Vicarij Generalis Ordinis Capucinorum, contra formam Ordinationum, & Conſtitutionum præfatorum Summorum Pontificum, in maximum animæ ipſorum contrauenientium detrimentum, in dedecus, & vilipendium ſacræ Religionis Capucinorum, & populorum ſcandalum geſtare audent, & præſumunt, cupientéſque prædicti RR. Patres, Vicarius, Procurator, & Commiſſarius Generales, prædictas Litteras Apoſtolicas, & Decretum prædictæ ſacræ Congregationis ſuum (vt par eſt) debitum ſortiri effectum, debitámque executionem conſequi, ad Nos, tanquàm ſimilium executorem, recurſum habuerunt, vt in præmißis de opportuno iuris remedio prouidere, & in executionem præmiſſorum contrafacientes brachium ſæculare, & mandatum executiuum decernere, & concedere dignaremur. Nos tunc attendentes, volentéſque mandata Apoſtolica (vt conuenit) reuerenter exequi, & ſtante intimatione prædicti præinſerti Decreti dicto R. Patri Generali Societatis Ioannis Dei intimati, ac etiam eo iterum citato ad dicendum contra prædictas Litteras Apoſtolicas, & præinſertum Decretum, & in illarum, & in illius exequutionem prædictum mandatum executiuum, & brachium ſæculare decerni, & relaxari, eóque nihil releuans, allegantibus, petentibus, & inſtantibus dictis RR. Patribus Vicario, & Procuratore, & Commiſſario Ordinis Capucinorum, illud decernendum, & relaxandum fore, & eſſe duximus, prout decernimus, & relaxamus per præſentes. Quæ omnia, & ſingula ſupradicta Vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis intimamus, inſinuamus, & notificamus, & ad veſtram, & cuiuſlibet veſtrûm notitiam deducimus, & deduci volumus per præſentes. Quocirca Vos Inuictißimum Romanorum Imperatorem, & Sereniſsimos Reges, & alios Dominos temporales iuriſdictiones exercentes, ac Illuſtrißimos DD. Legatos in Domino attentè rogamus, & hortamur, quatenus veſtram in hac parte dexteram extendentes, tanquàm Iuſtitiæ & fidei Zelatores; Vobis verò omnibus, & ſingulis iuriſdictionem eccleſiaſticam exercentibus, ac DD. Iudicibus, & Iuſtitiæ Miniſtris, & veſtrûm cuilibet in ſolidum tenore præſentium committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis, & ſuſpenſionis à diuinis reſpectiuè pœnis, diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus ſtatim viſis præſentibus, & poſtquàm pro parte dictorum Fratrum Capucinorum, aut alicuius eorum fueritis requiſiti, aut alter veſtrûm fuerit requiſitus, ex parte noſtra, imò veriùs Apoſtolica auctoritate, omnes, & quoſcunque Con-*

*fratres Societatis Ioannis Dei, & alios quoſcunque geſtantes habitum cum caputio oblongo, ſiue acuto, carceretis, & in carceribus detineatis, & per captionem corporum, & perſonarum eorundem cogatis, & compellatis ad dimittendum, & relaxandum dictum habitum cum caputio oblongo, ſiue acuto; nec ceſſetis, nec ceſſari faciatis, donec dictum habitum dimiſerint, & habitum cum caputio rotundo, iuxta formam præinſerti Decreti ſacræ Congregationis, detulerint, beneficiúmque abſolutionis ab excommunicationis ſententia, in quam de facto propterea incurrerint, obtinuerint, prænarratiſque Apoſtolicis Litteris, & dicto Decreto in omnibus, & per omnia obtemperauerint, & paruerint, ac parere promiſerint, in præmiſsis taliter Vos habentes, quòd nota contemptus, ſeu contumaciæ Vobis nullatenus adſcribatur. In quorum fidem præſentes noſtras Litteras, ac alias in papyro folio impreſſas, vt in diuerſis mundi partibus transmitti poſsint, & per Notarium infraſcriptum ſubſcribi, ſigillique Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ iuſsimus, & fecimus appenſione communiri. Datum Romæ in Ædibus noſtris, ſub anno à Natiuitate Domini Noſtri IESV Chriſti 1588. Indictione 1. die verò 12. Menſis Maij, Pontificatus S. D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno eius 4.*

CINTHIVS CELLIVS *Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarius.* *Alfonſus Vicecomes Vic.*

Locus † ſigilli.

## DECRETVM APOSTOLICVM EDITVM anno 1588. ſub Sixto V. Pont. quo cauetur, ne Fratres S. Franciſci de Paula Capucinos; nec Capucini è conuerſo Fratres S. Franciſci de Paula recipiant.

### IN NOMINE SANCTISSIMÆ, ET INDIVIDVÆ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

*AVguſtinus Cuſanus Protonotarius Apoſtolicus, S. D. N. Papæ, eiúſque Camerarij, necnon Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor. Vidimus, legimus, & diligenter inſpeximus Litteras Apoſtolicas fel. rec. Pij Papæ V. in forma Breuis ſub Annulo Piſcatoris, vt moris eſt, legitimè expeditas, vnà cum illarum intimatione à tergo illarum adnotata, ſanas ſiquidem, integras, illæſas, non cancellatas, non vitiatas, nec in aliqua parte ſuſpectas; ſed omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentes, ac etiam quoddam Decretum per Illuſtriſsimos DD. Cardinales Sacræ Regularium Congregationis, & per Illuſtriſsimum & Reuerendiſsimum D. Cardinalem Alexandrinum ſubſcriptum, & eius ſigillo munitum. Ideò dictas Litteras pro parte, & ad inſtantiam Reuerendi Patris Fratris Hieronymi Poliza, Siculi, Ordinis S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Vicarij Generalis, ac R. P. Fratris Chriſtophori de Aſsiſio, eiuſdem Ordinis & Religionis Procuratoris, & Commiſſarij Generalis, tranſſumi & exemplari, & in hanc publicam tranſſumpti formam mandauimus, & fecimus. Quarum quidem Litterarum tenor talis eſt, vt infrà:*

*Pius Papa V. ad perpetuam rei memoriam. Sedis Apoſtolicæ ſolertia, dum ad ſalutare quorundam remedium extructa in eorum detrimentum vergere conſpicit, ne quod illis profuturum maturitate ſumma prodiiſſe comperitur, noxium incauto miniſterio efficiatur, celeris prouiſionis opem afferre conſueuit, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Sanè accepimus, quòd cùm aliquando contingat aliquos Fratres Religioſos, tam Ordinis S. Franciſci Capucinorum, quàm eiuſdem S. Franciſci de Paula, Minimorum nuncupatorum, de vno loco ad alium, & forſan abſque ſuorum Superiorum licentia transferri, exinde perturbationes, & mala exempla inter eoſdem Fratres ſæpius oriri ſolent. Nos cupientes perturbationibus, & malis exemplis huiuſmodi, quantùm cum Deo poſſumus, obuiare, Motu proprio, non ad alicuius inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia noſtra, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus, nullus ex Fratribus Capucinis ad dictum Ordinem S. Franciſci de Paula; nec è conuerſo, quòd nullus Frater eiuſdem S. Franciſci de Paula ad Ordinem Capucinorum huiuſmodi vllo vnquam tempore, ex quacunque etiam quantuncunque iuſtiſsima cauſa, etiam de licentia ſuorum Superiorum, ſe transferre poſsit, Apoſtolica auctoritate,*

*tenore præſentium, perpetuò ſtatuimus & ordinamus. Decernentes ſtatutum, & ordinationem huiuſcemodi per Fratres prædictos ſub indignationis noſtræ pœna inuiolabiliter obſeruari debere, ac ex nunc irritum, & inane, quidquid ſecùs ſuper his à quoquam quauis auctoritate, tam ordinaria, quàm delegata, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, vel Ordinationibus, ac Statutis, & conſuetudinibus, cæteríſque contrariis quibuſcunque. Cæterùm, quia difficile foret, præſentes Litteras ad ſingula quæque loca, in quibus de eis fides forſan facienda foret, deferri: Volumus, quòd ipſarum tranſſumptis, manu publici Notarij ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, in iudicio & extra, vbi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die ſexta Octobris, 1567. Pontificatus noſtri anno ſecundo. Cæſar Glorierius.*

Locus † Annuli.

*Tenor verò dictæ inſertæ à tergo eſt talis, videlicet:*

*In nomine Domini. Amen. Per præſens publicum inſtrumentum cunctis pateat euidenter, & ſit notum, quòd anno à natiuitate eiuſdem Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimoſeptimo, Indictione decima; die verò decimaoctaua, menſis Decembris, Pontificatus autem S. in Chriſto Patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius ſecundo, ego Notarius publicus infraſcriptus requiſitus pro parte R. Fratris Bonauenturæ de Regio, Commiſſarij Generalis Fratrum Ordinis S. Franciſci Capucinorum, in eius præſentia retroſcriptas Litteras in forma Breuis, ſub Annulo Piſcatoris expeditas præſentaui, inſinuaui, notificaui R. Fr. Ioanni Iude, Commiſſario Generali Ordinis S. Franciſci de Paula, perſonaliter inuento, & apprehenſo in eius Camera cubiculari, poſita in Monaſterio Sanctiſſimæ Trinitatis de Vrbe, eum requirendo, vt de huiuſmodi diſpoſitione & voluntate Apoſtolica, quos opus fuerit, certiores faciat. Et ne de præmiſſis ignorantiam prætendere, vel allegare poſſit, huiuſmodi Breuis Apoſtolici copiam cum originali diligenter auſcultatam eidem dimiſi. Super quibus omnibus, & ſingulis præmiſſis, idem R. Fr. Bonauentura vnum, ſeu plura publicum, ſeu publica fieri, atque confici inſtrumentum, & inſtrumenta petiit. Actum Romæ vbi ſuprà, ibidem præſentibus Hieronymo q. Mag. Ioannis Mariæ de Ferrariis Mediolan. & Angeluccio Pauli de Toſſia Farfen. Diœceſis, teſtibus ad præmiſſa vocatis, atque rogatis. Et quia ego Fabritius Gallettus Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarius de præmiſſis rogatus fui; ideò præſens inſtrumentum manu aliena fideliter ſcriptum ſubſcripſi in fidem præmiſſorum requiſitus. Locus † ſigni. Decreti verò tenor eſt talis, vt ſequitur: Illuſtriſſimi & R.S. il Procuratore de Frati Capucini ſupplica le SS.VV. Illuſt. reſtin ſeruite diſpedire la cauſa, che verte tra li Frati de S. Franceſco de Paola, è li Frati Reformati, & ordinare in conformità del motu proprio di Pio V. di ſanta mem. & anco d'altri priuilegij conceſſi à Capucini, che detti Frati Paolini, è Reformati non debbano riceuere più nelle loro Religioni li ſudetti Frati Capucini, come hanno fatto nell'adietro, in graue danno di detti Capucini. Auditis in ſacra Regularium Congregatione partibus decretum fuit, ſeruandam fuiſſe, & eſſe Bullam Pij V. ſanctæ mem. de qua ſuprà die 14. Iunij, 1638. Cardinalis Alexand. Locus † ſigilli. Decernentes, & volentes, vt huic noſtro tranſſumptui, cum prædictis Litteris, & decreto auſcultato, & collationato, talis, & tanta fides adhibeatur, qualis, & quanta ipſis Litteris originalibus adhiberetur, ſi in medium exhibitæ forent. Super quibus omnibus, & ſingulis, tanquàm ritè, & legitimè factis, auctoritatem noſtram interpoſuimus, & Decretum. In quorum omnium & ſingulorum fidem præſentes fieri, & per Notarium noſtrum ſubſcribi, ſigillique noſtri, quo in talibus vtimur, iuſſimus, & fecimus appenſione muniri. Datum Romæ in Ædibus noſtris ſub anno à Natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo octauo, die verò trigeſima menſis Auguſti, Pontificatus S.D.N. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno eius quarto, præſentibus ibidem DD. Scipione Grimaldo & Franciſco Belgio Curiæ noſtræ Notariis ad præmiſſa vocatis, atque rogatis.*

Locus † ſigilli.

CINTHIUS CELLIUS, *Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Not.*

ALPH. VICECOMES.

## BVLLA SANCTISSIMI D. N. PAPÆ GREGORII XIII. contra Minores Conuentuales Reformatos deferentes habitum Capucinis conſimilem edita, anno 1591.

### GREGORIVS PAPA XIV.
Ad perpetuam rei memoriam.

*Beati Franciſci Confeſſoris Sodalitas ab vno Fundatore inſtituta, & ad eundem Dei finem ordinata, vniúſque Seraphicæ Religionis nomine nuncupata in plures ſodalitates, & membra apoſtolica permiſſione diuiditur, & quaſi circumamicta varietate, prout pietas diuerſimodè madet, corde vno, & anima vna Deum colit, & inſtar agri Dominici varios, atque vberes fructus quotidiè profert, & diſtinctiores, & abundantiores, vt confidimus, in dies proferre non ceſſat. Sanè, cùm ad aures noſtras peruenerit, aliàs fel. rec.* PAVLVM PAPAM III. *prædeceſſorem noſtrum inter alia per ſuas in forma Breuis Litteras quibuſuis perſonis, cuiuſcunque conditionis exiſterent, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna eo ipſo incurrenda, ne habitum per Fratres Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum geſtari ſolitum, niſi in eadem Congregatione eſſent, & ſub moderni, & pro tempore exiſtentis Generalis eiuſdem Ordinis obedientia, & cura permanerent, geſtare quoquo modo præſumerent, diſtrictiùs inhibuiſſe. Et piæ mem.* PIVM PAPAM IV. *etiam prædeceſſorem noſtrum Litteras eiuſdem* PAVLI *prædeceſſoris confirmando, inſuper non ſolùm ne habitum prædictum iuxta Litterarum ipſius* PAVLI *prædeceſſoris huiuſmodi tenorem; verùm etiam nec ita conſimilem, quòd propter eum poſſent credi Fratres Congregationis Capucinorum, geſtare deberent; ſub eadem excommunicationis pœna eo ipſo incurrenda, prohibuiſſet: & ſimiliter fel. rec.* GREGORIVM PAPA XIII. *& prædeceſſorem noſtrum, Litteras prædeceſſorum huiuſmodi, & in eis contenta quæcunque pro expreſſis habendo, & innouando, motu proprio, & ex certa eius ſcientia, eoſdem Fratres, qui Tertiarij ex Ordine Conuentualium dicuntur, non ſolùm caputium rotundum, ſed etiam habitum coloris berettini, ſeu ſubcineritij ad inſtar eorundem Conuentualium deferre deberent, ita vt à Fratribus Capucinis facilè diſcernerentur, ſub eiſdem* PAVLI III. & PII IV. *pœnis poſt ſex menſes ipſo facto incurrendis, ſtatuiſſe, & ordinaſſe. Verùm, quia iidem Fratres, qui Reformati Conuentualium dicuntur, ita conſimiles eiſdem Fratribus Capucinis incedere præſumunt, vt paſſim à populo pro Capucinis habeantur, & illis tanquàm Capucinis eleemoſynæ, & oblationes conferuntur, non ſine graui plebis offenſione, & ſcandalo, dum reputantur Capucini eſſe: idcircò rationabile exiſtimantes, vt qui ex inſtituto Regulæ, atque in vitæ regularis obſeruantia vniformes non ſunt, etiam habitus diſtinctione dignoſcantur; vtque prædeceſſorum huiuſmodi Litterarum contemptus, & contumacia, ſeuerioris diſciplinæ cenſuram inueniat, ad euitandas etiam confuſiones & contentiones, quæ exinde oriri poſſent; hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione, ſingulas Prædeceſſorum huiuſmodi Litteras, & in eis contenta pro expreſſis habentes, & harum ſerie approbantes, & confirmantes, atque innouantes; Motu etiam ſimili, & ex certa ſcientia noſtra ſtatuimus, & ordinamus, quòd ex nunc de cætero perpetuis futuris temporibus, huiuſmodi Fratres Reformati non ſolùm in Vrbe, ſed etiam vbique locorum, per vniuerſum Orbem exiſtentes, vt verè, & realiter à Capucinis diſtinguantur, præter caputium penitùs rotundum, & colorem berettinum, vel ſubcineritium, vt præmiſſum eſt, & mantellum longius ad Conuentualium longitudinem deferre, & mozzettam latam, & longam, non ſub mantello, ſed ſupra geſtare teneantur. Inſuper ſtrictiori Capucinorum prædictorum vitæ conſulentes, ne ab eiſdem Reformatis ipſi Capucini admitti, vel recipi poſſint, ſub eadem excommunicationis ſententia ipſo facto, tam ab ipſis Capucinis receptis, quàm Reformatis recipientibus, incurrenda, interdicimus, & prohibemus: & nihilominùs actum ipſum receptionis, & tranſitus, tanquàm indebitè factum, ex nunc, prout ex tunc irritum, & penitus nullũ eſſe decernimus, & declaramus. Et quoniã ſimiliter accepimus, nonnullos alios, qui ſub Eremitarum vocabulo nominantur, vagos, aut profugos, ac acephalos, ſub nullius obedientia degentes, nec Epiſcoporum iuriſdictioni ſe ſubiicientes, ſine aliqua licentia,*

*vel loci aſsignatione, non ſine graui fidelium ſcandalo huc, illúcque vagari, eorundem Fratrum Capucinorum habitum, vel adeò conſimilem geſtantes, vt facilè pro Capucinis reputentur, motu pari eoſdem Eremitas, ſine Litteris dimiſſoriis alicuius Superioris Ordinis approbati, de cuius gremio ſint, vel Epiſcopi loci illius, vbi degunt, vagari, aut ex propriis locis diſcedere non poſſe, & in primis ab habitu Capucinorum eiſdem ſaltem, vel aliis notioribus differentiis diſtingui, & dignoſci debere omninò præcipimus, & iubemus. Mandamus propterea vniuerſis, & ſingulis Fratribus Reformatis prædictis, eorúmque Superioribus, ac ipſis Eremitis acephalis, & ſine obedientia itinerantibus, præter pœnas per prædeceſſores prædictos inflictas, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub indignationis noſtræ, aliíſque grauioribus pœnis arbitrio noſtro imponendis, vt præmiſſa omnia, & ſingula omni excuſatione, & tergiuerſatione poſtpoſita, infra ſex menſium ſpatium à data præſentium computandum, ſtatim adimpleant, & exequantur. Quòd ſi facere diſtulerint, vel neglexerint, eos per Almæ Vrbis Vicarium noſtrum hîc in Vrbe, eiúſque diſtrictu, ac per locorum Ordinarios, vbi Fratres prædicti reperientur, per carcerationem, aliáque opportuna iuris, & facti remedia, prout contumacia cuiuſque exegerit, cogi, & compelli poſſe, ac debere volumus, & iubemus. Et nihilominus irritum, & inane decernimus, quidquid ſecùs ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtante, quantùm opus ſit, regula noſtra de iure quæſito non tollendo, aliíſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & vtrarunque Regularum, ſiue Ordinum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, conſuetudinibus, Regulis & Inſtitutis, priuilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis, Fratribus, & Eremitis prædictis, eorúmque Superioribus, & perſonis in genere, vel in ſpecie, quomodolibet conceſsis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, eorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſsis habentes, hac vice duntaxat ſpecialiter derogamus, cæteríſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quòd præſentium tranſſumptis, etiam impreſsis, manu publici Notarÿ ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides vbique in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ in Monte Quirinali, ſub Annulo Piſcatoris, die 6. Iulÿ, 1591. Pontificatus noſtri anno primo.*

M. VESTRIVS BARBIANVS.

*In Dei nomine. Amen. Per præſens publicum Inſtrumentum cunctis pateat euidenter, & ſit notum, quòd anno à Natiuitate eiuſdem Domini* 1591. *Indictione* 4. *die verò* 11. *menſis Auguſti, Pontificatus Sanctiſsimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri* GREGORII *diuina prouidentia* PAPÆ XIV. *anno primo: Ego Notarius publicus infraſcriptus requiſitus, pro parte R.P. Bonauenturæ Montis Regalis, Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum S. Franciſci Capucinorum, retroſcriptas Litteras in forma Breuis ſub Annulo Piſcatoris expeditas præſentaui, inſinuaui, & notificaui Reuerendo Fratri Ludouico Albuſio, Commiſſario Generali Ordinis S. Franciſci Conuentualium, perſonaliter inuento, & appenſo in eius Camera, poſita in Monaſterio S. Apoſtoli de Vrbe, eum requirens, vt de huiuſmodi diſpoſitione, & voluntate Apoſtolica, quos opus fuerit, certioret; & ne de præmiſsis ignorantiam prætendere, vel allegare poſsit, huiuſmodi Breuis Apoſtolici copiam cum Originali diligenter auſcultatam eidem dimiſi. Super quibus omnibus, & ſingulis præmiſsis petitum fuit à me Notario infraſcripto vnum, vel plura, publicum, ſeu publica fieri, atque confici Inſtrumentum, & Inſtrumenta. Actum Romæ, vbi ſuprà, præſentibus DD. Brandimarte Iuliani, & Scipione Luciani de Seruigliano, Firmanæ Diœceſis teſtibus, ad præmiſſa vocatis, atque rogatis.*

Locus † ſigilli.

*Et quia ego Paſquinus de Crudis de Baſſano, Sutrinæ Diœceſis, publicus Dei gratia Apoſtolica, & Imperiali auctoritatibus Notarius, & ad præſens in officio D. Rugerÿ de Rugeriis Curiæ Camerarum Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi D. N.* PAPÆ *Vicarÿ Notarÿ de præmiſsis rogatus fui, ideò præſens Inſtrumentum ſubſcripſi, & publicaui requiſitus.*

Locus † ſigilli.

## BVLLA EIVSDEM S.D.N. PAPÆ GREGORII XIV. qua Capucini Fratres eximuntur ab audiendis ſæcularium confeſsionibus, edita anno 1591.

### GREGORIVS PAPA XIV.
Ad perpetuam rei memoriam.

*DEcet Seraphicam Religionem S. Franciſci Ordinis Fratrum Minorum, liberum Domino famulatum exhibere, & à ſæcularium (quantum fieri poteſt) conuerſatione ſeiungi, vt ab humili humanæ actionis quaſi ſolo, ad arcem contemplationis, remotis impedimentis aſcendat, vbi in ſpiritu, & veritate faciliùs Dominum adoret. Oratio enim per ſolitudinem quietiùs concipitur, & per meditationem altiùs extollitur; & ita quod fides credit, ſpes, & charitas tutiùs orat: ſpiritualis verò anima duabus quaſi alis in Cælum elata, ita etiam Deo arctiùs coniungitur, & cæleſtis beatitudinis ſpecimen in hac carne quodammodo deguſtat. Nos igitur, ne optimam partem, quam dilecti filij Fratres Congregationis Capucinorum Ordinis Minorum nuncupatorum elegerunt, importuna ſæcularium rerum adminiſtratio impediat, aut mundanarum occupationum cura diſtrahat, prouidere pro noſtra paſtorali ſollicitudine ſatagentes, ad dicti Ordinis etiam conſtitutionum confirmationem, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione ſtatuimus, & decernimus, nullum poſthac Ordinis præfati Religioſum poſſe, vel debere in Laicorum vtriuſque ſexus, & Clericorum ſæcularium quacunque dignitate, & præeminentia, atque auctoritate & facultate ſuffulti ſint, confeſsionibus occupari, vel confeſsiones eorum audire, etiamſi ad id faciendum à Superioribus Ordinis, aut Protectore, aut etiam à Nobis, vel ab ipſa Apoſtolica Sede quomodolibet, & ſub quacunque verborum forma licentias hactenus obtinuerint, quas auctoritate præſentium reuocamus, caſſamus, & annullamus. Decernentes nihilominùs irritum, & inane, quidquid ſecùs ſuper his, à quocunque quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, vt præſentium tranſſumptis, etiam impreſsis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, fides adhibeatur. Datum Romæ in Monte Quirinali, ſub Annulo Piſcatoris, die prima Iunij, 1591. Pontificatus noſtri anno primo.*

Locus † Annuli Piſcatoris. M. VESTRIVS BARBIANVS.

## VIVÆ VOCIS ORACVLVM GREGORII XIV. quo Capucinis datur facultas Nouitios extra Capitulum recipiendi, non obſtante Conſtitutione Sixti V. Pontificis, edita anno 1591.

*IVLIVS ANTONIVS SANCTORIVS, miſeratione diuina tituli Sancti Bartholomæi in Inſula, S. R. E. Cardinalis, S. Seuerinæ nuncupatus, Congregationis Fratrum Capucinorum Ordinis Minorum Protector, Corrector, & Gubernator: Vniuerſis, & ſingulis præſentes Litteras inſpecturis notum facimus, & atteſtamur, quòd hodierna infraſcripta die in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis, Sanctiſsimus in Chriſto Pater, & D. N. D.* GREGORIVS *diuina prouidentia* PAPA *XIV. ad noſtras preces, & inſtantiam, viuæ vocis oraculo nobis facto, conceſsit, & indulſit, vt Dilecti Nobis in Chriſto RR. Patres, tam Vicarius Generalis, & Vicarij Prouinciales, quàm ipſis abſentibus, vel impeditis, eorum Commiſſarij Generales, & Prouinciales pro tempore exiſtentes dictæ Congregationis, omnes, & quoſcunque Chriſti fideles cupientes ingredi ſuam Religionem, & Congregationem, & admitti in Nouitios, & Fratres eiuſdem Congregationis, & Ordinis, quocunque anni tempore extra Capitula Generalia, vel Prouincialia; de conſilio tamen trium, vel quatuor Fratrum Seniorum loci, ſeu Conuentus, in quo prædicti recipiendi ſunt: ſeruata*

*tamen forma Regulæ, & Conſtitutionum dictæ Congregationis, recipere, & admittere poſſint, & valeant. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Declarationibus fel. rec.* Sixti Papæ V. *contra illegitimos, & alios ad aliquam Religionem tranſire volentes: vna quidem ſub Datum Romæ apud S. Petrum, 6. Kalen. Decembris, anno Incarnationis Dominicæ* 1587. *Pontificatus ſui tertio: altera verò ſub Datum Romæ in Monte Quirinali,* 12. *Nouembris, anno Incarnationis Dominicæ* 1588. *Pontificatus ſui quarto, editis, quibus quoad hoc tantùm voluit derogari, ſalua in reliquis (præterquàm quoad illegitimos) ipſarum diſpoſitione, & alias iuxta Conſtitutionem Sanctitatis ſuæ, moderatoriam ſupradictarum Conſtitutionum* Sixti Papæ V. *ſub Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ* 1590. *Idus Martij, Pontificatus ſui anno primo. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præſentes per infraſcriptum Secretarium noſtrum fieri fecimus, & noſtra manu ſubſcriptas, ſigillíque noſtri, quo in talibus vtimur, iuſſimus appenſione muniri. Datum Romæ in Palatio noſtro Montis Citorij, die* 9. *menſis Maij, anno à Natiuitate Domini noſtri* Iesv *Chriſti*, 1591. *Pontificatus verò eiuſdem S.D.N.* Gregorii XIV. *anno primo.*

Ivlivs Ant. *Card. S. Seuerinæ Protect.*

Locus † ſigilli. Hieron. Fvscvs *Sec.*

## CONCESSIO APOSTOLICA CAPVCINIS facta anno 1591. eleemoſynas vbique quærendi, & extrahendi.

HENRICVS *miſeratione diuina tituli S. Pudentiæ Presbyter Card. Caëtanus, S.R.E. Camerarius, Venerabilibus Fratribus Religioſis Capucinis nuncupatis, totique veſtræ Congregationi ſalutem in Domino. Religionis Zelus, ac fidei conſtantia, ſynceræque deuotionis affectus, quibus vos in Apoſtolicæ Sedis conſpectu præditos eſſe nouimus, Nos inducunt, vt commodis, & neceſſitatibus veſtris, quantùm cum Deo poſſumus, fauorabiliter concedamus. Itaque veſtris in hac parte Nobis porrectis ſupplicationibus inclinati, de mandato S.D.N.* Papæ *viuæ vocis oraculo Nobis facto, & auctoritate noſtri Camerariatus Officij, Vobis, vt per quoſcunque Agentes, Factores, Famulos, Miniſtros veſtros, præſentium Oſtenſores, quancunque panis, vini, olei, caſtanearum, leguminum, ac aliorum victui veſtro neceſſariorum quantitatem, quæ Vobis vbique locorum, tam in ſtatu eccleſiaſtico, quàm extra illum in eleemoſynam pro veſtro omnium victu, & vſu, conceſſa, tradita, data, & donata fuerint, cuiuſuis quantitatis ſint, vna, ſeu pluribus extractionibus ex quibuſcunque ciuitatibus, terris, oppidis, locis, & territoriis, in quibus eleemoſyna huiuſmodi Vobis elargita fuerit, extrahere, & ad quæcunque loca, ſeu Conuentus Congregationi, ſeu Religioni veſtræ ſubiecti, vbicunque ſita, in eorum victum, & vſum conuehere, & comportare liberè, & licitè, etiam abſque conſcientiæ ſcrupulo poſſitis, & valeatis, tenore præſentium licentiam indulgemus, ac facultatem, & auctoritatem perpetuò duraturam concedimus, & impertimur. Enixè propterea in Domino hortantes, ac rogantes omnes, & ſingulos Dominos Illuſtriſſimos Cardinales Sedis Apoſtolicæ, de latere Legatos, alióſque Temporales Principes, quatenus pia erga Sedem Apoſtolicã deuotione, vobis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, vobis, veſtriſque prædictis in trãſportatione, & extractione eleemoſynarum huiuſmodi faueãt, & opitulentur, ac auxilium, conſilium, & fauorem præſtent: cæteris verò omnibus, & ſingulis, Magiſtratibus, Officialibus, & Miniſtris Sedi Apoſtolicæ mediatè, vel immediatè ſubiectis, aliíſq; ad quos ſpectat, ſeu ſpectabit quomodolibet in futurũ, earundem tenore præſentium ſtrictè inhibẽdo præcipimus, & mandamus, ne ſub S.D.N.PP. ac noſtræ indignationis, necnon mille ducatorum auri Cameræ Apoſtolicæ inferendorum, aliíſque arbitrij noſtri pœnis, Vos, ſeu Veſtros prædictos, aliqua ex dicta eleemoſyna, Vobis, vt præfertur, tradita, & conceſſa, ex Prouinciis, ciuitatibus, terris, caſtris, & locis extrahentes, & ad veſtros Conuentus, & loca, in quibus reſpectiuè vitam religioſam ducentes habitaueritis, etiamſi extractio huiuſmodi ex ſtatu eccleſiaſtico ad alia ipſi ſtatui eccleſiaſtico non ſubiecta loca, ſeu aliàs, prout neceſſitas exegerit, fieri contigerit, contra præſentium noſtrarum Litterarum formam, continentiam, & tenorem, quoquo modo impedire, moleſtare, vexare, perturbare, aut remorari audeant, ſeu præſumant, ſeu eorum aliquis audeat, vel præſumat: alioquin, &c. Contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romæ in Camera Apoſtolica, die* 6. *menſis Sept.* 1591. *Pontificatus S. D. N. GREG. PP. XIV. anno* 1.

Henricvs, *Card. Cam.* Locus † ſigilli. Andreas Martini.

INVOCATIO

# INVOCATIO BRACHII SÆCVLARIS SVB Clemente VIII. Pont. Max. contra Fratres Ioannis Dei, deferentes caputium, & habitum Capucinis conſimilem, facta.

*INVICTISSIMO ET POTENTISSIMO RODVLPHO AB AVSTRIA Romanorum IMPERATORI Electo ſemper Auguſto, ac Sereniſſimo & Catholico Hiſpaniarum, aliiſque Sereniſſimis aliorum Regnorum Reipublicæ Chriſtianæ Regibus, Rerumpublicarum, & quorumcunque Statuum, & Prouinciarum Ducibus, Poteſtatibus, Magiſtratibus, & Rectoribus, eorúmque Illuſtriſſimis, & Excellentiſſimis DD. Proregibus, Viceducibus, & Gubernatoribus, ac Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis DD. Sedis Apoſtolicæ Legatis, Nunciis, Epiſcopis, Archiepiſcopis, Patriarchis, & aliis quibuſcunque in dignitate eccleſiaſtica conſtitutis, ac Illuſtriſſimis DD. Principibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Caſtellanis, Arcium Præfectis, ac quaruncunque Prouinciarum, Ciuitatum, terrarum, & locorum Gubernatoribus, Vicariis, Poteſtatibus, Auditoribus, Locatenentibus, Iudicibus ordinariis, ac extraordinariis, ac delegatis, & ſubdelegatis quibuſcunque, Barigellis quoque, executoribus, cæteriſque Iuſtitiæ miniſtris quibuſcunque, quoquo modo nuncupatis, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos, præſentes noſtræ Litteræ peruenerint, per totum Orbem Terrarum. CAMILLVS BVRGHESIVS, Protonotarius Apoſtolicus, vtriuſque ſignaturæ S. D. N. PP. Referendarius, ac eiuſdem S. D. N. PP. necnon Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Iudex Ordinarius, ſententiarum quoque, & Cenſurarum, tam in eadem Romana Curia, quàm extra eam latarum, ac Litterarum Apoſtolicarum quaruncunque vniuerſalis, ac merus exequutor, ab eodem Sanctiſſimo D. N. PP. ſpecialiter deputatus: Salutem in Domino, & noſtris huiuſmodi, imò veriùs Apoſtolicis firmiter obedire mandatis. Noueritis nuper coram Nobis pro parte, & ad inſtantiam R. P. Fratris Hieronymi de Politio, Siculi, Ordinis Minorum, S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Vicarÿ Generalis, & R. P. Fratris Bonauenturæ de Monteregali, eiuſdem Religionis Procuratoris, & Commiſſarÿ Generalis principalium comparitum, & expoſitum fuiſſe, quòd cùm aliàs fel. rec. Paulus Papa III. attendens vberes fructus, quos Ordo ipſe Minorum in agro militantis Eccleſiæ eatenus produxerat, & in poſterum producturum ſpe firma ſperabat, ac dignum cenſens, vt circa ea, quæ ipſius Ordinis incrementum concernebant, benignos fauores impenderet, ſupplicationibus nonnullorum tunc expreſſorum Fratrum dicti Ordinis inclinatus, nonnullas Litteras Clementis VII. piæ mem. eius prædeceſſoris, nonnullis Fratribus tunc expreſſis Ordinis Minorum vitam eremiticam ducere, &, quanta humana patiebatur fragilitas, Regulam B. Franciſci obſeruare cupientibus conceſſas, Apoſtolica auctoritate, ex certa ſcientia ſua approbans, & confirmans, illas tunc, & pro tempore exiſtenti Vicario Generali, Congregationis Capucinorum, ac ipſis Congregationis Fratribus, (perinde ac ſi illæ eidem Congregationi, & Fratribus directæ fuiſſent,) quoad omnia, & ſingula in ipſis Litteris contenta ſuffragari debere decreuit. Et nihilominùs authoritate, & ſcientia ſimilibus, per ſuas ſub plumbo confectas Litteras nonnulla pro dictis Fratribus Capucinis ſtatuit, & ordinauit, diſtrictiùs inhibens quibuſcunque perſonis, cuiuſcunque conditionis exiſterent, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, eo ipſo incurrenda, ne habitum per eos deferri ſolitum, niſi ſub prædicti R. Vicarÿ Generalis pro tempore exiſtentis obedientia, & cura permanerent, geſtare quoquo modo præſumerent. Et ſucceſſiuè ſanctæ etiam mem. Pius PP. IV. per eius Litteras ſub plumbo expeditas ſub datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1564. Non. Aprilis, Litteras prædicti Pauli prædeceſſoris huiuſmodi, ac omnia & ſingula in eis contenta; ita quòd nullus, cuiuſcunque conditionis exiſtat, non ſolùm Capucinorum habitum, iuxta prædictarum Litterarum Pauli prædeceſſoris tenorem; verùm etiam nec ita conſimilem, quòd propter eum poſſint credi Fratres eorum Congregationis, niſi ſub prædicti eorum R. P. Vicarÿ pro tempore exiſtentis obedientia, & cura permaneant ſub ſimili pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quoquo modo geſtare præſumant, auctoritate Apoſtolica prædicta confirmauit, & approbauit, ac omnia, & ſingula in eiſdem Litteris, fel. record. D. Pauli Papæ III. contenta, prædicta denuò conceſſit. Ac deinceps fel. record. Gregorius XIII. per eius Litteras in forma Breuis ſub Annulo Piſcatoris expeditas, die quarta Octobris, 1581. Pontificatus ſui anno 10. ſpecialiter, & expreſsè prædictas Conſtitutiones Pauli III. & Pÿ IV.*

*(quoad caputij, & habitus Fratrum Capucinorum geſtationem) approbauit, confirmauit, & innouauit, prout in prædictorum Summorum Pontificum Litteris plenius contineri dicitur. Quodque per Illuſtriſſimos & Reuerendiſſimos DD. Cardinales Sacræ Regularium Congregationis vigore auctoritatis, & facultatis eiſdem à S. D. N.* SIXTO *diuina prouidentia PP. V. fel. rec. per ſuas Litteras in forma Breuis ſub Annulo Piſcatoris (vt moris eſt) legitimè expeditas ſub datum Romæ, apud S. Marcum, die decimatertia Iunij, anno 1587. Pontificatus ſui anno tertio attributæ, inſtantibus RR. PP. Capucinis ſancitum, & decretum fuit, prout in quadam papyri cedula per Illuſtriſſimum, & Reuerendiſſimum Cardinalem Alexandrinum ſubſcripta, & firmata, & eius ſigillo munita, & R. P. Generali prædictæ Societatis S. Ioannis Dei intimata coram nobis exhibita tenoris ſubſequentis, videlicet: Sacra Regularium Congregatio, inſtantibus Fratribus Capucinis cenſuit, Confratres Societatis Ioannis Dei nullatenus debere geſtare habitum cum caputio oblongo, ſiue acuto; ſed rotundo, ſub pœna carceris Congregationis arbitrio; licentiam propterea conceſſit ipſis Fratribus Capucinis omnes contrafacientes carcerari faciendi. Die 16. Ianuarij, 1588. Cardinalis Alexandrinus. Georgius Palearius Secret. Locus † ſigilli. Item, pariter inſtantibus eiſdem Fratribus Capucinis, per eandem Sacram Congregationem Regularium ſancitum, decretum, & ordinatum fuit, prout in quadam papyri cedula per Secretarium dictæ Sacræ Congregationis ſub die tertia Martij, 1592. ſubſcripta, huiuſmodi ſub tenore, videlicet: Moneantur ſub pœna ablationis caputij. 1. Martij, 1592. Georgius Palearius ſubſcripſi. Et expoſito Nobis pro parte, & ad inſtantiam eorundem RR. PP. Capucinorum, videlicet, Vicarij, & Procuratoris Generalium, quòd aliqui ex Confratribus Societatis Ioannis Dei, & forſan nonnulli alij habitum cum caputio oblongo, ſiue acuto abſque licentia R. P. Vicarij Generalis Ordinis Capucinorum contra formam Ordinationum, & Conſtitutionum præfatorum Summorum Pontificum in maximum animæ ipſorum contrauenientiũ detrimentum, in dedecus, & vilipendium Sacræ Religionis Capucinorum, & populorum ſcandalum geſtare audent, & præſumunt: cupienteſque prædicti RR. PP. Vicarius, Procurator, & Commiſſarius Generales prædictas Litteras Apoſtolicas, & Decretum prædictæ Sacræ Congregationis, ſuum (vt par eſt) debitum ſortiri effectum, debitámque executionem conſequi, ad Nos, tanquàm ſimilium executorem, recurſum habuerunt, vt in præmiſſis de opportuno iuris remedio prouidere, & in executionem præmiſſorum contra facientes brachium ſæculare, & mandatum executiuum concedere dignaremur. Nos igitur attendentes, requiſitionem huiuſmodi fore iuſtam, & rationi conſonam, & quòd iuſta petenti non eſt denegandus aſſenſus; volenteſque mandatum Apoſtolicum (vt conuenit) reuerenter exequi, ac ſtante monitione, & intimatione præinſertorum Decretorum R. Patri Generali Societatis Ioannis Dei, monitos, & intimatos, ac etiam in ipſis iterum citatis ad dicendum contra præfatas Litteras Apoſtolicas, & illarum executionem, mandatum executiuum, & brachium ſæculare contra omnes Fratres dictæ Religionis geſtantes caputios oblongos, & acutos, contra formam dictorum Decretorum, & de illis auferendo decerni, & relaxari. Comparente coram Nobis R. P. Priore Romæ dicti Ordinis S. Ioannis, & offerente ſe paratum vnà cum aliis Fratribus pro tempore eius obedientiæ ſubiectis geſtare caputium rotundum, & iuxta formam modelli alias dati. Nos autem facta comparatione caputij, quod ipſe P. Prior, & eius Socius geſtabat, reperimus eſſe modelli, & formæ datæ, & aſſignatæ; ac ſtante dicta oblatione, ac iuribus, de quibus ſuprà, mandatum executiuum contra omnes, & ſingulos contrafacientes, & inobſeruantes, caputiúmque oblongum, & acutum nunc, & pro tempore geſtantes decernendum, & relaxandum duximus, decreuimus, & relaxauimus, prout decernimus, & relaxamus per præſentes. Quæ omnia, & ſingula ſupradicta Vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis intimamus, inſinuamus, & notificamus, & ad veſtram, & cuiuſlibet veſtrûm notitiam deducimus, & deduci volumus per præſentes. Quocirca* VOS INVICTISSIMVM ROMANORVM IMPERATOREM, *& Sereniſſimos Reges, ac alios Dominos temporales iuriſdictiones exercentes, ac Illuſtriſſimos DD. Legatos in Domino attentè rogamus, & hortamur, quatenus veſtram in hac parte dexteram extendentes, tanquàm iuſtitiæ, & fidei Zelatores. Vobis verò altis prædictis committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus ſub excommunicationis, & ſuſpenſionis à diuinis, pœnis, quatenus ſtatim, viſis & receptis præſentibus; & poſtquàm vigore præſentium pro parte dictorum Fratrum Capucinorum, aut alicuius eorum fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrûm fuerit requiſitus; ex parte noſtra, imò veriùs Apoſtolica auctoritate, omnes, & quoſcunque Confratres Societatis Ioannis Dei, & alios quoſcunque nunc, & pro tempore contrafacientes, & in quibuſvis locis geſtantes habitum cum caputio oblongo, ſiue*

*acuto carceretis, & in carceribus detineatis per captionem corporum, & perſonarum, ac dictorum caputiorum ablationem, cogatis, & compellatis ad dimittendum, & relaxandum dictum habitum cum caputio acuto, ſiue oblongo; & in præmiſſis non ceſſetis, nec ceſſare faciatis, donec dictum habitum dimiſerint, & habitum cum caputio rotundo iuxta formam præinſertæ Sacræ Congregationis detulerint, & omnia ſupradicta adimpleuerint, ac illis paruerint. In præmiſſis Vos taliter habentes, quòd nota contemptus, ſiue contumaciæ Vobis nullatenus adſcribatur. In quorum fidem præſentes noſtras Litteras, ac alias in papyri folio impreſſas, vt in diuerſis mundi partibus tranſmitti poſſint; & per Notarium noſtrum, & Curiæ noſtræ infraſcriptum ſubſcribi, ſigilliſque R. Cameræ Apoſtolicæ, quo in talibus vtimur, iuſſimus, & fecimus appenſione muniri. Datum Romæ, ex Ædibus noſtris, ſub anno Natiuitatis D. N.* IESV *Chriſti, milleſimo quingenteſimo nonageſimoſecundo, Indictione quinta; die verò duodecima menſis Maij, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, D. N. D.* CLEMENTIS *diuina prouidentia PP. VIII. anno primo.* MARCVS ANTONIVS BRVTVS, *Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Not.* A. IVSTVS, *Locum tenens.*

Locus † duorum ſigillorum pendentium.

## DIPLOMA REGIVM PHILIPPI II. REGIS Hiſpaniarum, pro erectione Conuentuum Capucinorum, in Belgio, editum anno 1595.

PHILIPPVS *Dei gratia Rex Caſtellæ,* &c. *Vniuerſis has Litteras lecturis Sal. Nobis Fratres Minores S. Franciſci. Capucini nuncupati, exponi fecerunt, quòd cùm bonæ memoriæ Dux Parmæ, & Placentiæ, Nepos noſter, & tempore ſui obitus Eques noſtri Ordinis Velleris aurei, necnon Gubernator, & Capitaneus Generalis ditionum Belgicarum bona adductus deuotione in dictas haſce ditiones aduocauerit, & loca etiam eis aſſignauerit extruendis Monaſteriis; iam ſicut numero & multitudine plurimum creuerunt; ita percupiunt magis, magíſque verbo, & exemplo animabus proficere, bonúmque ipſum commune Belgij ſpiritualiter promouere ad Dei gloriam: quod & re ipſa futurum ſperant, dummodo velimus conſentire, ratámque habere erectionem Monaſteriorum, quæ ipſi hactenus in hiſce noſtris ditionibus, excitarunt idq́; non obſtante Edicto perpetuo, quod fecit glorioſæ memoriæ* CAROLVS V. IMPERATOR, *Noſter Pater, & Dominus anno* 1595. *die decima Octobris, prohibens ſub pœna* 10. *marcarum auri, ne in poſterum vllæ ædificentur, fundentur, & dotentur Eccleſiæ, Capellæ, Collegia, Capitula, vel Monaſteria. Humiliter ergo à dictis Religioſis rogati, vt dignemur illis concedere patentes Litteras rei propoſitæ conuenientes: Notum facimus, quòd ob hæc, quæ dicta ſunt, præſertim verò ob magnum incrementum, quod illi benè viuendo, ac piè, religioſéque conuerſando, afferunt Dei ſeruitio, ac bono publico, & ob alias cauſas ad id Nos mouentes, annuimus fauorabiliter eorum ſupplicationi, & ex certa ſcientia, plenitudine poteſtatis, & gratia ſpeciali approbamus, & per præſentes Litteras ratam habemus erectionem Monaſteriorum, quæ à Fratribus Capucinis hactenus ſunt excitata in hiſce noſtris Belgicis ditionibus, atque etiam ampliori vtentes fauore concedimus, vt iidem poſſint nunc, & deinceps erigere, & fundare alia Monaſteria, in aliis quibuſlibet ciuitatibus, vrbibus, & locis dictarum noſtrarum ditionum, vbi deſiderati erunt, vel inuitati; & ob id abſoluimus omnes Miniſtros noſtros Officiales, & Iudices, quicunque, & cuiuſcunque conditionis fuerint, à vinculo iuramenti, & alia quauis obligatione, quam contraxiſſe poſſunt, ad obſeruandam illam ſuperiùs memoratam, & in contrarium diſponentem legem ſuæ Imperialis Maieſtatis; eóſque à pœnis omnibus, & mulctis ibi appoſitis, tam pro tempore præterito, quàm pro futuro eximimus. Quocirca mandamus nobis dilectis, & fidelibus omnibus Præſidentibus, & Conſiliariis noſtris in Brabantia, & Gubernatoribus, Præſidentibus, Cancellariis, & Conſiliariis noſtris in Geldria, Flandria, Arteſia, Luxemburgo, Namurco,* &c. *& aliis omnibus Iudicibus, Officialibus, & ſubditis noſtris, vt permittant, & patiantur, dictos Fratres Capucinos, eorúmque ſucceſſores, vti, frui, & potiri plenè, pacificè, & in perpetuum hac noſtra præſente approbatione, & conceſſione, in hiſce noſtris Belgicis ditionibus, nullámque illis hac in re faciant, vel fieri patiantur moleſtiam, vel impedimentum, nunc, vel in poſterum. Quoniam hæc eſt noſtra voluntas. In horum omnium teſtimonium iuſſimus præſentibus Litteris affigi noſtrum ſigillum. Datum in noſtra vrbe Bruxella, die* 29. *Iulij, anno* 1595.

## BVLLA CLEMENTIS VIII. PONT. MAX. PRO erectione Sanctæ Domus in oppido Tononij edita, anno 1599.

### CLEMENS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI. Ad perpetuam rei memoriam.

*Redemptoris, & Saluatoris noſtri* IESV *Chriſti qui, vt miſeros mortales in profunda errorum caligine demerſos ad lumen veritatis attolleret, ac tanquam oues deperditas ad Beatorum gregem reduceret, ad hæc infima deſcendere, & mortale corpus induere dignatus eſt, vices (licèt immeriti) gerentes in terris; inter multiplices curas, quibus ex Paſtoralis officij munere aſſiduè premimur, illa Nos potiſſimùm vrget, vt ad ea, quæ pro militantis Eccleſiæ agro fructuosè colendo, ac vepribus & zizaniis expurgando, ſalutariſque diſciplinæ ſementis inſtaurando, & à noxiis præſeruando maximè profutura noſcuntur, omni, qua poſſumus, ratione, ac diligentia intendamus; & ſicut humani generis antiqui Hoſtis malitia ad deſtructionem ſupereminet; ita ad reparationem noſtra ſedulò operatur induſtria. Accepimus ſiquidem ſummo cum animi noſtri gaudio, quòd proximè lapſis menſibus, non ſolum totius Ducatus Chablaſij; ſed etiam Baliagij de Termer, quod ciuitati Gebennenſi ita vnitum, & connexum eſt, vt vix ab ea ſeparari queat, incolæ, & habitatores à ſexagintatribus annis citra, hæreticæ prauitatis ſectatores, diuina cooperante gratia, & miſericordia, ac Sancti Spiritus afflatu, tanquàm è grauiſſimo, in quo tandiu dormitauerunt peccati ſomno experrecti, ad Catholicæ, & Apoſtolicæ, Romanæque fidei conſortium, & communionem magno cum deuotionis feruore, ſuarúmque animarum conſolatione vnanimiter conuolarunt, priſtinúmque iam ſuum errorem, apertis oculis, agnoſcentes, Dominúmque in lacrymis collaudantes, Pſeudoprophetarum, & Miniſtrorum fallacias, & mendacia, toto ore, cordéque deteſtantur, séque indiſſolubili obligationum nodo dilecto filio, Nobili Viro,* CAROLO EMMANVELI, *Sabaudiæ Duci, qui tam præclaro operi obeundo vltrò incubuit, aſtrictos agnoſcunt, illorúmque conuerſio huiuſmodi maximum, ac fœcundiſſimum Hæreticis, tum in Germaniæ, tum in Galliæ Prouinciis commorantibus fructum propterea attulit, quòd plurimi ex eis, dictam ciuitatem, illiúſque falſos Miniſtros, tot perſonarum ſibi adeò vicinarum conuerſioni reſiſtere non potuiſſe, videntes ad ſimilem conuerſionem quàm facillimè incitantur, imò & Gebennenſes ipſi exinde commoti in ſuos, ſeu potiùs Dæmonis Miniſtros, doloſáque eorum dogmata murmurare inceperunt, & nonnulli ex eis Catholicæ Religionis Zelo accenſi, cum tota eorum familia, de ciuitate prædicta, relictis omnibus, quibus ibi potiebantur, fortunis ſe ad Tononij dicti Ducatus Chablaſij oppidum inſigne contulerunt; aliqui verò ſub ſpe ſimilis eorum ad Deum conuerſionis placidè deliteſcentes, ſe eiuſdem intentionis, & propoſiti eſſe declarauerunt, ac fidem catholicam profeſſuros, & amplexuros affirmarunt, dummodo Gebennæ perditis bonis omnibus, ſuppetat illis, vnde, mediante tamen ſua arte, & induſtria, viuere queant, prout etiam aliquorum Miniſtrorum prædictorum voluntas, & intentio ipſam ciuitatem, vt præfertur, relinquendi, per aliquos verbi Dei Concionatores nuper explorata fuit. Vnde nobis tanquam Gregis Dominici ſollicito Paſtori ſummæ curæ eſſe debet, perſonas hactenus conuerſas, in ipſius fidei ſynceritate, & conſtantia tueri, necnon alias ad Ouile Dominicum aſpirantes, & quæ à dira humani generis Hoſtis, cui inſeruiunt, tyrannide redimi deſiderant, in tam laudabili propoſito confouere, reliquóſque omnes à Chriſti fide aberrantes, ad veri luminis ſplendorem agnoſcendum incitare, & prouocare. Sed eo Satanæ Miniſtrorum malignitas peruenit, vt diurnas, nocturnáſque inſidias tam pio operi ſtruere, & parare, eidémque omne impedimentorum genus apponere neutiquam deſinat: cùm enim ciuitas prædicta ex vicinorum præcipuè Catholicorum ad eam concurſu infinitis potiatur commoditatibus temporalibus, vt vicini ipſi in emendo, ſeu vendendo vix eius commercio carere queant, quandoquidem res venales vix alibi recuperari poſſunt, quàm in ciuitate prædicta, vel quæ ab ea parum diſtat, & alterum Hæreticorum receptaculum exiſtit, Lauſanenſi; quo fit, vt iidem populi, & illi maximè, qui in Catholica Religione ſunt recentes, cùm huiuſmodi commoditatibus indigeant, & aliorum, quàm ipſorum Hæreticorum auxilio iuuari non poſſint, ab iiſdem Hæreticis de Chriſti fide relinquenda, & ad falſa eorum ſectæ dogmata redeundo, quotidie tentantur, & incitantur: alij verò circumuicini, qui numerum centum millium per-*

*ſonarum excedunt, ſi artem aliquam mechanicam addiſcere, vel alicuius ſeruitiis inſiſtere cupiant, ad ciuitates prædictas, tanquàm omnibus his rebus affluentes, confugere, & adoleſcentes eorundem populorum, ac pueri pro ſcientiis, & artibus capeſcendis eò mitti conſueuerunt. Quódque omnibus illis retibus, quibus Catholicorum corpus, & animam venantes inſequuntur, periculoſius, & damnabilius eſt, ſi quiſpiam ſalutis æternæ oblitus, à fide prædicta recedens, ad dictam ciuitatem Gebennenſem ſe contulerit, bona, vxor, aliaque temporales commoditates ipſi ſuppeditantur: prout è conuerſo, ſi quis ipſius ciuitatis Gebennenſis incola, eiuſdem fidei lumen agnoſcat, omnia eius bona ciuitati prædictæ Gebennenſi confiſcantur, & exinde ingens eorundem circunuicinorum populorum numerus præ annonæ caritate, belliique, & aliis temporum calamitatibus ad dictam ciuitatem Gebennenſem confugerunt, ibique, cùm aliunde non habeant, quo viuant, adhuc de præſenti commorantur; qui tamen, & alij innumeri in ea commoditatibus prædictis fruendi gratiâ tantùm degentes, ſi illas alibi haberent, piè, & catholicè viuere pollicentur. Et propterea, ſi in dicto oppido Tonony vna Domus, Albergamentum nuncupanda, omnium ſcientiarum & artium, ſub inuocatione Beatæ* MARIÆ *Compaſsionis, ſeu ſeptem dolorum, quæ per vnum Præfectum, & ſeptem Presbyteros ſæculares probatæ, & exemplaris vitæ exiſtentes, ac iuxta ritus, & inſtituta dilectorum filiorum Presbyterorum ſæcularium Congregationis Oratorij de vrbe, inibi introducendos regi, & gubernari, & in qua tanquam publica omnium ſcientiarum, & artium Vniuerſitate, adinſtar aliarum publicarum, & famoſarum Vniuerſitatum omnes ſcientias, & artes præcipuè Theologiæ Scholaſticæ, controuerſiæ, caſus conſcientiæ, Sanctorum Patrum Traditiones, & ſacræ Scripturæ publicè doceri, & legi, ac omnes è denſis tenebris hæreſeos, ad lucis ſplendorem accedentes recipi, & educari, ac fidei Catholicæ præceptis, omnibúſque ſcientiis, & artibus pro cuiuſque ingenij acumine imbui, & inſtitui debeant; illique ſic edocti, & imbuti, iuxta cuiuſque capacitatem, & induſtriam fructum eidem Domui afferant; ex quo merces, & alia venalia comparentur. Et qui ad eas comparandas Gebennam petebant, pro maiori eorum commoditate Tononium, & ad dictam Domum rebus huiuſmodi tunc circunfluentem, ſe conferant, ac in eandem ſocietatem, cuiuſuis generis, ſexus, conditionis, & profeſsionis perſonæ, catholicè tamen viuentes, recipiantur, & in ea quiſque ſuæ artis, aut ſcientiæ talentum exerceat, varióſque modos ad Hæreticorum conuerſionem excogitet, perpetuò erigeretur, & inſtitueretur, illique ſic erectæ & inſtitutæ pro eiuſdem Domus, illiúſque alumnorum, & habitatorum ſuſtentatione, & manutentione tres Prioratus Conuentuales, videlicet, S. Giorgij, quem Gregorius, TT. S. Auguſtini Presbyter Cardinalis de Montelparo nuncupatus noſter, & Nantuaſij, quem Tiberius Mutus, ac Contamine locorum, ſeu oppidorum S. Benedicti, ſeu alterius Ordinis Gebennenſis prædictæ, & Gratianopolitanenſis, ſeu alterius Diœceſis, quē Philippus Butius, Clerici dilecti filij, ex conceſsione, ſeu diſpenſatione Apoſtolica in commendam ad eorum vitam obtinent; etiam perpetuò vnirentur, annecterentur, & incorporarentur, ex hoc profectò ipſorum Hæreticorum conatibus, & verſutiis obuiaretur, ac illorum conuerſioni, necnon fidei propagationi, animarum prædictarum ſaluti, & ſecuritati plurimùm conſuleretur, ne in dictis Prioratibus diuinus cultus minueretur. Nos igitur perſonarum, quæ verum iter ſalutis agnoſcunt, animarum ſaluti, fidei Catholicæ exaltationi, hæreſúmque euulſioni conſulere, ac aliis in præmiſsis opportunè prouidere volentes, Motu proprio, non ad alicuius Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam; ſed ex certa ſcientia, ac mera deliberatione noſtra, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, in dicto oppido Tonony, & loco iam ad hoc per dictum* CAROLVM EMMANVELEM *Ducem conceſſo, ac per Venerabilem Fratrem Noſtrum* CLAVDIVM *Epiſcopum Gebennenſem, Benedicto vnam Domum, Albergamentum nuncupandam, omnium ſcientiarum, & artium, ſub dicta inuocatione B.* MARIÆ *Compaſsionis, ſeu ſeptem dolorum, pro vno Præfecto, & ſeptem Presbyteris ſæcularibus vitam, & inſtituta prædictorum Presbyterorum dictæ Congregationis obſeruaturis, per quos ipſa Domus, eiúſque incolæ, & habitatores regi, & gubernari, ac illorum bona adminiſtrari, necnon in eadem Domo perſonæ de nouo ad Chriſtū cōuerſæ, & reuerſæ, cuiuſcunque gradus, ſtatus, ordinis, & conditionis ſint, recipi, & educari, ac doctrina Chriſtiana, ſcientiis, aliiſque artibus, & omnibus demū virtutibus, ad Dei Opt. Max. Beatiſsimæque eius Matris honorem tendentibus, per Lectores, Magiſtros, alióſque artiū, & ſcientiarū huiuſmodi peritos inibi conſtituendos, & deputandos imbui, & iuxta eiuſdem Domus ſtatuta viuere, & degere, ac in ea, tanquā publica omnium ſcientiarū Vniuerſitate ſcientiæ ſupradictæ, ac omnes etiā artes doceri, & publicè legi, & inſtrui debeant, cū omnibus, & ſingulis priuilegiis, immunitatibus, Indultis, Indulgentiis, conceſsionibus, & gratiis ad inſtar aliarum publicarum, & præſertim noſtrarum Bononienſium, & Peruſinarum, aliarúmque*

*Italiæ Vniuerſitatum, & prout illarum Scholares, Alumni, Magiſtri, Lectores, & alij habitatores quomodolibet fruuntur, & gaudent, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo ſine alicuius præiudicio erigimus, & inſtituimus, eidémque Domui ſic erectæ, & inſtitutæ Prioratus prædictos, ex nunc, prout ex tunc, & è contrà, cùm primùm illos per ceſſum, etiam ex cauſa permutationis, vel deceſſum, ſeu quanuis aliorum dimiſſionem, vel amiſſionem* Gregorii *Cardinalis, ac* Tiberii, *&* Philippi, *prædictorum reſpectiuè in Romana Curia, vel extra eam vacare, ſeu Commendas ipſas ceſſare contigerit; ita quòd liceat pro tempore exiſtentibus Præfecto, & Presbyteris prædictis eorundem Prioratuum, & cuiuſlibet eorum, poſtquàm vacauerint, vt præfertur, corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem, per ſe, vel alium, ſeu alios apprehendere, & perpetuò retinere, illorúmque fructus, redditus, prouentus, iura, obuentiones, & emolumenta quæcunque percipere, exigere, leuare, arrendare, locare, diſlocare, ac in ſuos, & Prioratuum, ac Domus huiuſmodi, necnon Alumnorum, & Habitatorum eiuſdem Domus vtilitatem, & vſus conuertere Diœceſani loci, vel cuiuſvis alterius licentia deſuper minimè requiſita, auctoritate, & tenore prædictis etiam perpetuò vnimus, annectimus, & incorporamus, prædictámque Domum cum illius annexis, & dependentiis huiuſmodi, necnon perſonis, & aliis eius Alumnis, & Habitatoribus, ſub noſtra, & Sedis Apoſtolicæ, necnon vnius ex Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. Eccleſiæ Cardinalibus, per eundem Præfectum pro tempore eligendi, & pro hac vice ſub Dilecti Filij noſtri Cæſaris, TT. Sanctorum Nerei, & Achillei, & Domitillæ, Presbyteri Cardinalis, Baronij nuncupati, protectione, & auſpiciis ſuſcipimus, eiſdémque Præfecto, & Presbyteris, vt pro Domus prædictæ, illiúſque perſonarum ſalubriori directione quæcunque ſtatuta, & ordinationes, licita, & honeſta, ſacríſque Canonibus, ac Concilij Tridentini Decretis minimè contraria ſuper receptione perſonarum ad dictam Domum venientium, & recipiendarum, quam diuinorum inibi, & in annexis Prioratibus huiuſmodi celebratione, ac ſcientiarum, artiúmque liberalium, & mechanicarum lectura, doctrina, & inſtitutione, & alias, prout eiſdem Præfecto, & Presbyteris beneuiſum, dictæque Domus regimini, & adminiſtrationi magis conſultum fuerit, iiſdem priùs dicto Cardinali Protectori oſtenſis, & communicatis, condere, & condita, quoties opus fuerit, immutare, limitare, & corrigere, ac ſecundùm rerum, & temporum qualitatem interpretari, & illorum loco alia ſtatuta, & Ordinationes, quoties eis placuerit, & viſum fuerit, de nouo edere, & condere, ad quorum obſeruationem ſinguli de dictæ Domus gremio exiſtentes aſtricti ſint, & eſſe cenſeantur, plenam, & omnimodam auctoritatem, poteſtatem & facultatem, Apoſtolica auctoritate, & tenore ſimilibus concedimus, & impartimur. Inſuper Dilectum Filium* Franciscvm *de Sales, Præpoſitum Eccleſiæ Gebennenſis, in dictæ Domus ſic erectæ Præfectum, pro hac prima vice eiſdem auctoritate, & tenore conſtituimus, & deputamus. Prætereà de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus dictam Domum intrantibus, qui verè pœnitentes, & confeſſi, ac ſacra Communione refecti eius Eccleſiam ſingulis B.* Mariæ *Feſtiuitatum diebus, à primis veſperis, vſque ad occaſum Solis dierum huiuſmodi viſitauerint, & inibi pro pace inter Principes Chriſtianos conſeruanda, ac S. Romanæ Eccleſiæ exaltatione, hæreſúmque extirpatione, pias ad Deum preces fuderint, quo dierum prædictorum id fecerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem, auctoritate, & tenore prædictis, miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Decernentes, præſentes Litteras nullo vnquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, ſeu quopiam alio defectu notari, impugnari, inualidari, ad terminos iuris reduci, & in ius, vel controuerſiam reuocari, neque ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi poſſe; ſed illas perpetuò validas, & efficaces exiſtere; & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de nouo etiam ſub quacunque poſteriori data per Præfectum, & Presbyteros huiuſmodi pro tempore eligenda conceſſas eſſe, & cenſeri, ſicq́; per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, & definiri debere. Quocirca Venerabilibus Fratribus Noſtris pro tempore exiſtentibus Gebennenſi, & Bellicenſi, ac Maurianenſi Epiſcopis per Apoſtolica ſcripta, motu ſimili, mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes Litteras, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Præfecti, & Presbyterorum prædictorũ, vel alicuius eorum fuerint requiſiti,*

*ſolenniter publicantes,& eis in præmiſsis efficacis defenſionis præſidio aſsiſtentes faciant auctoritate noſtra præſentes Litteras,& in eis contenta huiuſmodi plenum effectum ſortiri,ac ab omnibus,ad quos ſpectat,& pro tempore ſpectabit,inuiolabiter obſeruari;necnon Præfectum, & Presbyteros prædictos illis pacificè frui,& gaudere,non permittentes ipſos,aut eorum quempiam contra eorundem præſentium tenorem quomodolibet indebitè moleſtari; contradictores quoſlibet,& rebelles per ſententias,& cenſuras,& pœnas eccleſiaſticas,aliaque opportuna iuris,& facti remedia,appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſsibus, ſententias, cenſuras,& pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis,non obſtantibus noſtra, quatenus opus ſit, de vnionibus committendis ad partes, vocatis,quarum intereſt, & Lateranenſis Concilij nouiſsimè celebrati vniones perpetuas, niſi in caſibus à iure permiſsis fieri prohibentis, necnon fel.rec.* BONIFACII *PP.VIII. prædeceſſoris noſtri, qua cauetur expreſſè,ne quis extra ſuam Ciuitatem, vel Diœceſim,niſi in certis exceptis caſibus, & in illis vltra vnam diætam à fine ſuæ Diœceſis, ad iudicium euocetur, ſeu ne Iudices à Sede prædicta deputati, extra Ciuitatem, vel Diœceſim,in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere,aut alij, vel aliis vices ſuas committere audeant,vel præſumant.Et in Concilio Generali edita de duabus diætis, dummodo vltra tres diætas aliquis auctoritate præſentium ad iudicium non trahatur,aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Prioratuum, & Ordinum prædictorum,ac Monaſteriorum, à quibus Prioratus ipſi forſan dependent,iuramento,confirmatione Apoſtolica,vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis,& conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis,& Litteris Apoſtolicis, illis,eorúmque Superioribus, & Perſonis, ſub quibuſcunque tenoribus,& formis,ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis,aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis,necnon irritantibus,& alis decretis,in genere,vel in ſpecie,ac aliàs quomodolibet conceſsis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illiſque, eorúmque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa,& indiuidua,ac de verbo ad verbum; non autem per clauſulas generales, idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſsio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda eſſet: tenores huiuſmodi,ac ſi de verbo ad verbum,nihil penitus omiſſo,& forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, pro ſufficienter expreſsis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſſè derogamus, contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper prouiſionibus ſibi faciendis de Prioratibus huiuſmodi, ſpeciales,vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum eius Litteras impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſeruationem,& Decretum,vel aliàs quomodolibet ſit proceſſum. Quas quidem litteras, & proceſſus habitos per eaſdem, ac inde ſequuta quæcunque ad Prioratus prædictos volumus non extendi; ſed nullum per hoc eos quoad executionem Prioratuum, vel Beneficiorum aliorum præiudicium generari; ſeu ſi aliquibus communiter,vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſsint per Litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam,ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionẽ,& quibuſlibet aliis priuilegiis, indultis,& Litteris Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus,quorũcunque tenorum exiſtant,per quæ præſentibus non expreſſa,vel totaliter non inſerta effectus eorum impediri valeat quomodolibet,vel differri,& de quibus,quorúmque totis tenoribus habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis, prouiſo, quòd propter vnionem, annexionem, & incorporationem huiuſmodi Prioratus prædicti debitis non fraudentur obſequiis,& in eis animarum cura, ſi qua illis immineat,nullatenus negligatur, neque Monachorum, & Miniſtrorum numerus minuatur; ſed Prioratuum huiuſmodi,& delictorum Filiorum Conuentuum eorundem ſupportantes congruè onera conſueta, & inſuper ex nunc irritum decernimus, & inane: ſi ſecùs ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ erectionis, inſtitutionis, vnionis, annexionis, incorporationis, ſuſceptionis, conceptionis,impartitionis, conſtitutionis, deputationis, elargitionis, mandati, derogationis, voluntatis, & decretorum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S.Marcum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimonono, Idibus Septembris, Pontificatus noſtri anno 8. Præſens copia extracta fuit ex ſuo proprio originali, cum quo collationata concordat, meliori ſemper ſaluo, &c. In quorum fidem hic me ſubſcripſi. Ita eſt.* IOANNES RIIDETVS *R. Cameræ Apoſtolicæ Not.*

tanto felicemente, che l'iſteſſo anno della publicatione della pace, Iddio hauendo diſpoſto il ritorno dell' Illuſtriſsimo, & Reuerendiſsimo Signore Cardinale de Medici, Legato à latere di ſua Santità per detta Prouincia di Ciables; Noi habbiamo riceuuto quel ſingolar contento nell' anima noſtra, di vederne il frutto, & eſſo la conſolatione di receuere nel grembo della noſtra Santa Madre Chieſa tante migliara di perſone, che già da ſi lungo tempo ſe n'erano allienate, con dimoſtratione di Zelo, e di feruore tanto euidente, che non ſolo gl' Heretici de contorni ne ſentirono grandiſsima commotione, mà la ſentina anco delle hereſie, eſſendo venuti molti della Citta di Geneua alla terra di Tonone, doue all' hora Noi erauamo per chiarir queſto lume, che gli riſplendeua, tanto vicino con apparenza indubitabile; che la maggior parte delli più oſtinati nella loro cecità, ſi ſarebbeno potuti in breue tempo diſporre à laſciar l'errore delle loro tenebre, quando ſi fuſſero ſeguitate le prediche, le conferenze, l'inſtrutioni, & altri eſſercitij tanto publici, come priuati, cominciati in detto Tonone, e neceſſarij per lo ſtabilimento della vera fede, pietà, è Religione Cattolica, maſsime ſe da Noi fuſſe prouiſto d'vna Caſa di Refugio, & da ritirarſi per tutti quelli, che de luoghi intorno veneſſero à ritiraruiſi per eſſer inſtrutti nella fede, & à viuere cattolicamente, atteſo che molti toccati nella conſcienza, ſono non dimeno ritenuti nella pertinacia loro, per non ſapere doue ritirarſi, & per timore di cadere in neceſsità irreparabile, maſsime del vitto, venendogli à mancare il trattenimento, che da gli Heretici gli è datto, ò l'eſſercitio dell' arte loro. Perilche dall' hora intraſsimo in penſiero e deſiderio eſtremo di remediare à queſto inconueniente, deliberandoſi di erigere in detto Tonone vn' albergo, ò caſa da ritirarſi, nella quale ſieno riceuuti tutti gli Heretici de noſtri Stati, & altri più vicini, e diſtanti, quali ſpinti da vna ſanta inſpiratione cercariano d'eſſere inſtrutti nulla fede Cattolica, & ciò con tal auantaggio, & commodità, che ciaſcheduno di loro ſecondo la ſua profeſsione, qualità, & induſtria, vi potria trouare in che adoperare il ſuo talento, all' honor di Dio, vtile publico, e ſua particolar conſolatione. La quale noſtra deliberatione hauendo propoſto, e communicato à i Prelati, Theologi, & Principali del noſtro conſiglio, ch'all'hora erano al ſeguito noſtro, & hauendogli trouati tutti vnanimamente inclinati all'eſſecutione d'vn diſſegno tanto fauoreuole per l'vtile della propagatione delle fede, & conſeruatione di quella ne noſtri ſtati, & altri infetti d'hereſie; conſiderando d'altronde, che la pietà de gran Prencipi non ſi puo fare diſsimile da quella de particolari, ſe non per gli ſoli ſegni eſteriori, li quali eſsi hanno più mezzi di laſciare più ſegnalati alla poſterità, in modo che gli antichi Imperatori, & Regi hanno ſpeſo parte de loro Teſori per fondare, e fabricare alcuni Tempi, Chieſe, e Monaſterij ſontuoſi; altri Caſe, Altari, & Hoſpitali di diuerſi nomi, & di varie ſorti, per ſouenire alla diuerſità de biſogni, & affliti da varie malatie, & infirmità corporali, ſenza però hauere ſin qui prouiſto di luogo proprio per la cura dell' anime, alle quali ſi come è ſenza paragone molto più degno, lodeuole, e meritorio il dar agiutto, & ſoccorſo à quelli, che ſono in neceſsità d'alimento ſpirituale, & d'inſtruttione in ſalute loro; coſi Noi mediante la diuina gratia habbiamo riſoluto di dar principio à ſi vtile impreſſa. Et à queſt' effetto habbiamo aſſegnato, donato, e rimeſſo all' honore, & gloria di Dio, vna Caſa molto ampia in detta terra di Tonone, per erigerui vn Albergo, & Caſa di Refugio, ſotto il titolo, & nome della Madonna delli ſette dolori, nella quale ſiano mantenuti, Theologi, Predicatori, & Maeſtri di ſcola, e d'arti per inſegnare la giouentù nell' arti liberali, e mecaniche, ritrahendola dal ſucchiare il veleno dell' hereſie, con imparare l'arti ſudette nelle Ville propinque à Geneua, Loſanna, & altre heretiche; doue ella è conſtretta à ricorrere per mancamento d'altra, fermando all' hora, & donando per primo trattenimento di detta Caſa tutto quello, che la neceſsità del tempo ci permiſſe, ciò è i reſidui delle taglie, ò gabelle, & decime doute da quei della Città di Geneua; le pene pecuniarie di diuerſi particolari; confiſcationi di varie ſorti con dichiaratione di dar il noſtro conſenſo, & placet per far venire in vtilità di detta Caſa li Priorati di S. Ciorio, & di Contaminà del noſtro Iuſpatronato perpetuo. Item, l'entrata che ſi caua della Confraternità di Tully indebitamente conuertita, & applicata in vtilità d' alcun particolare, & anco il legato fatto ex pia cauſa dal quon. Franceſco Eccherny, per l'ordinario trattenimento di dodeci gioueni per imparar qualche arte. Item, otto mila ſcudi d' oro con gl' intereſsi, che ne dipendono, che ſi troueranno depoſitati nelle mani d'alcuni particolari già dalla fel. memoria del Duca CARLO Auo noſtro, qual ſia in Cielo, ſenza mai ſe ne ſia fatto dipoi ritratto. Et di più otto mila ſcudi, ſimili, che Noi doniamo per vna volta, i quali ſi pagheranno in otto anni, & in tanto Noi faremo pagare alla detta Caſa qualche honeſto frutto & cenſo per quelli. Il qual cenſo pero ſi

*celebrare poſſent extra locum ſacrum, ſuper Altare tamen portatili. Inſuper aſſenſum præbuimus recipiendi Hæreticos, etiam in foro externo ſecundùm facultatem ipſis conceſſam. Atteſtamur præterea eiſdem RR.PP. datam fuiſſe facultatem, inſtante Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Cardinali* BANDINO, *reconciliandi, & benedicendi Eccleſias, pollutas, & profanatas ab Hæreticis, ſicut manifeſtant litteræ admodum R.P.Valeriani Bernæ à Pinerolio, Capucini, ſub die ſexta Februarij proximè decurſi, debitè ab eo ſubſignatæ, & ſigillatæ: qui tempore Miſſionis erat Apoſtolicus Commiſſarius, nunc autem Guardianus in Conuentu Conceptionis Genuæ. Inſuper atteſtamur Apoſtolica auctoritate (vt Nobis manifeſtum eſt per litteras familiares eiuſdem Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Cardinalis S.Seuerinæ, de ordine prædicti S. D. N. PAPÆ ſcriptas, datas Romæ decimaſeptima Ianuarij, etiam proximè præteriti,) prædictum R.P.Mauritium eſſe miſſum Tononum, & in Diœceſim Gebennenſem, ac finitimas Diœceſes, cum omnibus prædictis facultatibus, occaſione ſupradictæ Miſſionis. In quorum fidem has noſtras manu propria firmatas, fieri, & ſubſcribi, ſigillóque noſtro debitè muniri iuſſimus, & fecimus. Actum & Datum Taurini, die 17. Maij, 1601.* CAROLVS, *Archiepiſcopus Taurinen.* MEGLIARINI.

Locus † ſigilli.

*NOS F. BARTHOLOMÆVS Rocca de Pralormo, Inquiſitor Generalis Taurini, Foſſani, & Nicæ, contra hæreticam prauitatem, à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter delegatus: Vniuerſis facimus manifeſtum tenore præſentium, & atteſtamur, ſicuti RR. PP. Fratres Valerianus à Pinerolio, Mauritius Gambarinus Murenſis, & Philippus à Pancalerio, Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum Congregationis, à nonnullis annis elapſis citra, ad inſtantiam Sereniſſimi D. CAROLI EMMANVELIS Sabaudiæ Ducis, & Pedemontium Principis à S.D.N. CLEMENTE VIII. fuerant miſſi cum aliis Patribus, eiuſdem Congregationis ad Valles Pedemontis Hæreticis infectas, ad prædicandum* CHRISTI *D.N. Euangelium pro conuerſione Hæreticorum, cum ſequentibus facultatibus, & auctoritatibus à nobis illis conceſſis auctoritate Apoſtolica; ſcilicet, cum facultate tenendi libros Hæreticorum, illóſque legendi, audiendi confeſſiones, & recipiendi Hæreticos, etiam relapſos, in foro tamen conſcientiæ duntaxat: tum etiam recipiendi in foro externo coram Notario, & teſtibus Hæreticos ſponte ad Eccleſiam venientes, (abiurando tamen.) Item, quòd ſecum ducere poſſent pios, & catholicos Viros ad eos aſſociandum, dum conuenirent ad Hæreticorum Conciones, abſque hoc, quòd illi cenſuram aliquam incurrant: & quod poſſent ſimiliter celebrare, & alia diuina agere præſentibus Hæreticis, abſque hoc, quòd ipſi, vel Hæretici prædicti inciderent in cenſuras, vel aliud crimen. Prætereà teſtamur, quòd nunc à S.Sede Apoſtolica mittitur præfatus P. Mauritius ad partes Tononi, & per totam Diœceſim Gebennenſem, & finitimas cum omnibus prædictis facultatibus, non modò ad ſe exercendum in miſſione, vt ſuprà; ſed etiam propter opus Tononi inſtitutum à S.D.N. in obſequium, & auxilium ſanctæ fidei catholicæ, de quo opere extat Breue eiuſdem S.D.N. Et tandem quòd facultas illi facta ſit conſcribendi, & recipiendi eos, qui recipi voluerint in ſocietate* B. MARIÆ *Compaſſionis, ſeu ſeptem dolorum, erecta in oppido Tononi pro propaganda fide, vt ex Litteris Illuſtriſſimorum, & Reuerendiſſimorum Cardinalium S.Seuerinæ, & Burghenſis, prædicto Patri directis colligimus. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, cùm veritas ſic ſe habeat, has noſtras manu propria firmatas, & per Secretarium S.Officij ſubſcriptas fieri iuſſimus, ſigillóque Sanctiſſimæ Inquiſitionis debitè communiri. Actum, & dat. Taurini, die 20. Iunij, 1601.*

BARTHOLOMÆVS ROCCA DE PRALORMO, *Inquiſit. Taurini.* ELIAS *Secret.*

Locus † ſigilli.

*RINALDVS RESSANVS, Iuris vtriuſque Doctor, Ciuis, ac Præpoſitus Ciuitatis Pinerolij, Vicariúſque Generalis Inclyti Monaſterij Beatæ* MARIÆ *Vrbis, Ordinis S. Benedicti, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ nullo medio ſubmiſſi, & illius ſolitarum pertinentiarum pro Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo D.D. ROGERIO TRITONIO, ipſius Monaſterij, & ſolitarum pertinentiarum Abbate, ſeu perpetuo Commendatario: Vniuerſis præſentes noſtras inſpecturis, lecturis, & legi audituris, fidem facimus, & in verbo veritatis atteſtamur, ſicuti RR. PP. Fratribus Ordinis Minorum S.Franciſci Congregationis Capucinorum, ſignanter RR. PP. Fratribus Valeriano à Pinerolio, Mauritio Murenſi, Philippo à Pancalerio, & aliis Prædicatoribus, qui virtute Decreti etiam Apoſtolici, inſtante Sereniſſimo Domino CAROLO EMMANVELE, Sabaudiæ Duce, &c. miſſi fuerant anno 1596. proximè decurſo, ad Valles Pedemontis, pro conuerſione Hæreticorum, & Hæreſis extirpatione, & ad Miniſtros Hæreticorum per diſputationes, ſeu conferentias, & confutationem conceſſæ fuerunt à Nobis infraſcriptæ facultates; ſcilicet, verbum Dei prædicandi per totam noſtram*

## DIPLOMA NVNCII APOSTOLICI PRO erectione Miſſionis Apoſtolicæ in Pedemontanis Vallibus, editum anno 1601.

IVLIVS CÆSAR RICCARDVS, *Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Barren. S. D. N. D.* CLEMENTIS *diuina prouidentia PP. VIII. S. Sedis apud Sereniſſimum Dominum* CAROLVM EMMANVELEM, *Sabaudiæ Ducem, & Pedemontium Principem, Nuncius: Omnibus, & ſingulis has noſtras inſpecturis, lecturis, & audituris fidem facimus, & in verbo veritatis atteſtamur, ſicut in virtute litterarum familiarium de ordine præfati Sanctiſſimi D. N. ad Nos per Illuſtriſſimum, & Reuerendiſſimum D. Cardinalem S. Seuerinæ ſcriptarum, fuerunt per Nos conceſſæ, & commiſſæ RR. Fratribus Ordinis Minorum S. Franciſci Congregationis Capucinorum, ſignanter RR. PP. Fratribus Valeriano à Pinerolio, Mauritio Murenſi, Philippo à Pancalerio, Prædicatoribus, & aliis, qui virtute decreti etiam Apoſtolici, inſtante præfato Sereniſſimo fuerunt miſſi anno 1596. præterito ad Valles Pedemontis, pro conuerſione Hæreticorum, & hæreſis extirpatione, infraſcriptæ facultates, ſcilicet, verbum Dei prædicandi, & Euangelium explicandi, libros Hæreticorum, etiam prohibitos, tenendi, & legendi; item audiendi Confeſſiones ſacramentales quoruncunque pœnitentium, etiam Hæreticorum, & in foro conſcientiæ eos abſoluendi, à cenſuris, & excommunicationibus, aliiſque ſententiis, & pœnis eccleſiaſticis. Item, Hæreticos ad eos ſponte venientes ad abiurandum, etiam relapſos, non tamen inſignes, videlicet, Miniſtros, Capitaneos, & Dominos feudorum, recipiendi, & eorum abiurationes in ſcriptis redigi faciendi per Notarium, aut aliam Perſonam ab ipſis eligendam, cuius acta in præmiſſis ſint eiuſdem roboris, attenta forma illius approbationis tradita. Item, exercendi omnia munera parochialia, & adminiſtrandi omnia Sacramenta in defectum aliorum Sacerdotum, & matrimonia more Hæreticorum facta in locis, vbi publicatum fuerit Concilium Tridentinum, denuò more eccleſiaſtico, etiam omiſſis denunciationibus, contrahere faciendi. Cúmque in dicta Miſſione idem P. F. Mauritius magno cum fructu ſe geſſerit, hinc eſt, quòd S. D. N. eius perſonam cum iiſdem facultatibus ad id officium proſequendum vltra montes ad partes Tononi, & Gebennenſium per totam illam Diœceſin, & finitimas elegerit, vt per Litteras eiuſdem Illuſtriſſimi Cardinalis S. Seuerinæ dicto P. Mauritio ſcriptas, ſub die 17. Ianuarij præteriti certificati ſumus. In quorum fidem, &c. Datum Taurini die 13. Maij, milleſimo ſexcenteſimo primo, Pontificatus S. D. N. PP. anno decimo.*

IVLIVS CÆSAR, *Archiepiſcopus Barren. Nuncius.*

Locus † ſigilli. FRANC. LOGIA, *Sec.*

## DIPLOMATA FACVLTATVM PRO EADEM Apoſtolica Miſſione, edita anno 1601.

CAROLVS *Brolia, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Taurinenſis: Vniuerſis præſentes noſtras Litteras inſpecturis, lecturis, & legi audituris fidem facimus, & in verbo veritatis atteſtamur, ſicuti RR. Fratribus Ordinis Minorum S. Franciſci Congregationis Capucinorum, ſignanter RR. PP. Fratribus Valeriano à Pinerolio, Mauritio Murenſi, Philippo à Pancalerio, & aliis Prædicatoribus, qui virtute etiam Apoſtolici, inſtante Sereniſſimo Domino Sabaudiæ Duce, miſſi fuerunt de anno 1596. præterito ad Valles Pedemontis, pro conuerſione Hæreticorum, & hæreſis extirpatione conceſſæ fuerunt per Nos infraſcriptæ facultates; ſcilicet, verbum Dei prædicandi, & Euangelium explanandi per totam noſtram Diœceſim, & ſacramentales Confeſſiones audiendi quoruncunque pœnitentium, exceptis Monialibus Nobis ſubiectis, & abſoluendi eos à caſibus reſeruatis, imò & per litteras familiares Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſmi Cardinalis S. Seuerinæ de ordine S. D. N.* PAPÆ *ſcriptas, datas Romæ 11. Maij, 1596. conceſſimus facultatem abſoluendi ab omnibus caſibus reſeruatis in Bulla Cœnæ Domini, & hoc durante Miſſione in illis vallibus. Prætereà eiſdem RR. PP. Valeriano, Mauritio, Philippo, & aliis contulimus omnem auctoritatem noſtram circa diſpenſationem, & commutationem omnium votorum, ſimiliter Miſſione durante, necnon & poteſtatem adminiſtrandi Viaticum, & extremæ vnctionis Sacramentū; & etiam licentiam, quòd in caſu neceſſitatis ſecūdum exigentiam*

*di fare alcun inſulto, ò offeſa, in fatti, ne in parole, à detti Predicatori, ne d'oppoſirſi alle loro prediche in publico, ne in priuato, mentre ſono nell'atto di predicare. Ma che volendo qualſiuoglia della preteſa religione trattar, ò diſputar con loro, ciò facciano con la debita modeſtà, riuerenza. Nella qual pena dichiariamo incorrer quelli ch'à relatione d'vno, ò due ſaranno trouati alla contrauentione ſudetta. Anzi haueremo ſommamente à caro, & eſſortiamo tutti maſſime detti Heretici à venire à j ragionamenti, & prediche di detti RR. PP. ſeruando però ſempre quanto ſopra. In oltre deſideroſi Noi della pace, e quiete di quei poueri popoli à Noi ſogetti defendiamo, di piu eſpreſſamente inhibiamo, che non venghino ne s'accettino in eſſe Valli alcuni noui Miniſtri più di quelli ch'al preſente ſi ritrouano. A quali parimente prohibiamo d'andar, trattare, participare, ne ſotto qualſiuoglia proteſto, ò colore negociare con gli altri Miniſtri foraſtieri. A quali etiam dio foraſtieri inhibiamo di conuerſar, ne fare alcun Sinodo, ò Congregatione, con li Miniſtri delle ſudette Valli, ne anco tra eſſi loro inſieme, che non ſia preſente il Podeſtà, ò ſia Ordinario del luogo ſotto la predetta pena, à gli vni, & à gl'altri, & che di più li Miniſtri di ſudette Valli predichino ſolamente ne luoghi permeſſi, e non altroue. Mandiamo perciò, e ſtrettamente commandiamo à tutti i noſtri Miniſtri, Vfficiali, Vaſſalli, e ſudditi, e ſpecialmente al Gouernatore di Pinarolo, di tener mano alla piena oſſeruanza & eſſequutione delle preſenti, con far captiuar, e procedere contro i diſobedienti, e contrauentori, e poi darne auiſo per poter, ſe farà biſogno, più gagliardamente prouedere, promettendo à qualunque auiſarà, ò denonciarà i traſgreſſori, che ſarà tenuto ſecreto, e di più guadagnerà ſcuti cento, le quali preſenti noſtre ſaranno regiſtrate de longo nelli tribunali di eſſe Valli, e con l'atto della publicatione per hauerne ricorſo al biſogno, e ne ſia mandato la relatione al primo Secretario noſtro Ripa, che coſi vogliamo. Dat. in Torino, li 5. Febraro, 1596.*

*CARLO EMANVEL.* RIPA.

MILIET.

## *DIPLOMA EIVSDEM CAROLI EMANVELIS pro erectione Sanctæ Domus in oppido Tononý, editum eodem Anno.*

CARLO EMANVEL, Per gratia di Dio, Duca di Sauoia, Ciables, Agoſta, & Geneueſe; Principe, & Vicario perpetuo del ſacro Imperio Romano, Marcheſe in Italia, Prencipe di Piemonte, Marcheſe di Saluzzo, Conte di Geneua, Romon, Nizza, Aſti, & Tenda; Barone de Vaulx, & Faucigny, Signor di Vercelli, del Marcheſato d'Oneglia, del Maro.

*LA vera intentione di tutti i noſtri diſſegni, tanto in guerra, come in pace, hauendo ſempre per principal fine quell'iſteſſo, che i Sereniſſimi noſtri predeceſſori ſi ſono propoſti dal primo ſtabilimento di queſta Corona in tutte le loro impreſe, & attioni, cioè l'eſſaltatione della gloria di Dio, l'aumento, & conſeruatione della fede Cattolica, Apoſtolica, Romana, ſi dentro, come fuori de ſtati loro, ſenza ſparagnarne in modo alcuno, ne de facoltà loro, ne il proprio ſangue. In eſſecutione del che ſubito che per l'incomparibil cura, ſingolar prudenza, & faticoſa interpoſitione del noſtro Santo Padre il Papa CLEMENTE VIII. che al preſente ſede, e piacciuto alla diuina clemenza di raunire li Prencipi Chriſtiani in vna felice concordia, e reconciliatione, mediante il trattato di Veruins, incontinente poi habbiamo procurato d'impiegare il beneficio della pace nel medemo ſogetto del motiuo delle noſtre armi, ricercando tutti li più dolci, e conuenienti mezzi, per ridurre alla verità della noſtra fede Cattolica, tanto quelli de noſtri ſubditi de Ciables, quanto de Baliagi circumuicini alla Città di Geneua, quali doppo ſi lungo corſo d'anni ſe n'erano ſeparati, facendoui continuare le prediche, & altri pÿ eſſercitÿ già dal tempo della Vittorioſa giornata di Colonges, & del paeſe di Cexquiui, da Noi introdotti per facilitare, & auanzare la loro conuerſione: il che è ſucceſſo*

*tanto felicemente, che l'iſteſſo anno della publicatione della pace, Iddio hauendo diſpoſto il ritorno dell' Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſmo Signore Cardinale de Medici, Legato à latere di ſua Santità per detta Prouincia di Ciables; Noi habbiamo riceuuto quel ſingolar contento nell' anima noſtra, di vederne il frutto, & eſſo la conſolatione di receuere nel grembo della noſtra Santa Madre Chieſa tante migliara di perſone, che già da ſi lungo tempo ſe n'erano allienate, con dimoſtratione di Zelo, e di feruore tanto euidente, che non ſolo gl' Heretici de contorni ne ſentirono grandiſſima commotione, mà la ſentina anco delle hereſie, eſſendo venuti molti della Citta di Geneua alla terra di Tonone, doue all' hora Noi erauamo per chiarir queſto lume, che gli riſplendeua, tanto vicino con apparenza indubitabile; che la maggior parte delli più oſtinati nella loro cecità, ſi ſarebbeno potuti in breue tempo diſporre à laſciar l'errore delle loro tenebre, quando ſi fuſſero ſeguitate le prediche, le conferenze, l'inſtrutioni, & altri eſſercitij tanto publici, come priuati, cominciati in detto Tonone, e neceſſarij per lo ſtabilimento della vera fede, pietà, è Religione Cattolica, maſſime ſe da Noi fuſſe prouiſto d'vna Caſa di Refugio, & da ritirarſi per tutti quelli, che de luoghi intorno veneſſero à ritiraruiſi per eſſer inſtrutti nella fede, & à viuere cattolicamente, atteſo che molti toccati nella conſcienza, ſono non dimeno ritenuti nella pertinacia loro, per non ſapere doue ritirarſi, & per timore di cadere in neceſſità irreparabile, maſſime del vitto, venendogli à mancare il trattenimento, che da gli Heretici gli è datto, ò l'eſſercitio dell' arte loro. Perilche dall' hora intraſſimo in penſiero e deſiderio eſtremo di remediare à queſto inconueniente, deliberandoſi di erigere in detto Tonone vn' albergo, ò caſa da ritirarſi, nella quale ſieno riceuuti tutti gli Heretici de noſtri Stati, & altri più vicini, e diſtanti, quali ſpinti da vna ſanta inſpiratione cercariano d'eſſere inſtrutti nulla fede Cattolica, & ciò con tal auantaggio, & commodità, che ciaſcheduno di loro ſecondo la ſua profeſſione, qualità, & induſtria, vi potria trouare in che adoperare il ſuo talento, all' honor di Dio, vtile publico, e ſua particolar conſolatione. La quale noſtra deliberatione hauendo propoſto, e communicato à i Prelati, Theologi, & Principali del noſtro conſiglio, ch'all'hora erano al ſeguito noſtro, & hauendogli trouati tutti vnanimamente inclinati all'eſſecutione d'vn diſſegno tanto fauoreuole per l'vtile della propagatione delle fede, & conſeruatione di quella ne noſtri ſtati, & altri infetti d'hereſie; conſiderando d'altronde, che la pietà de gran Prencipi non ſi puo fare diſſimile da quella de particolari, ſe non per gli ſoli ſegni eſteriori, li quali eſſi hanno più mezzi di laſciare più ſegnalati alla poſterità, in modo che gli antichi Imperatori, & Regi hanno ſpeſo parte de loro Teſori per fondare, e fabricare alcuni Tempi, Chieſe, e Monaſterij ſontuoſi; altri Caſe, Altari, & Hoſpitali di diuerſi nomi, & di varie ſorti, per ſouenire alla diuerſità de biſogni, & affliti da varie malatie, & infirmità corporali, ſenza però hauere ſin qui prouiſto di luogo proprio per la cura dell' anime, alle quali ſi come è ſenza paragone molto più degno, lodeuole, e meritorio il dar agiutto, & ſoccorſo à quelli, che ſono in neceſſità d'alimento ſpirituale, & d'inſtruttione in ſalute loro; coſi Noi mediante la diuina gratia habbiamo riſoluto di dar principio à ſi vtile impreſſa. Et à queſt' effetto habbiamo aſſegnato, donato, e rimeſſo all' honore, & gloria di Dio, vna Caſa molto ampia in detta terra di Tonone, per erigerui vn Albergo, & Caſa di Refugio, ſotto il titolo, & nome della Madonna delli ſette dolori, nella quale ſiano mantenuti, Theologi, Predicatori, & Maèſtri di ſcola, e d'arti per inſegnare la giouentù nell' arti liberali, e mecaniche, ritrahendola dal ſucchiare il veleno dell'hereſie, con imparare l'arti ſudette nelle Ville propinque à Geneua, Loſanna, & altre heretiche; doue ella è conſtretta à ricorrere per mancamento d'altra, fermando all'hora, & donando per primo trattenimento di detta Caſa tutto quello, che la neceſſità del tempo ci permiſſe, ciò è i reſidui delle taglie, ò gabelle, & decime doute da quei della Città di Geneua; le pene pecuniarie di diuerſi particolari; confiſcationi di varie ſorti con dichiaratione di dar il noſtro conſenſo, & placet per far venire in vtilità di detta Caſa li Priorati di S. Ciorio, & di Contaminà del noſtro Iuſpatronato perpetuo. Item, l'entrata che ſi caua della Confraternità di Tully indebitamente conuertita, & applicata in vtilità d' alcun particolare, & anco il legato fatto* ex pia cauſa *dal quon. Franceſco Ecchernij, per l'ordinario trattenimento di dodeci gioueni per imparar qualche arte. Item, otto mila ſcudi d' oro con gl' intereſſi, che ne dipendono, che ſi troueranno depoſitati nelle mani d'alcuni particolari già dalla fel. memoria del Duca CARLO Auo noſtro, qual ſia in Cielo, ſenza mai ſe ne ſia fatto dipoi ritratto. Et di più otto mila ſcudi, ſimili, che Noi doniamo per vna volta, i quali ſi pagheranno in otto anni, & in tanto Noi faremo pagare alla detta Caſa qualche honeſto frutto & cenſo per quelli. Il qual cenſo pero ſi*

ſminuirà, & calarà cõforme, ò per rata delli pagamenti, che ſi faranno anno per anno, per agiuttar ſempre più, & augumentare vna ſi ſanta opera. Et finalmente concedendo alla detta Santa Caſa molti particolari, & noui priuilegij oltre quelli, de quali al preſente gode, e puo godere l'Albergo di Vertu eretto preſſo la preſente noſtra Città di Turino, & anco la ragione de decime de tutti gli doni, & ricompenſe liberali, che da Noi ſi faceſſero circa gli ſtati dilà da Monti, & inſieme molte altre gratie, che ſarebbono lunghe à narrare, & ſpecificare. Di tutte le quali coſe noi habbiamo datto ampliſsimo auiſo al N. S. P. il PAPA per mezzo del R. P. Cherubino, deuotiſsimo Religioſo dell'Ordine di S. Frãceſco, per ſopranome de Capucini, quale hà molto faticato nella conuerſione dell'anime, condotte al grembo della Noſtra Santa Madre Chieſa dentro il Balliagio di Ciables, & altre parti, à effetto, che le piaceſſe hauer grate queſte primitie della noſtra buona volontà, in fauorire li progreſsi, & autorizare la perfettione, ordinando, & diſponendo il tutto ſecondo che la felicità della ſua prouidenza, & chiaro giuditio giudicarebbe eſſer per il meglio. Et perche ſua Santità ha non ſolamente hauuto grato queſto principio noſtro, anzi moſtrato tanto deſiderio di aumentarlo, & condurlo à ſua perfettione, in modo ch' ella ſi è degnata dichiarar di poi di volerne pigliare la particolare prottetione, & di volergli vnire li ſudetti doi Priorati; & di più due buone Abbatie per trattenimento de Theologi, & Prædicatori, con propoſito di aumentarla, & arrichirla di molti altri gran beneficij tanto ſpirituali, quanto temporali, & come più ampiamente è dichiarato nella Bolla ſpedita ſopra ciò l'anno proſsimo paſſato MDC. & ſi contiene nelle lettere particolari à Noi ſcritte ſopra queſt'isteſſo fatto, per le quali detta S. Sede ci eſſorta à condurre ad intiero effetto li primi punti della noſtra deliberatione, per darle animo d'effettuare, quanto prima per parte ſua quello, ch'ella deſidera per il compimento d'vn ſeruitio tanto fruttuoſo, e rileuante. Noi dall'altra parte non deſideriamo maggiormente coſa alcuna, che di obedirle, e compiacerle, come ſiamo obligati, ancor che per l'vltima inopinata inuaſione de noſtri ſtati, & per li notorij impedimenti che ne ſono ſequiti, Noi non habbiamo potuto ſodisfare à quel tanto, ch'era de noſtra prima intentione; & che anco al preſente ci ſia impoſsibile di fare conſtar delle proue conforme all'affettion noſtra; ne dar tal'ordine, che Noi deſidereſsimo per compimento d'vn' opra tanto notabile: ne volendo nondimeno prolungar per poco, che ſia di fare ogni ſorte di pronta, e debita obedienza all'eſſortationi di detto N. S. P. ne ritardare in modo alcuno il profitto, che puo naſcere dal zelo circa queſto fatto; anzi dichiarare à ſua Santità, & tutti gli poſteri. la ſingolare, & immutabile diuotione, che Noi habbiamo verſo la S. Sede, & l'aumentatione della Religione Cattolica, Apoſtolica, Romana. Per queſte cagioni, & per l'eſſaltatione d'eſſa fede noſtra, & eſtirpatione dell'hereſie, beneditioni de noſtri popoli, remiſsione de noſtri peccati, & perpetua proſperità della noſtra linea: Di noſtro moto proprio, e ſpontanea volontà, certa ſcientia, piena poteſtà, & autorità ſuprema, habbiamo aſſegnato, rimeſſo, e donato, come per le preſenti aſſegniamo, rimettiamo, & doniamo in perpetuo, & per donatione pura, ſemplice, & irreuocabile, là ſudetta Caſa del Priorato di Santo Hippolito, ſituata appreſſo la Chieſa di detto Santo dentro la terra di Tonone, con le ſue pertinenze, e dependenze per in quella fondare, erigere & drizzare, come già ſi era comminciato di fare, vn' Albergo, per rifugio di tutti quelli, che inſpirati dallo Spirito Santo, vi verranno ad habitare per abandonare l'hereſie, & raunirſi alla verità della Religione Cattolica. Qual Albergo ſarà fondato com'era già, & d'adeſſo Noi di nuouo lo fondiamo ſotto il titolo, & inuocatione della glorioſa Vergine Madre di Dio, Protettrice della Corona di Sauoia, & ſi chiamarà, la Caſa della Madona di Compaſſione, per & à fine che dentro quella, & de l'entrata, che le ſara data, ſiano da queſt'hora in poi mantenuti Theologi, & Predicatori, ch'alla giouentù l'Humanità, Filoſofia, & Theologia, & anco Maëſtri eſperti in diuerſe arti, per inſegnare li giouani di minore, ò d'inferior conditione, l'arti, alle quali ſaranno trouati più inclinati, & idonei Confirmando da queſt'hora tutte le conceſsioni, donatione, & gratie da Noi fatte in fauor di detta Caſa dal tempo, che Noi erauamo in Ciables. Et donando di nuouo Caſa, che biſogno ſia, la detta Caſa del Priorato S. Hippolito al ſeruitio, come di ſopra. Item, li otto mila ſcudi deputati, come di ſopra è detto, ſpettanti à Noi con gli altri otto mila, che ſi pagheranno in otto anni giontamente, con tutti li frutti di Taglie, che poſſono douere quelli della Città di Geneua, per li beni, ch'eſsi poſſedono ne noſtri Stati, com' anco la detta decima, de beni, recompenſe, & liberalità quanto particolari che Noi faremo per l'auenire alli noſtri Sudditi dilà da Monti con tutto il reſto de priuilegij, eſſentioni, & immunità, conceſſe al detto Albergo di Vertù di queſta Città à

*godere, , vſare, diſporre , & farne in quel modo che ſarà contenuto , & dichiarato nelli Stati , e Regole, che ſi faranno ſeparamente circa il modo, trattenimento , & adminiſtratione di detta Caſa della Madonna di Compaſsione , la quale habbiano rimeſſo , & rimettiamo per le noſtre preſenti, ſotto l'intiera protettione, & diſpoſitione di ſua Santità, dandole piena poteſtà, & autorità, & alli Commeßi, & deputati da lei di pigliare, & eleggere quel luogo, piazza, & Caſa in detto Tonone, che li parerà meglio, quando quella che da Noi è ſtata aſſegnata, & donata , non ſi trouaſſe propria, & capace per pienamente effettuare la ſua ſanta intentione. Riſeruando à Noi ſolamente la ſuperiorità, & protettione temporale di detta Caſa, & di adempire ſubito che piacerà alla diuina Buontà di permettere di paſſare dilà da Monti tutto quello , che l'impedimento dell' vltima guerra ſoprauenuta, & altri ſiniſtri oſtacoli ci hanno impedito di condurre à piena & intiera eſſecutione. Et in tanto commandiamo al Signor D. Albigny , Cugino , & luogotenente noſtro dilà da Monti , & anco alli noſtri cariſsimi fedeli, & dilectiſsimi Conſiglieri delli noſtri Senato, & Camera de Conti dilà da Monti, & à tutti gli altri noſtri Officiali, & qualſiuoglia Miniſtri, tanto Gouernatori, come Giudici maggiori di Prouincie , & ſpecialmente di detto Ducato di Ciables , & à tutti gli altri noſtri Vaſſalli, & ſubditi, à quali ſpettarà d'obedire prontamente, e ſenza difficultà, à tutto quello, che per queſto conto ſarà loro propoſto, ingionto , & commandato da parte noſtra dalli Commiſſarij, à quali Noi daremo commiſsione, e piena facoltà d'adempire , & effettuare, quanto di ſopra, & ciò ſotto pena di priuatione d'officio, & della noſtra diſgratia perpetua, perche tale è la volonta , e mente noſtra. Datum in Torino à di vltimo di Luglio, M.DCI.*

*CARLO EMANVEL.*

VISTA DOMENICO BELLI.

Luogo † del ſigillo grande. RIPA.

## ALIVD DIPLOMA EIVSDEM, HÆRETICOS ſibi ſubditos ad Catholicam fidem cohortantis.

*CAROLVS EMMANVEL, Dei gratia, Dux Sabaudiæ, Princeps Pedemontis, &c. Nobis dilectis, & fidelibus ſubditis Ducatus Chablaſij , & regionum Ierniaci, & Galliardi , Sal. Cùm noſtra inſtantia , & precibus S.D.N.PP. CLEMENS VIII. pauco abhinc retroacto tempore , plurimos Concionatores Congregationis Capucinorum , moribus & vita exemplares, ad Sanctum Euangelium prædicandum , in noſtris Vallibus Delphinatui finitimis miſerit , inter quos fuit Reu. noſter chariſsimus, & dilectus, fidelis, Fr. Mauritius Murens. Paternam autem curam , quam S. D. N. habet de hominum ſalute continuando , nunc dictum Murens cum eius Sociis in ſupradictas regiones Chablaſij , Ierniaci , & Galliardi , & in Gebennenſem Diœceſim , ac alias finitimas, magnis, ac ſpiritualibus facultatibus præditos mittat ad Sanctum Euangelium prædicandum : ideò ad hoc , vt ad eorum audiendas conciones , & aliorum etiam, qui ad hoc mittuntur, conueniatis , & vt liberè cum illis, ac familiariter pertractando ad cognitionem veræ fidei Catholicæ , & Apoſtolicæ , quam ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia Romana tenet, ac prædicat, in cuius gremio Nos vnà cum propriis filiis viuimus , in qua etiam omnes noſtri Aui , & Prædeceſſores vixerunt, perueniatis, & ad hoc, vt ipſorum ad vos aduentus fructum, quem optamus, producere poſſit , à ſingulari affectu, quem erga vos , tanquam chariſsimos & dilectos ſubditos habemus , præcipuè commoti , & à maximo deſiderio ſalutis veſtræ , quod Deus nobis elargitur incitati , quantum Nobis poſſibile eſt , affectuosè vnumquenque veſtrûm, in generali , & in particulari hortamur. Et nihilominùs præcipimus in veſtris Parochiis, vel alibi, vt prædictorum Capucinorum Conciones, vel aliorum, vt ſuprà, mittendorum, audiatis, veſtráſque mulieres, ac liberos abſque vlla difficultate conuenire curetis. Etenim, cùm iandiu Caluini, ac aliorum ſimilium Miniſtrorum falſam doctrinam contra animarum veſtrarum ſalutem , & veritati Euangelij contrariam, ſectati fueritis : rationabiliſsimum , vt illam deſerere, ac Dei verbum, quod in veritate beatitudinem æternam promittit , ac omnibus illud audientibus , & obſeruantibus confert, libenter audire deliberetis, cenſemus. Ad hæc etiam hortamur , ac ſimiliter præcipimus, vt ve-*

*ſtros filios ad ſcholas à prædictis Patribus erigendas, & regendas, vbi gratis ſecundùm eorum captum inſtruentur, mittatis. Sed vt prædicti Patres, & Religioſi eorum ſancta exercitia ad animarum veſtrarum ſalutem continuare poſſint, vos etiam inuitamus, & hortamur, vt veſtris largis eleemoſynis, ac beneficiis eos iuuetis, ex quo tot ſubeunt labores, ac pœnas perpatiuntur. Promittentibus Nobis, ex noſtra gratia, & libera voluntate, eos, qui charitatiuè ad dictos Religioſos ſe habuerint, teſtimonium noſtræ gratitudinis, in omni rationabili euentu experturos. Mandamus ſimiliter, & præcipimus omnibus noſtris Magiſtratibus, Miniſtris, Officialibus Iuſtitiæ, Vaſſallis, ac ſubditis, ſingulíſque eorum, ad quos ſpectabit, vt ad obſeruantiam præſentiarum manum adhibeant, ne contra Religioſorum præfatorum perſonas, nec ipſis ſeruientibus quidquam facto, vel verbo à quoquã attentetur, ſub vltimi ſupplicij pœna ipſis contrauentoribus inferenda; ſed tanquàm veri Dei Miniſtri honorentur, ac reuereantur. Sic eos Nos recipientes ſub noſtra protectione, & tutela, vt tanquam propriam, eorum omnem offenſam, & iniuriam, verbo, vel facto illis illatam, reputemus, ſicuti & è conuerſo omne beneficium & omnem honorem, ac reuerentiam illis exhibitam: talis enim eſt voluntas noſtra. Datum Taurini, die 20. Iunij, 1601.*

CAROLVS EMMANVEL.

V.D. BELLVS    Locus † ſigilli.    RIPA.

## BVLLA CLEMENTIS VIII. SVMMI PONTIF. qua Capucini Fratres ad Vngariæ bellum tranſmittuntur, edita anno 1601.

### CLEMENS PAPA VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

*CVm dilecti Filij, Vicarius Generalis Fratrum Ordinis S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, ac Præpoſitus etiam Generalis Congregationis Clericorum Regularium miniſtrantium infirmis, de mandato noſtro aliquos ex Fratribus eiuſdem Ordinis Capucinorum; & ex Religioſis dictarum Societatis, & Congregationis reſpectiuè elegerint mittendos cum exercitu noſtro eccleſiaſtico, quem ſub gubernio Dilecti Filij nobilis Viri FRANCISCI Aldobrandini; noſtri ſecundùm carnem Nepotis, in auxilium chariſſimi in Chriſto Filij noſtri Rodulphi, Romanorũ Regis Illuſtris, in Imperatorem electi, & dilecti Filij nobilis Viri FERDINANDI, Archiducis Auſtriæ, aduerſus Turcarum impetus mittimus, vt ibi Sacramenta miniſtrare, ægrotantium curã gerere, omnes monitis, & exemplis ad Dei timorem, & amorem accendere; Milites ad viriliter pro Chriſti fide dimicandum animare ſtudeant, & Fratribus, videlicet, Capucinis, qui duodecim erunt, Fr. Gaſpar de Bergamo, eiuſdem Ordinis, in Guardianum, necnon Religioſis Miniſtris infirmorum, qui octo erunt, Petrus Barbaruſſa, dilecti Filij, in Superiores deputati fuerint, cum poteſtate alios ſubſtituendi. Nos, vt ipſi Gaſpar Guardianus, & Petrus Superior, necnon Fratres, & Religioſi prædicti, ea, ad quæ mittuntur, meliùs exequi valeant, illis, & in euentum mortis, aut alterius impedimenti illorum ſucceſſoribus, ac Sociis aſſignatis, & aſſignandis prædictis, quòd omnium & ſingulorum de exercitu prædicto confeſſiones audire, eóſque ab omnibus peccatis, & cenſuris eccleſiaſticis, & caſibus quomodolibet reſeruatis, etiam in Bulla in die Cœnæ Domini legi conſueta, contentis, in foro conſcientiæ tantùm iniuncta ſalutari pœnitentia abſoluere, necnon vota quæcunque (Caſtitatis, & Religionis votis duntaxat exceptis,) in alia pietatis opera commutare. Ac omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus de prædicto exercitu contra Turcas, & Infideles pugnaturis, Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, & Extremæ Vnctionis Sacramenta miniſtrare, necnon Miſſas ſuper Altare portatili in loco clauſo, & à ventis tuto, in terra cum reuerentia, & honore celebrare. Omnibus verò, & ſingulis fidelibus de exercitu prædicto, vt ſibi aliquem, tam ex dictis Fratribus, & Religioſis, quàm alium Sacerdotem approbatum eligere, qui poſſit eorum confeſſiones audire, eos ab omnibus peccatis, exceſſibus, & delictis, ac cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis, etiam, vt præfertur, reſeruatis abſoluere. Prætereà, vt pleniùs ægrotantibus Fratres, & Religioſi prædicti ſatisfacere poſſint, vt ipſi Fratres, ac Religioſi, ſi fuerit opus, pro ipſorum ægrotantium neceſſitatibus, in*

*exercitu, & alibi, eleemoſynas petere; per Syndicum tamen, ſeu Procuratorem aliquem à Commiſſario Apoſtolico aſſignandum, ſeu deputandum, recipiendas, & in infirmorum neceſſitatibus exponendas; ita quòd ipſi Fratres, & Religioſi, nec eleemoſynas huiuſmodi ipſi recipiant, nec adminiſtrent, niſi quatenus eorum Regulæ permittunt, & per Procuratorem prædictum fuerit eis mandatum, ſiue conceſſum. Quòdque Fratres, & alij Religioſi prædicti, quandocunque ventum fuerit ad arma contra infideles, quilibet eorum in ea acie, ſeu agmine, cui aſſignatus fuerit fidelibus, & pugnantibus, nomine noſtro benedictionem impendere reſpectiuè poſſint, & valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium facultatem concedimus, & poteſtatem. Inſuper omnibus, & ſingulis fidelibus de exercitu prædicto, videlicet, qui gratis militauerit pro prima vice, qua confeſſi, & contriti Sanctiſſimam Euchariſtiam ſumpſerint, plenariam omnium, & ſingulorum peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem concedimus. Qui verò ſtipendiati fuerint, & eandem Sanctiſſimam Euchariſtiam, vt præfertur, prima vice ſumpſerit, decem annos, & totidem quadragenas. Omnibus autem, & ſingulis ſtipendiatis, & non ſtipendiatis, etiam aliis perſonis dicti exercitus, aliis vicibus confeſſis, & contritis, ac communicatis, quinque annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus, & in articulo mortis conſtitutis, atque in prædicta expeditione, vel pugna, ſeu præliis morientibus, (contritis tamen) plenariam quoque Indulgentiam, quam iidem Fratres à Nobis conceſſam eſſe pronunciare, & prædicare poſſint. Item, omnibus, qui Miſſæ, vel Sermonibus, ſeu Concionibus prædictorum Fratrum, aut orationibus matutinis, vel veſpertinis horis, prout à prædictis Fratribus fuerit ordinatum, deuotè interfuerint, Indulgentiam quinquaginta dierum de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli auctoritate confiſi, per eaſdem præſentes concedimus, & elargimur. Ne autem Fratres, & Religioſi prædicti, dum aliis prodeſſe ſtudent, ſibi detrimentum faciant, aliiſque minùs proſint, eis mandamus, vt in omnibus propriam regulam obſeruent, necnon ſuo Vicario, & Præpoſitis Generalibus reſpectiuè in omnibus, & ſingulis, quæ ab eis illis ordinata, & præcepta fuerint, pareant, & humiliter obediant. Præterea eorundem Superiorum, & Religioſorum conſcientiæ ſecuritati conſulere volentes, Capucinis, videlicet, vt Militum confeſſiones audire, eiſque pœnitentiam ſalutarem iniungere, ac abſolutionem impendere valeant: & tam ipſis, quàm aliis Religioſis prædictis, & cuilibet eorum, vt donec cum dicto exercitu, præmiſſis pietatis officiis fungendo, fuerint, ex defectu lenitatis, dummodo ipſi in alicuius mortem non operentur, nullam irregularitatis notam incurrant, concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ, apud S. Marcum, ſub Annulo Piſcatoris, die 25. Maij, 1601. Pontificatus noſtri anno 10.*

Locus † Annuli Piſcatoris. M. VESTRIVS BARBIANVS.

## ALTERA EIVSDEM CLEMENTIS BVLLA PRO Sacramentis adminiſtrandis edita, eodem anno 1601.

### CLEMENS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

*CVm Nos nuper dilectis filiis Fratribus Capucinis, ac Religioſis Miniſtris infirmorum, qui cum exercitu noſtro eccleſiaſtico contra Turcas profecti ſunt, licentiam audiendi confeſſiones, & eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtrandi, militibus, & perſonis eiuſdem exercitus noſtri eccleſiaſtici, cum facultatibus ſpiritualibus tunc expreſſis conceſſerimus; prout in noſtris, in forma Breuis, Litteris deſuper expeditis latiùs continetur. Cúmque, ſicut accepimus, vltra milites, & perſonas dicti exercitus eccleſiaſtici, alij etiam ex militibus, & aliis perſonis aliarum legionum contra Turcas militantium, & perſonæ cuiuſcunque generis ad prædictos Fratres Capucinos, & Religioſos Miniſtrorum infirmorum accedere ſoleant, vt eis ſua peccata confiteantur, & alia eccleſiaſtica Sacramenta ſuſcipiant: Nos de Chriſti fidelium omnium ſalute paterna charitate ſolliciti, ac prædictarum Litterarum tenorem præſentibus pro expreſſo habentes, Fratribus Capucinis, & Miniſtris infirmorum in exercitu noſtro eccleſiaſtico exiſtentibus, vt aliis etiam Chriſti fidelibus, præter milites, & alios de dicto*

*exercitu noſtro eccleſiaſtico ad eos accedentibus quibuſcunque, Pœnitentiæ, & alia eccleſiaſtica Sacramenta, cum eiſdem facultatibus illis pro exercitu noſtro eccleſiaſtico conceſſis miniſtrare, liberè & licitè valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, licentiam, & facultatem impertimur. Non obſtantibus omnibus illis, quæ in eiſdem Litteris volumus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Marcum, ſub Annulo Piſcatoris, die 14. Auguſti, 1601. Pontificatus noſtri anno 10.*

Locus † ſigilli Annuli Piſcatoris. M. Vestrivs Barbianvs.

## BVLLA CLEMENTIS VIII. PONT. MAX. PRO erectione Monialium Capucinarum in Vrbe Pariſiorum, edita anno 1603.

## CLEMENS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI. Ad perpetuam rei memoriam.

*Debitum paſtoralis officij Nobis ex alto commiſſi requirit, & Nos ad id promptos excitat, vt ad ea, quæ Monaſteria, & alia religioſa loca incrementum ſuſcipere, ac vt in eis prudentes Virgines, ac aliæ honeſtæ mulieres ſpretis huius infælicis ſæculi illecebris ſub ſuaui Religionis iugo, ac debita clauſura Altiſſimo famulari, ſuique ſexus fragilitatem effugere, & æternam Beatitudinem conſectari valeant, ac exinde flores honoris, & fructus honeſtatis, regulariſque vitæ propagatio proueniant, libenter intendamus; & in his eiuſdem officij noſtri partes fauorabiliter interponamus, pias teſtantium voluntates, quæ aliàs ad deſtinatum effectum perduci nequeunt, interdum commutando, prout Catholicorum Regum, ac etiam voluntatum huiuſmodi executorum vota, & rationabiles cauſæ expoſcunt, perſonarúmque, & locorum qualitatibus, & circunſtantiis debitè penſatis, id conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Sanè chariſſimus in Chriſto Filius noſter HENRICVS, Francorum & Nauarræ Rex, & chariſſima in Chriſto Filia MARIA, eorundem Francorum & Nauarræ Regina, Coniuges Chriſtianiſſimi, tam ſuo, quàm Venerabilis Fratris noſtri ERRICI Epiſcopi Virdunenſis, & dilectorum filiorum aliorum executorum teſtamenti, claræ memoriæ, Ludouicæ olim Reginæ Franciæ, necnon dilectæ etiam Nobis in Chriſto Filiæ, Nobilis mulieris Mariæ de Luxemburgo, relictæ quondam Philippi Emmanuelis à Lotharingia, Mercurij Ducis, nominibus Nobis nuper exponi fecerunt, quòd aliàs dicta Ludouica Regina, tunc in humanis agens, & terrena in cæleſtia, ac tranſitoria in æterna bona felici commercio ad laudem, & gloriam præpotentis Dei Regum Regis, ac omnium bonorum largitoris optimi, piorúmque operum augmentum commutare deſiderans, in ſuo teſtamento, ſub cuius diſpoſitione ab hac luce migrauit, vnum Monaſterium Monialium, Capucinarum nuncupandarum, ſub inſtituto Ordinis Fratrum, Capucinorum etiam nuncupatorum, S. Franciſci, in ciuitate Bituricenſi, & ſita in ea per præfatum PHILIPPVM EMMANVELEM eius fratrem germanum, quem tunc in humanis agentem hæredem ſibi vniuerſalem inſtituerat ad dictum ERRICVM Epiſcopum, ſimiliter eius fratrem, & alios executores prædictos eligendo, extrui, & fabricari mandauit, ac viginti mille ſcuta à PHILIPPO EMMANVELE Duce, & hærede, ac Maria prædicta, quos Domini de Bouſſart, vſufructuarios, vita eorum durante, cum onere huiuſmodi reliquit perſoluenda, ex quibus quinque, videlicet, in fabricam ipſius Monaſterij; reliqua verò mille ſcuta huiuſmodi in emptionem bonorum, & redditnum pro eius dote, ac Monialium in illo pro tempore exiſtentium ſuſtentatione erogari deberent, legauit: corpus autem ſuum ex Eccleſia Monaſterij Monialium S. Claræ oppidi de Molins, Ordinis eiuſdem S. Claræ Niuernien. Diœceſis, vbi ex illius diſpoſitione & voluntate depoſitum eſt ad Eccleſiam prædicti Monaſterij, poſtquàm ſic extructum foret, ibi ſepeliendum, transferri iuſſit, & aliàs prout in dicto teſtamento plenius dicitur contineri. Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, dicta ciuitas in ſuo ambitu exigua, & anguſta, ac pluribus aliis Mendicantium Ordinum, tam Virorum, quàm Mulierum Monaſteriis grauata ſit, & ſi Monaſterium Capucinarum huiuſmodi, quod iuxta regularia Inſtituta primò dicti Ordinis dotari non poteſt; ſed ex piorum eleemoſynis ſuſtentari debet, tot aliis addatur, ſpes nulla extat, vt in dicta ciuitate ea eleemoſynarum quantitas, quæ ad illius manutentionem ſufficiat, commodè colligi*

*poſsit, vel debeat. In ciuitate vero Pariſienſi, totius Regni Franciæ celeberrima, & populoſiſſima, nullum Monaſterium Monialium Capucinarum huiuſmodi reperiatur, & quamplures Virgines eiuſdem Ciuitatis Pariſienſis, Deo Opt. Max. in humilitate ſpiritus, & candore virginitatis ſub ſuaui Religionis iugo famulari intendentes, Inſtitutum ipſarum Monialium Capucinarum, præ cæteris omnibus, ſingulari pietatis ſtudio profiteri, amplectique deſiderent; & tam* ERRICVS *Epiſcopus, aliíque executores teſtamentarij, quàm* MARIA *prædicta, id piè attendentes, optimum fore iudicauerint, prædictum Monaſterium in ipſa ciuitate Pariſienſi, vbi Regum Chriſtianiſsimorum munificentia, ac Virorum Principum, ac aliorum totius prædicti Regni Procerum, & Magnatum ad eam paſſim confluentium liberalitate, necnon piis illius ciuitatis eleemoſynis commodè manuteneri poterit, erogata etiam in illius fabricam dictorum viginti millium ſcutorum ſumma, qua pro eius dotatione opus non eſt extrui, ac corpus dictæ* LVDOVICÆ, *Reginæ, ex dicto Monaſterio S. Claræ ad Eccleſiam conſtruendi Monaſterij huiuſmodi transferri, ibidem recondi facere, & dictus* HENRICVS *Rex, re diligenter, & maturè diſcuſſa, idem ex ſententia, & voto Supremi Senatus Pariſienſis faciendum eſſe cenſuerit; & propterea ipſe, dictaque* MARIA *Regina, nominibus prædictis, Nobis humiliter ſupplicari fecerint, quatenus eorum votis in hac parte annuere, ac aliàs in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionis propagationem noſtris potiſsimùm temporibus ſynceris deſideramus affectibus,* ERRICVM *Epiſcopum, & alios executores, ac* MARIAM, *prædictos, eorúmque ſingulos, à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliíſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, necnon teſtamenti prædicti, ac inde ſecutorum quoruncunque tenores præſentibus pro expreſſis, & totaliter inſertis habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati eiſdem* ERRICO *Epiſcopo, aliíſque executoribus, &* MARIÆ *in dicta ciuitate Pariſienſi, ac ſitu ad id conuenienti, & opportuno, per eos eligendo, primò dictum Monaſterium ſub inuocatione eis benè viſa, cum Eccleſia, campanili humili, campanis, Clauſtro, Refectorio, Dormitorio, Cœmeterio, area, cellis, hortis, hortalitiis, aliíſque ſolitis officinis, ac membris neceſſariis, & opportunis, ex dicta ſumma viginti millium ſcutorum extrui faciendi, plenam, liberam, & abſolutam licentiam, & facultatem, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, tribuimus, & impartimur, ipſúmque Monaſterium ſic conſtruendum, poſtquàm conſtructum, & debita clauſura munitum fuerit, ex nunc, prout ex tunc, & è contra in Monaſterium Monialium Capucinarum prædicti Ordinis pro vna Abbatiſſa, ac competenti, & non minore duodecim, nec maiore quinquaginta numero Monialium, quæ habitum, per alias Moniales Capucinas nuncupatas prædicti Ordinis geſtari ſolitum, ſuſcipere, ac profeſsionem regularem per eas emitti conſuetam emittere, necnon perpetuam clauſuram, & quoad fieri poterit, ritus, mores, & conſuetudines, ac regularia inſtituta eiuſdem Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum ſeruare, diuiníſque Officiis, & laudibus inſiſtere, ac ſub obedientia, viſitatione, correctione, ſubiectione, & omnimoda ſuperioritate, nunc & pro tempore exiſtentium Superiorum Ordinis prædicti, ad inſtar Monialium Capucinarum aliorum Monaſteriorum in vrbe, & ciuitate Neapolitana inſtitutorum, viuere debeant, auctoritate, & tenore prædictis perpetuò, ſine alicuius præiudicio, erigimus, & inſtituimus; illíque ſic erecto, & inſtituto, ac illius Abbatiſſæ, Monialibus, & aliis perſonis, necnon Eccleſiæ eiuſdem, & Chriſti fidelibus eam pro tempore viſitantibus, vt omnibus, & ſingulis priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, fauoribus, conceſsionibus, Indultis, Indulgentiis, cæteriſque gratiis, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus quibuſuis, aliis Monaſteriis Monialium Capucinarum nuncupatarum primò dicti Ordinis, illorúmque Abbatiſsis, Monialibus, perſonis, Chriſti fidelibus eaſdem Eccleſias viſitantibus, in genere, vel in ſpecie, etiam per viam ſimplicis communicationis, ac aliàs quomodolibet conceſsis, & pro tempore concedendis, ac quibus illa, vel illæ de iure, vſu, priuilegio, conſuetudine, ac aliàs quomodolibet vtuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, frui, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ſimiliter, & pariformiter, ac ſine vlla prorſus differentia vti, frui, potiri, & gaudere, necnon Capellanos, & Confeſſarios idoneos ex eodem Ordine Fratrum Minorum Capucinorum à Capitulo Generali ad id pro tempore deputandos, qui in Eccleſia dicti Monaſterij per præſentes erecti, Miſſas, ac alia diuina Officia celebrent, ac illis in diuinis deſeruiant, ipſáſque Abbatiſſam, & Moniales, ac earum ſingulas in ſuis Confeſsionibus audiant, illíſque Sacramenta Eccleſiæ*

*miniſtrent.*

*miniſtrent, habere; necnon* ERRICO *Epiſcopo, aliíſque executoribus, & MARIÆ prædictis, vt corpus prædictæ LVDOVICÆ, Reginæ, ex dicto Monaſterio S. Claræ, abſque cuiuſuis licentia, vel conſenſu ad Monaſterium per præſentes prædictum, ſeu illius Eccleſiam, poſtquàm conſtructum, ſeu conſtructa fuerit, vt præfertur, transferri, illúdque ibi condi facere, necnon quæcunque ſtatuta, ordinationes, capitula, & decreta, ad eiuſdem Monaſterij per præſentes erecti, illiúſque perſonarum, & rerum curam, regimen, gubernium, directionem, & adminiſtrationem, dictarum Monialium receptionem, admiſsionem, ætatem, qualitates, victum, amictum, inſtructionem, & diſciplinam pertinentia, ac aliàs vtilia, & neceſſaria, licita tamen, & honeſta, ac ſacris Canonibus, decretiſque Concilij Tridentini, & inſtitutis regularibus prædicti Ordinis non contraria; Superioribus tamen prædictis pro tempore exiſtentibus examinanda, & approbanda, facere, & edere, ac quoties pro rerum, & temporum qualitate, ſeu aliàs expediens videbitur, cum interuentu, ſeu prauio examine, & approbatione eorundem Superiorum illa commutare, corrigere, moderari, reformare, ac etiam alia ex integro condere. Præterea pro Monialium in dicto Monaſterio per præſentes erecto introducendarum proſpera directione, ac in ritu, moribus, & regularibus inſtitutis inſtructione, duas, vel tres Moniales ad id voluntarias, ex quibuſcunque Monaſteriis Monialium Regni Franciæ dictæ MARIÆ benè viſas, ſeu gratas, ac per eam eligendas, hac prima vice duntaxat de Superiorum ſuorum licentia aſſumere, ipſæque Moniales ſic electæ, & aſſumptæ ad dictum Monaſterium per præſentes erectum ſe transferre; & ſi diuerſi Ordinis fuerint, ritibus, & Inſtitutis, aliiſque omnibus, & ſingulis obligationibus prædicti Ordinis ſe conformare, ac ibi perpetuò, vel ad tempus ipſis Superioribus benè viſum, ita vt interim ab omni, & quacunque obſeruatione prioris earum Regulæ penitùs, & omninò liberæ, & abſolutæ ſint, permanere liberè, & licitè poſsint, & valeant; ipſiſque Monialibus ſic transferendis, Abbatiſſæ, & Vicariæ officia diſtribui debeant. Hæ tamen nequeant ibidem recipi ad ſatisfactionem, & cum conſenſu Superiorum dicti Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum, & illis non approbantibus, nihilominùs in ipſo Monaſterio per præſentes erecto, ad habitum, & Nouitiæ ad profeſsionem Monialium Capucinarum huiuſmodi admitti poſsint, perinde ac ſi antedictæ tres Moniales eſſent ibidem introductæ, & cætera omnia, tam per præſentes conceſſa, quàm inpoſterum concedenda, ac ſtatuta etiam condenda, ad formam dicti Concilij conceſſa intelligantur eiſdem auctoritate, & tenore. Concedimus, & indulgemus dictæ LVDOVICÆ Reginæ voluntatem quoad præmiſſa omnia, & ſingula auctoritate, & tenore ſimilibus ſufficienter & opportunè commutamus. Decernentes vltra Capellanos, & Confeſſarios prædictos, etiam viſitatores ordinarios, ſiue extraordinarios dicti Monaſterij per præſentes erecti in quolibet Capitulo Generali eiuſdem Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum, ſeu extra illud, quoties opus fuerit, à Miniſtro Generali eligendos eſſe, ac præſentes Litteras, & in eis contenta quæcunque, nullo vnquam tempore ex quocunque capite, vel cauſa, quantunuis legitima, & iuridica de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu, notari impugnari, inualidari, in ius, vel controuerſiam reuocari, ad viam, & terminos iuris reduci, aut deſuper quomodolibet hæſitari, ac aduersùs illa quodcunque iuris gratiæ, vel facti remedium impetrari poſſe, neque ſub quibuſuis ſimilium, vel diſsimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus per Nos, vel alios Romanos Pontifices, ſucceſſores noſtros ſub quibuſcunque verborum expreſsionibus, & formis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine pro tempore factis comprehendi, ſed tanquam pro fundatione dicti Monaſterij per præſentes ad Religionis, diuiniique cultus. ac piorum operum augmentum conceſſa, ſemper ab illis excepta, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & eum, in quo anteà quomodolibet erant, ſtatum reſtituta, repoſita, & plenariè reintegrata, ac de nouo etiam ſub datum per Abbatiſſam, & Moniales pro tempore exiſtentes prædictas, quandocunque eligenda conceſſa eſſe, & fore, ſuúmque plenarium effectum ſortiri. Sicque per quoſcunque Iudices, etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, ac auctoritate, vbique iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane quidquid ſuper his à quocunque quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus voluntate dictæ LVDOVICÆ Reginæ, & aliis præmiſſis, ac Apoſtolicis, atque in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, vel Ordinationibus, ac Monaſteriorum, & Ordinum, prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus,*

*priuilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis, eorúmque Superioribus, & perſonis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, & cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliíſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu proprio, ſcientia, & poteſtatis plenitudine, ſimilibus, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, aliàs de illis, eorúmque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenoris huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitùs omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, tributionis, impartitionis, erectionis, inſtitutionis, conceſſionis, indulti, commutationis, decreti, & derogationis, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli, Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ, apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimotertio, Idibus Septembris, Pontificatus noſtri anno 12. Signatum in finem variis ſignis, & ſupra plicam ſcriptum eſt, à Lombart. & in dorſo ſcriptum eſt, regiſtratum. Chauſſeus pro Magiſtris: & ſigillatum in plumbo ſub cordulis ſericis.*

*Collatio facta eſt ad originale ſanum & integrum, in ſcriptura, ſignis & ſigillo, in pergameno ſcriptum cum præſentibus redditum, per nos Notarios publicos Apoſtolicos, & Eccleſiaſticos Pariſiis commorantes ſubſignatos. Actum Pariſiis anno Domini milleſimo ſexcenteſimo trigeſimoſecundo, die tertia menſis Martij.*

## BVLLA CLEMENTIS VIII. PONTIF. QVA Capucini ad ſæcularium confeſſiones audiendas admittuntur, edita eodem anno.

### CLEMENS PAPA VIII. Ad futuram rei memoriam.

*ALiàs fel. rec.* GREGORIVS PAPA *XIV. Prædeceſſor noſter ex cauſis tunc expreſſis, motu eius proprio, ſua perpetuò valitura Conſtitutione, ſtatuit, & ordinauit, quòd nullus Congregationis Capucinorum Ordinis Fratrum Minorum nuncupatorum S. Franciſci, in Laïcorum vtriuſque ſexus, & Clericorum ſæcularium quacunque dignitate, præeminentia, auctoritate, & facultate ſuffulti eſſent, confeſſionibus occupari, vel confeſſiones eorum audire, etiamſi id ad faciendum à Superioribus, aut Protectore, aut etiam ab Apoſtolica Sede quomodolibet, & ſub quacunque verborum forma licentias eatenus obtinuiſſent, provt in eiuſdem* GREGORII *Prædeceſſoris litteris in forma Breuis ſub data die prima* 1591. *expeditis plenius continetur. Cùm autem diuerſi Chriſti fideles pro eorum erga dictum Ordinem, ſeu Congregationem Capucinorum deuotione cupiant Religioſis eiuſdem Congregationis confiteri poſſe: Nos illorum pio deſiderio benignè annuentes, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, déque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine prædictas* GREGORII *Prædeceſſoris Litteras, quarum tenorem præſentibus pro expreſſis haberi volumus, ita moderamur, vt Miniſter Generalis eiuſdem Congregationis Capucinorum, & Diffinitores, in Capitulo generali congregati, & in eodem Capitulo tantùm quibuſvis eiuſdem Congregationis Religioſis ad Confeſſiones audiendas approbatis, provt ipſis Miniſtro Generali, & Diffinitoribus videbitur, licentiam audiendi ſæcularium vtriuſque ſexus Confeſſiones, vſque ad noui Capituli generalis celebrationem, & non vltrà, & ſic de Capitulo generali, in Capitulum generale concedere reſpectiuè poſſint, & valeant auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, facultatem concedimus, & impartimur, & quaſcunque licentias audiendi ſæcularium huiuſmodi confeſſiones quibuſuis eiuſdem Congregationis Fratribus ab illius Protectore, aut quocunque alio, etiam de expreſſo noſtro mandato in perpetuum conceſſas, harum ſerie reuocamus, & annullamus. Decernentes irritum & inane, quidquid ſecùs ſuper his à quocunque quauis auctoritate ſcienter,*

*vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtante prædicta GREGORII XIV. Prædeceſſoris, ac quibuſuis aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, vt præſentium tranſſumptis, etiam impreſsis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem, quæ præſentibus adhiberetur, fides adhibeatur. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris die 3. Febr. 1603. Pontificatus noſtri anno 11.*

Locus † Annuli Piſcatoris. M. VESTRIVS BARBIANVS.

## DIPLOMA CLEMENTIS VIII. PONTIFICIS, pro ædificando Capucinorum Conuentu in Vrbe Conſtantia, editum eodem anno 1603.

### CLEMENS PAPA VIII.

*Dilecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.*

*IAm pridem nota eſt Nobis virtus tua, & zelus catholicæ Religionis, & ſtudium ardens ad omnia pietatis opera pro tuis viribus promouenda, quibus & Dei cultus augetur, & Chriſti Fidelium deuotio inceditur; & denique multarum animarum ſaluti optimè conſulitur. Quare non cum mediocri voluptate accepimus, te, quod complures iam annos procurare non deſtitiſti, nimirum, vt ſerui Dei Fratres Minores Ordinis S. Franciſci, Capucini nuncupati, ab iſta inſigni ciuitate Conſtantiæ reciperentur, iam tandem Dei benignitate eſſe conſecutum, & ex publico Senatus iſtius conſenſu, ac decreto tibi conceſſum eſſe, vt tuis ſumptibus Domum, & Conuentum extruas, Eccleſiam ædifices, ſacram ſupellectilem appares, & denique Religioſos illos introducas, qui Deo Altiſsimo diuinis Officiis celebrandis, & omnibus eorum Regularibus Inſtitutis piè obeundis aſsiduè ſeruiant. Illúdque in primis Nobis iucundum fuit, iam ante non multos dies, vt audiuimus, ſalutiferæ Crucis vexillum à V. Fratre noſtro Epiſcopo eiuſdem Ciuitatis benedictum, ac Clero, Senatu, & populo comitantibus, ritu ſolenni, fixum, atque erectum eſſe in eo loco, vbi Eccleſia, & Domus Capucinorum eſt ædificanda. Laudamus, Fili, pietatem tuam, & ciuitati iſti gratulamur, quòd fideles illos vineæ Dei Omnipotentis operarios ſit breui habitura, qui vbique bonus Chriſti odor ſunt: ſed, quia opera Dei diligenti ſedulitate ſunt vrgenda; propterea in Domino hortamur, vt quod piè inchoaſti, quamprimùm, Deo inuocante, perficias, neque vllis difficultatibus deterrearis aut retarderis, ſi quas forſitan Satanas malorum omnium Architectus obiiciet, aut ij moliantur, qui errorum tenebris miſerè obcæcati opera lucis libenter impediunt. Tibi quidem, vt confidimus, idem Epiſcopus pro ſuo diuini honoris zelo, bonique omnes adiumento erunt, & Deus ipſe, cuius gloriam quæris, tecum erit. Tu ergo eſto forti animo, & pro tuo loco, & officio perge cauſam Dei adiuuare, vt tibi dominicæ ſuæ gratiæ abundantiam in via, & præmia in patria ſempiterna largiatur. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 15. Martij, 1603. Pontificatus noſtri anno .....*

Dilecto Filio Iacobo Fucchario, Præpoſito Eccleſiæ Conſtantienſis.

## BVLLA PAVLI V. PONTIF. QVA CAPVCINI Fratres, veri P. N. Franciſci Filij declarantur: edita anno 1608.

### PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

*ECcleſiæ militantis regimini, Auctore Domino, nullo ſuffragio meritorum præſidentes ex iniuncto Nobis officij debito prouidere tenemur, vt qui ſub B. Franciſci vexillis, qui inter ſtrenuos Chriſti Duces gloriæ ſplendore coruſcat in huius vitæ militiæ ſub ſtrictioris B. Franciſci regula diſciplinæ Altiſsimo obſequium præſtant, & per corporis caſtigationem, per di-*

*uitiarum contemptum, ſuique ipſius abnegationem, ieiuniis, orationibus, ſacris prædicationibus, aliſque religioſis operationibus vacantes, verbo, & exemplo veros ſeſe B. Franciſci imitatores, & germina oſtendunt, taléſque ab omnibus abſque vlla controuerſia habeantur. Cùm itaque, ſicut accepimus à nonnullis, reuocetur in dubium, an Fratres eiuſdem Ordinis S. Franciſci, Capucini nuncupati, ſint verè Fratres Minores; & etiam, quoniam Regulam S. Franciſci profitentur filij S. Franciſci, cùm tempore S. Franciſci inſtituti non fuerint; paritérque an eorum Conſtitutiones aliquid habeant, quod Regulæ S. Franciſci repugnet: Nos dubia huiuſmodi Apoſtolicæ declarationis Oraculo decidere cupientes, cum Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum conſilio, matura deliberatione habita, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, auctoritate Apoſtolica declaramus, Fratres Capucinos eſſe verè Fratres Minores, ac etiam (quamuis tempore S. Franciſci minimè inſtituti fuerint, cùm tamen eius Regulam profiteantur, atque eorum inſtituta congruant, tam Regulæ, ſtatutis, quàm eiuſdem Regulæ Declarationibus, quæ habentur in Conſtitutione fel. record.* CLEMENTIS PAPÆ V. *Prædeceſſoris noſtri, in generali Concilio Vienneſi edita, quæ incipit:* Exiui de Paradiſo.) *filios S. Franciſci; eorum præterea Conſtitutiones nihil continere, quod non ſit Regulæ S. Franciſci prædictæ conſentaneum, ſicq; ab omnibus, & ſingulis, cenſeri, ac reputari, & iudicari debere; ac irritum, & inane, quidquid ſecùs ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Quocirca omnibus, & ſingulis Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac Dilectis filiis noſtris Apoſtolicæ Sedis Nunciis, per præſentes mandamus, quatenus ipſi per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes Litteras, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Fratrum Capucinorum prædictorum fuerint requiſiti, ſolenniter publicantes, illíſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra, eos præmiſſis omnibus, & ſingulis iuxta præſentium continentiam, & tenorem pacificè frui, & gaudere; non permittentes, eos deſuper à quoquam quauis auctoritate quomodolibet moleſtari: contradictores quoſlibet, & rebelles, ac præmiſſis non parentes, per ſententias, cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliáque opportuna iuris, & facti remedia appellatione poſtpoſita, compeſcendo: necnon legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, illos ſententias, cenſuras, & pœnas prædictas incurriſſe declarando, illáſque etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteríſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, & auctoritate prædicta decernimus, vt præſentium tranſſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſticâ conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extrà adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 15. Octobris, 1608. Pontificatus noſtri anno 4.*

SCIPIO COBELLVTIVS.

Loco † Annuli Piſcatoris. N. TRONÇON.

## DIPLOMA EIVSDEM, QVO INDVLGENTIA Capucinorum Eccleſiis conceditur die 2. Auguſti.

## PAVLVS PAPA V.

*VNiuerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Ad augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem cæleſtibus Eccleſiæ theſauris pia charitate intenti, omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui quaſcunque Eccleſias Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci, Capucinorum nuncupatorum, die ſecunda Menſis Auguſti à primis Veſperis vſque ad occaſum Solis diei huiuſmodi, ſingulis annis deuotè viſitauerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Romanæ Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Præſentibus ad decennium duntaxat*

valituris. Datum Romæ, apud S. Marcum, ſub Annulo Piſcatoris, die 5. Iulij, 1608. Pontificatus noſtri anno 4. SCIPIO COBELLVTIVS.

## ALIVD DIPLOMA EIVSDEM, QVO TRIA Altaria priuilegiata in tribus Eccleſiis cuiuslibet Prouinciæ Capucinorum Vltramontes conceduntur, editum eodem anno.

PAVLVS PAPA V.
Ad perpetuam rei memoriam.

OMnium ſaluti paterna charitate intenti, ſacra interdum loca ſpiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, vt inde fidelium defunctorum animæ Domini noſtri IESV Chriſti, eiúſque Sanctorum ſuffragia meritorum conſequi, & illis adiutæ ex Purgatorij pœnis ad æternam ſalutem per Dei miſericordiam perduci valeant. Cùm itaque, ſicut nomine Superiorum, & Fratrum Ordinis Capucinorum vltra montes degentium, Nobis nuper expoſitum fuit, fel. recor. GREGORIVS XIII. Prædeceſſor noſter, vt quotieſcunque Sacerdos aliquis eiuſdem Ordinis Miſſam defunctorum pro anima cuiuſcunque fidelis, quæ Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraſſet, ad tria altaria trium Eccleſiarum cuiuſcunque Prouinciæ dicti Ordinis per Superiores prædictos deſignanda celebraret, anima de theſauro Eccleſiæ per modum ſuffragij indulgentiam conſequeretur, viuæ vocis Oraculo conceſſerit, & indulſerit, & ab inde citrà Prouinciæ ipſius Ordinis, benedicente Domino, adauctæ fuerint: Nos Superiorum & Fratrum prædictorum ſupplicationibus nobis humiliter porrectis inclinati, auctoritate Nobis à Domino tradita, & Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, conceſſionem, & indultum huiuſmodi dummodo à D. Gregorio Prædeceſſore verè emanauerit, etiam ad alias Eccleſias Prouinciarum dicti Ordinis poſtmodum erectarum, & futuris temporibus erigendarum, eiſdem modo, & forma, quibus ab eodem Gregorio Prædeceſſore conceſſa fuerunt, perpetuò extendimus, & ampliamus, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Tuſculi, ſub Annulo Piſcatoris, die 9. Iunij, 1608. Pontificatus noſtri anno 4.

Locus † Annuli Piſcatoris. SCIPIO COBELLVTIVS.

*Supradicta Copia fuit extracta ex ſuo proprio Originali, cum qua collationata concordat, ſalua ſemper, &c. In quorum fidem, &c. Datum Romæ, die 12. Iunij, 1608. Ita eſt, Mutius Paſſarinus, S. D. Noſtri Papæ Vicarij Notarius.*

*Hieronymus Tituli S. Blaſij de Annulo, S. R. E. Presbyter Cardinalis Pamphilius, Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ Vicarius Generalis, Romanæ Curiæ, eiúſque diſtrictus Iudex Ordinarius, vniuerſis, &c. ſupradictum Mutium, qui ſupradictæ collationi ſe ſubſcripſit, fuiſſe, & eſſe Curiæ noſtræ Notarium publicum, legalem, & authenticum, eiúſque publicis, & ſimilibus ſcripturis adhibitam ſemper fuiſſe in iudicio, & extra, & de præſenti indubiam adhiberi fidem, notum facimus, & atteſtamur. In quorum, &c. Datum Romæ ex ædibus noſtris, hac die 13. Iunij, 1608.* Locus † ſigilli.

## BVLLA EIVSDEM PAVLI V. PONT. QVA cauetur, ne Fratres B. MARIÆ de Mercede, Capucinos, in ſuum Ordinem recipiant: edita eodem anno 1608.

PAVLVS PAPA V.
Ad perpetuam rei memoriam.

NVper ad Nos perlatum eſt, Religioſos Ordinis Beatæ MARIÆ de mercede Redemptionis captiuorum, prætextu cuiuſdam Indulti Apoſtolici dicto Ordini antiquitùs conceſſi, ac demum fel. rec. CLEMENTEM PAPAM VIII. prædeceſſorem noſtrum, per ſuas in huiuſmodi forma Breuis Litteras datas 25. Decemb. 1596. Pontificatus ſui anno 5. aboliti, & reuocati,

*aut forſan alterius, Profeſſores Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci, Capucinorum nuncupatorum, & alios Regulæ ſtrictioris in eorum Sodalitatem, ſeu Domos, aut Conuentus recipere. Quare, cùm id ſæpius meritas pœnas eluendi cauſa fiat, & ex hoc multa ſcandala in populo generentur, & alia multa incommoda naſcantur. Nos huiuſmodi ſcandalis obuiare, & quieti Religioſorum ampliùs proſpicere cupientes, ne quis Prælatorum, ſeu Superiorum, aut Fratrum Conuentuum, ſeu Domorum dicti Ordinis Beatæ* MARIÆ *de Mercede Redemptionis captiuorum, tam in Regnis Hiſpaniarum, quàm alibi conſiſtentium, quauis ille dignitate, præeminentia, prærogatiua, vel munere fungatur, prætextu cuiuſuis indulti, ſeu priuilegij Apoſtolici recipere audeat, vel præſumat, cauſa quarti voti, quod ipſi Profeſſores Ordinis Beatæ* MARIÆ *de Mercede huiuſmodi faciunt, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, diſtricte prohibemus. Non obſtantibus priuilegiis, ſeu indultis huiuſmodi, ac quibuſuis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis Beatæ* MARIÆ *de Mercede, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis illi, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, illorúmque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua; non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quauis alia expreſſio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, vt præſentium tranſſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Marcum, ſub Annulo Piſcatoris, die 7. Iulij, 1608. Pontificatus noſtri anno 4.*

SCIPIO COBELLVTIVS. MVTIVS PASSARINVS *S.D.N. Papæ Vic. Notar.*

## BVLLA PAVLI V. PONTIFICIS, QVA CAPVcini à Minorum Conuentualium ſubiectione, ac dependentia eximuntur, edita anno 1619.

### PAVLVS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

*ALiàs fel. record. PAVLVS PAPA III. Prædeceſſor noſter ſupplicationibus dilectorum Fratrum Ordinis Sancti Franciſci, Capucinorum nuncupatorum, ſibi humiliter porrectis, tunc inclinatus, auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia ſua, per ſuas ſub plumbo expeditas litteras, ſtatuit, & ordinauit, quòd ex tunc deinceps iidem Fratres Electionem Vicarij Generalis dicti Ordinis, ſi à maiori parte eligentium celebraretur, quamprimùm commodè fieri poſſet, Miniſtro Generali Fratrum Minorum Conuentualium nuncupatorum, ſicut eatenus ſeruatum fuerat, donec aliud deſuper Ordinatum à Sede Apoſtolica fuiſſet, præſentarent, ſeu præſentari facerent, ipſéque Miniſter Generalis intra triduum à præſentatione ſibi facta, ipſum electum Vicarium confirmare teneretur; & triduo elapſo, & electo non confirmato, idem electus pro confirmato Sedis Apoſtolicæ auctoritate haberetur, ſub certis modo, & forma tunc expreſſis, prout in dictis Pauli Prædeceſſoris huiuſmodi litteris, quarum tenores, præſentibus pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Nos ad vberes, & ſuaues fructus, quos, ſicut accepimus, iidem Fratres Capucini in agro Dominico in dies (benedicente Domino) afferunt, noſtræ conſiderationis dirigentes intuitum, illóſque ſpecialibus fauoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliíſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum duntaxat præſentium conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; quòd de cætero futuris perpetuis temporibus Fratres Capucini prædicti electionem eorum Vicarij Generalis prædicto Miniſtro generali præſentare, & ab*

illo

*illo confirmationem electionis huiuſmodi petere minimè teneantur, nec ad id à quoquam, quauis auctoritate cogi, vel compelli poſsint, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus, eoſdemque Fratres Capucinos ab onere præſentandi electionem huiuſmodi, & illius confirmationem petendi, auctoritate, & tenore prædictis, omninò abſoluimus, & totaliter eximimus, & liberamus; illóſque ab onere huiuſmodi omninò abſolutos, ac totaliter exemptos, & liberatos fore, & eſſe, præſenteſque litteras ſemper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere, dictiſque Fratribus Capucinis in omnibus, & per omnia pleniſsimè ſuffragari, nec eos deſuper à quoquam quauis auctoritate quomodolibet moleſtari, perturbari, vel inquietari poſſe, vel debere; ſicque, & non aliter per quoſcunque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, vbique iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus. Non obſtantibus litteris dicti Pauli prædeceſſoris, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinum prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis, illis, & eorum Superioribus quocunque nomine nuncupatis, & Fratribus, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibúſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſsis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorúmque toties tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſsio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſsis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 28. Ianuarij, 1619. Pontificatus noſtri anno 14.*

ADAMVS. *S. Cardinalis S. Suſannæ.*

Locus † Annuli Piſcatoris.

# INDEX
# VIRORVM ILLVSTRIVM, QVORVM VITA, ET GESTA IN HOC SECVNDO ANNALIVM TOMO EXARANTVR.

## A

AEGIDIVS Enneus, ex Syracuſana Prouincia Sacerdos, nulli virtute ſecundus. an. 1602. pag 686. num. 36. 37. Solitudinem potiſſimùm colit. p. 687. n. 38. Futura prædicit. Occultas hominum cogitationes peruadit. ibid. n. 39. 41. Nonnulla miracula præſtat. p. 688. n. 40. vſque 50. Futuri obitus tempus à B. Virgine accipit. p. 688. n. 51. In Conuentu Coliſabetæ cæli adyta penetrat. Poſt mortem miraculis coruſcat. ibidem, n. 52.

Ægidius è Portu S. Mariæ, Valentinæ Prouinciæ Concionator, in Hetruſca Prouincia (vt creditur) Apoſtolicæ vitæ fundamenta poſuit. an. 1603. p. 697. n. 20. Ad infidelium terras Euangelium prædicaturus migrat. ibid. Eximia illius patientia declaratur. p. 698. n. 21. Segobrigæ in Conuentu animam Deo reddit. ibid. Poſt mortem mulieri glorioſus apparet: eíque propinquum vitæ occaſum prænunciat. p. 698. n. 21. Nonnulla poſt mortem miracula præſtat. p. 698. n. 22. 23.

Ægidius Mediolanenſis, è Mediolani Prouincia Clericus, in oratione plerunque ecſtaſes patitur, & die ſui obitus prædicto, in Domino quieſcit. an. 1607. p. 788. num. 45.

Albertus Bergomas, Brixienſis Prouinciæ Concionator feruentiſſimus. Paupertatis obſeruantiſſimus ſæpè de ea ad Fratres ſermonem habet. an. 1585. p. 168. n. 13. 14. Liberrimè pro ſuggeſtu vitia increpat. Vitæ periculum incurrit. Impios à ſui nece abſtinentia reuocat. p. 169. n. 15. 16. Prædicationem oratione præcurrit. ibid. n. 16. 17. Ipſius Prædicatio qualis. p. 169. n. 18. Futura prædicit. p. 170. n. 19. 20. Saltationes intercipit. p. 170. n. 21. Ab eo impudica mulier repellitur. p. 171. n. 23. Vndique ad prædicandum accerſitur. p. 170. n. 22. Regularis diſciplinæ, ac prædicationis zelo ad ſupremum vſque ſpiritum obſeruantiſſimus in Conuentu Colonij à laboribus ad præmium euolat. p. 171. n. 24.

Alexander à Lauro, Neapolitanæ Prouinciæ Sacerdos, obedientiæ commendatur. an. 1606. p. 774. n. 60.

Alexius à Viglebano, è Mediolanenſi Prouincia Laïcus ſanctimonia illuſtris. an. 1581. p. 7. n. 24. Paupertatem præſertim, abſtinentiã, humilitatem, charitatem, atque obedientiam perpetuò coluit. p. 7. 8. n. 24. & 26. A fructibus qua ratione abſtinuit. p. 8. n. 24. Qua via ad perfectionem aſcenderit. p. 8. n. 25. Orationis donum quo pacto impetrauerit. p. 8. n. 27. Sanctiſſimam Euchariſtiam ſumma religione proſequitur. p. 9. n. 28. Iuniores ad orationem excitat. p. 9. n. 29. A Domino corripitur, quòd Fratres iudicet. Lacrymis culpam eluit: pedibus omnium ſe proſternit. A Domino confortatur: eíque ſalutis certitudo promittitur. p. 9. n. 31. Iuniores ad perfectionem inſtruit. p. 10. n. 32. B. Virginem, ac S. Ioſeph ad ſe aduentantes excipit, ac ſpiritum Deo Bergomi reddit. ibid. p. 10. n. 32.

Alexius à Butrio, ex Romana Prouincia Laïcus, manſuetudine, & charitate inſignis. an. 1586. p. 214. n. 99. Romæ corporis molem deſerit. Poſt mortem pretioſis veſtibus indutus apparet. ibid.

Alexius Maceratenſis, ex Piceni Prouincia Laïcus. an. 1610. p. 864. n. 80.

Alphonſus Lupus Hiſpanus, è Picenti Prouincia Concionator, diuina viſione inſtruitur. an. 1593. pag. 504. n. 10. Ad Diſcalceatos migrat. p. 505. n. 11. Ab Hiſpania regia ſententia pellitur. p. 505. n. 12. Romæ in carcerem mittitur. p. 505. n. 13. Ad Capucinos aduolat. In Picenum mittitur. p. 504. n. 14. Virtutibus ſtudet. p. 506. n. 15. Humillimus collatum honorem deplorat. Mitem atque affabilem ſe omnibus præbet. p. 506. n. 17. Animi fortitudine excellit. ibid. n. 18. Erga ægrotos mira charitate fertur. p. 507. n. 19. In oratione aſſiduus. ibid. num. 20. Charitate feruet. ibid. A Pontifice Prædicator apoſtolicus inſtituitur, & in Corſicam mittitur. ibid. n. 21. Ardentiſſimè prædicat. ibid. num. 22. B. Virgo concionanti verba dictat. p. 508. n. 23. Oratio præuia concionantem inflammat. ibid. Præclariores Italiæ vrbes prædicando luſtrat. ibid. n. 24. Liberè increpantis exemplum. p. 509. n. 25. Libera increpatio quando deceat. ibid. n. 26. Aureum illius Prædicatoribus documentum. ibid. num. 27. Abſoluta concione, viribus licèt deſtitutus; bis tamen ſæpè, ac ter in die concionabatur: & ſub veſperum inter cœnandum etiam Fratribus in Refectorio tam ardenter ſermocinabatur, vt Fratres à cœna abſtinerent. ibid. n. 28. Inter aſſiduos prædicationis labores nunquã in Choro à Matutinis Horis vacat: in quo & ecſtaſim patitur. ibid. n. 29. 30. Futura prædicit. p. 510. n. 31. 32. 33. 34. Nouitius ſuam benedictionem paruipendens ad ſæculum rediit. p. 511. n. 35. Columba ad illum aduolat. ibid. n. 36. Vulnus ſigno Crucis ſanat. Paralyſi à Deo probatur. p. 512. n. 38. Tentatione examinatur. ibid. n. 40. Occultas cogitationes aperit. ibid. n. 39. Alauda in ſui obitu canit. p. 513. n. 43. In Barcinonæ Conuentu placidè in Domino quieſcit. p. 513. n. 42. Poſt mortem nonnulla miracula præſtat. ibid. n. 45. Barcinonenſis populus penè vniuerſus ad corpus confluit. ibid. n. 44.

Ambroſius à Ciuitate Ducali, è Sancti Franciſci Prouincia Cõcionator. Eandẽ Prouincialis abſque ſandaliis luſtrat; ſuarúmque virtutum luce illuſtrat. an. 1587. p. 337. n. 58.

# Index Virorum Illuſtrium.


Feruentiſſimus Prædicator perpetuam virginitatem colit. Moribundam ſanat. Spoleti obiit. Poſt mortem Cælum conſcendit. ibid.

Ambroſij Senenſis, Hetruriæ Prouinciæ Concionatoris virtutes, & ante, & poſt ingreſſum Religionis explicantur.an.1593.p.515.num.47.& 48. In Deiparæ dilectionem æſtu ferebatur. Ardentiſſimè concionabatur. Piſtorij diem extremum claudit. Poſt mortem Abbatiſſæ apparet; & ſe Cælum conſcendere aperit. ibid.

Ambroſius Zizonienſis, Prouinciæ Valloniæ Sacerdos, cæleſti motus viſione ad Capucinos ſe confert.an.1596. Peſte ſauciatis dum adminiſtrat, ex humanis eripitur. p.580.n.29.

Ambroſius Vrbinas, è Picenti Prouincia Concionator, virtutibus emicat. an. 1600. p.648. n.2. Spiritualis vitæ ſtudentibus documenta tradit. p.648.n.3. Annonam Fratribus è Cælo impetrat. p. 649. n.4. Reuelationem à Deo accipit. p. 649. n.5. In Boëmiam proficiſcitur. ibid. n.6. Sui obitus die prænunciato, Pragæ curſum vitæ abſoluit. p.664.n.7.

Ambroſius Mediolanenſis, ex Mediolani Prouincia Sacerdos, ſtirpe nobilis, virtute nobilior.an.1601.p.664. n. 11. Virtutibus floret. ibid. Alteram percutienti maxillam præbet. p.665.n.12. Martyrij cupidus Algeriam proficiſcitur. p.665.n.13. Carceres, & contumelias patitur. p. 665. n.14. E carcere eductus Algeriæ diem extremum claudit. ibid. Supradicta omnia Ioan. Baptiſta Sardus, & Franciſcus Nugnez epiſtola quadam complectuntur.p.666.n.15.

Anaſtaſius Antuerpienſis, Belgicæ Prouinciæ Laïcus, ſæpè puerum IESVM conſpicit. Gandaui peſte correptus charitatis martyrio tollitur. an.1603. p.709.n.79.

Andreas Strinianenſis, ex Hetruriæ Prouincia Laïcus, beato fine quieſcit.an.1586.p.238.n.87.

Andreas Caſtulenſis, è Brixienſi Prouincia Laïcus, Brixiæ animam Deo reddit. an.1592. p.497.n.7.

Andreas Taurinenſis, Pedemontanus Sacerdos, Nouitiorum Magiſter virtutibus omnibus exornatus, Genuæ placida morte immortalem coronam aſſequitur. an. 1593.p.514.n.47.48.

Andreas Cremonenſis, Mediolanenſis Prouinciæ Sacerdos, charitate feruet. an.1594.p.541.n.52. Orans cubito tenus in aëra eleuatur. ibid. Nonnulla miracula præſtat. p. 541. n. 53. 54. In morte B. Virginis, ac B. P. Franciſci aſpectu potitur; ac lætus terris eripitur. p.542.n.55.

Andreas à Seſtino, Picentis Prouinciæ Sacerdos, ſeuerus Nouitiorum Magiſter. an.1597.p.592.n.14. Fabas ſua oratione multiplicat.p.593.n.16. Panem è Cælo impetrat.ibid.n.17. Maceratæ ſupremum diem agit. p.592. n.17.

Andreas è Catania, Laïcus, continuum cum carne bellum gerit. an.1598.p.610.n.43. Vt libidinis flammas extinguat hyberno tempore ſe ſe in gelidam aquam immergit. Orans in aëra tollitur. Meſſanæ magna ſanctimoniæ fama relicta è viuis eripitur.ibid.

Andreas à Gandeſa, è Cathaloniæ Prouincia Sacerdos, plurima virtute excellit.an. 1605. p. 755. n. 9. B. Virginis aſpectu, & colloquio fruitur. Barcinonæ diem extremum obiit. Poſt mortem ipſius anima in Cælum conſcendere viſa fuit. p.ibid.n.10.

Andreas Ennenſis, Syracuſanæ Prouinciæ Concionator, inter Viros illuſtres celebratur. an. 1612. p.887. n. 37. Dum celebrat, cæleſti fulgore irradiatur. ibid. In exceſſum raptus in ſublime eleuatur.ibid. Nonnulla miracula præſtat. p.887. n.38. 39. Moricæ ſpiritum Deo reddit. ibid. n. 39. Poſt mortem cuidam benefactori apparet.ibid.n.40.

Andreas à Villa Eccleſiæ, ex Hetruriæ Prouincia Sacerdos virtutum laude conſpicuus. an. 1602. p. 682. n. 15. 16. 17. 18. In mentis exceſſus rapitur.p.683.n.17.18.19. Nonnulla ſigna edit. p.684.n.20. Diuinas reuelationes accipit. p. 684. n. 21. Saſſari ad vitæ metam peruenit. ibid.

Angelicus à Caſtroueterano, ex Panormi Prouincia Clericus Nouitius, raptus patitur. In ſplendentis flammæ modum Cælum penetrare conſpicitur. an.1594.p.550. n.96.

Angelicus Panormitanus, ex eadem Prouincia Concionator, ac Prouincialis magna cum ſanctimoniæ fama Licatæ animam Deo reddidit.an.1605 p.759.n.32. Poſt mortem eius Reliquiæ nonnulla ſigna patrant.ibid.

Angelus à Brixia, Genuenſis Prouinciæ Concionator, ſuarum virtutum memoria celebris. an. 1583. pag. 90. n. 143. Saonæ intrepidus animam Creatori reſtituit. ibid.

Angelus à Foroliuio, Bononienſis Prouinciæ Concionator, Angelici nominis rem, ac laudem ſibi comparat. an. 1585. p.171. n.25. Algeriam ad Captiuorum redemptionem pergit. ibid. Mulierem ad venerea prouocantem increpat. p.171.n.26. Florentiæ lætus cum B. Virgine, S. Ioſepho, S. P. Franciſco, S. Vrſula, ac Sociis Cælum conſcendit.p.172.n.27.

Angelus Solofrenſis, Neapolitanæ Prouinciæ Sacris initiatus, ſui obitus die prænunciato rebus valedicit humanis. an.1586. p.238.n.89.

Angelum Breſſonium Aquitaniæ Prouincia Concionatorem laudibus celebrat.an.1591.p.470.n.46.

Angelus Foroliuienſis, Hetruſcæ Prouinciæ Sacerdos, B. Virgine, ac Seraphico Patre ſibi in morte apparentibus ad Immortales euolat. an. 1591.p.470.n.45.

Angelus à Burino, Lucaniæ Prouinciæ Sacerdos, poſt mortem ſuaueolet. an. 1592. p. 497. n.7.

Angelus ab Eratuertio, Barienſis Prouinciæ Laïcus, magnæ virtutis celebratur. an.1606.p.774.n.60. Nonnullis ſignis curationis patratis in B. Virginis ſinu ſpiritum Deo reddidit.ibid.

Angelus Fauentinus, è Piceni Prouincia Laïcus, omnium virtutum, ac obedientiæ præſertim, omnibus exemplar fuit. an.1602. p.680.n.7.8.9. Fœminam incontinentiæ ſollicitantem à ſe expellit.p.681.n.9. Ægrotanti Angelo Angelus miniſtrat. p. 681. n. 10. Nonnullis miraculis coruſcat. p.682.n.12.13. Maceratæ extremum diem claudit.ibid.

Angelus à Montecoruino, Lucaniæ Prouinciæ Sacerdos, raptus patitur, ac euentura nonnulla prædicit.an.1603. p. 708.n.73.

Angelus Ioioſæus, è Pariſienſi Prouincia Concionator, multarum virtutum radiis ſplendet. an.1608. pag. 806. num.72. Ipſius genus, ac virtutes explicantur. p.806. num. 73. Puer ad Religionem inclinat. ibid. Aulæ Henrici III. Regis addicitur. pag.806. num.73. Aulicorum encomia deſcribuntur. pag.807.n.74. In matrimonium collocatur.ibid.num.75. Catharinæ ſponſæ quanta animi pietas, ac rerum cæleſtium cupiditas. p.807. n. 76. Tepeſcentem Henrici animum calefacit. ibid. Vxore defuncta, ad Capucinos migrat. pag.808. num.77.78. Ipſius conuerſionem mater Belgica longè antè præuidit. ibidem, num. 79. Nouitius à Deo tentatione probatur. pag.809.num. 80. Orans liberatur. ibid. n.81. Virtutibus ſtudet. pag.809. n.82. Germano fratre defuncto, è Cœnobio rapitur, & pontificio Diplomate inter Equites Hieroſolymitanos militans,


Aquitaniam

Aquitaniam ab Hæreticorum furore liberat. p. 810. n.86. Dei hac in re conſilium diuina viſione panditur. ibid. n.87. Iſabella Virgo, ſanctimonia inſignis, Angelum per litteras de Dei voluntate certiorem facit, & conſolatur.p.810.n.88. Iterum ad Capucinos aduolat. p.811.n.89. Pariſienſem Prouinciam ſumma vitæ auſteritate,atque obſeruantiæ zelo adminiſtrat.ibid.n.90. Angeli patientia hæreticum hominem Deo peperit. p.812.n.91. Triremem naufragantem ſua oratione liberat. ibid. n. 92. Ripoli in Domino quieſcit.p.813. n.93. Poſt mortem nonnulla ſigna præſtat.ibid. n. 94. 95.

Angelus à Viſſo, è S. Franciſci Prouincia Sacerdos, vitæ innocentia clarus. an. 1608. p. 803. n. 59. A Dæmone oppreſſus à B. Virgine liberatur.ibid. Futura prædicit. p. 804. n. 60. 61. Ægrotos nonnullos ſua oratione ſanat. ibid.n.62.63. Tuderti obdormit in Domino.ibid. n.63.

Angelus Valentinus, ex Valentina Prouincia Clericus, Valentiæ re,& nomine Angelus extremum diem obiit. an. 1609.p.826.n.48. Anima è corpore ſoluta glorioſa matri apparet. p.826.n.48. Patri ſimiliter morienti vnà cum B. Virgine apparet. ibid.n.49. Item & ſorori apparet: & vt frater reſipiſcat,admonet; eámque pariter à morte liberat.p.826.n 49 50.

Angelus Tolentinas, ex Piceni Prouincia Sacerdos, certo ſui obitus die prænunciato; & alterius æterna ſalute renunciata, animam Deo reddit.an. 1611. p.878. n. 77.

Anna Tifernas, Abbatiſſa Capucina, Romæ, in Monaſterio Sanguinis Chriſti, vitam cum morte commutat. an.1610.p.864.n.63.

Anſelmus à Petramolaria, è Picenti Prouincia Concionator, gemino prodigio ad Religionem vocatur. an. 1584. p.139. n.156.157. Militarem cum clericali veſtem commutat. p.140.n.158. Fœminæ concupiſcentia illaqueatur. p.140. n.158. Capucinorum Religionem ingreditur: & mulier facti pœnitens ad Monaſterium ſe confert. p. 140. n. 158. Anſelmus vitiorum omnium in Religione ſe hoſtem infenſiſſimum præbet. Carnis macerationes, & abſtinentiam penè incredibilem inſectatur. p. 140. n. 159. 160. Ad bellum nauale cum Chriſtianorum claſſe proficiſcitur; ac milites ad victoriam animat, ibid. num.160. Deiparam Chriſtianis benedicentem videt. p.141.n. 161. Tot in eum iacula emiſſa, & catapultæ exploſæ habitum vndique perforant: carnem non attingunt. ibid. Itidem apud Abarinum, iaculis, ac bombardis vndique appetitur; illæſus ſeruatur.p. 141.n. 162. In Pariſienſem Prouinciam Commiſſarius Generalis deſtinatur, ac eam magno ſanctimoniæ, ac prudentiæ ſplendore adminiſtrat. p.141.n.164. Gallorum Fratrum erga peſte laborantes charitas. p. 141. n. 164. Pariſienſis populi erga Fratres reuerentia. p.142. n. 165. Gallorum Fratrum auſteritas. p. 142. n. 166. Anſelmus futura prænunciat. p.143. n. 167. Sui obitus diem diuina reuelatione percipit. ibid. Ceraſa Deus extra tempus ægrotanti miniſtrat. p. 143. n. 168. Camerini meritis onuſtus, ac ſanctimonia clarus in Domino quieſcit.ibid.

Anſelmus Bononienſis, eiuſdem Prouinciæ Concionator,de humanis litteris benemeritus in Nouitiatu ineptus,inutilis, atq; ignauus redditur.an.1590.p.442.n.10. Ad vota admiſſus, virtutes, quibus fulget, explicantur.p.442.n.11.12.13.14. B. Virginis ſinu excipitur. p.443. n. 13. Diuinis reuelationibus potitur. p. 443. n. 15. 16. Prophetico ſpiritu donatur. p.443. num.17. Peccatores liberrimè increpat. p.444. n.18.19. Prædicationem miraculis confirmat. p.444.n.20.21.22. Forocornelij rebus valedicit humanis.p.445.n.23.

Anſelmus à Serra, Conſentinæ Prouinciæ Laicus,B.Virginis moriens præſentia fruitur. an. 1599. pag. 644. n.92.

Anſelmus Roſcianenſis, eiuſdem Prouinciæ Concionator, cum B.Virgine Cælum conſcendit.an. 1607.p.788. n.45.

Antonius à Lotito, è S. Nicolai Prouincia Sacerdos, virtutibus clarus. an.1582. p.36. n.37. Dum Altaris ſacra peragit à podagræ morbo leuatur: quibus peractis,ſtatim morbo iterum corripitur.n.37.

Antonius Veregranenſis, Picentis Prouinciæ Laicus,omni virtutum genere ornatus aſſeritur. an. 1583. p. 63. n. 41.42. Abſtinentia præſertim, ſui contemptu, carnis maceratione, paupertate, ac oratione commendatur. Quamlibet temporis iacturam magnifacit. In pauperes charitate feruet. p.63.n.42. Felis ipſius dicto à popina exulat.p.64.n.43. Mulier ter diuinitùs admonita ægroto ſuccurrit.p.64.n.44. Auximi animam Deo efflat. ibid.

Antonius à Cepalunio, Neapolitanæ Prouinciæ Concionator, ægrotum puerum ſua oratione ſanat. an. 1585. p.180.n.61.

Antonius Montopolitanus, Hetruſcæ Prouinciæ Concionator, Seraphici Patris exemplo ad induſium vſque nudus à patre ad Capucinos fugit. an. 1586. pag. 238. n.87.

Antonius Siculus, Romanæ Prouinciæ Sacerdos, die ſui obitus prænunciato, animam Deo reddidit. an. 1586. p.238. n.91.

Antonius Bergomas, Romanæ Prouinciæ Laicus, mortua vxore, Religionem ingreditur, virtutibus exornatur. an.1586.p.214.n.100. Diem ſui obitus diuina reuelatione accipit. ibid. B. Virginis, Seraph. Patris, S.Antonij, & Fratris Alexij, quocum, dum viueret, charitate coniunctus fuerat, apparitionibus fruitur. pag.215.num.1. In morte diabolicis tentationibus agitatur. ibid. num. 2. Viſionem damnatorum videt. A Dæmone accuſatur. ibid. A ſacra Deipara iterum cum reliquis viſitatur: ac Romæ tandem ab hominibus eripitur. ibid. n.3.

Antonius à Fano, Picentis Prouinciæ Sacerdos, diuinis acceptis reuelationibus,diéque ſui obitus prænunciato, dum Virginis laudes decantat, è terris eripitur. an. 1588.p.362.n.46.

Antonius à Cruce, è Cathaloniæ Prouincia Laicus, ægrotum ſigno Crucis ſanat. anno 1589. pag. 436. num.98.

Antonij à Mondulpho, Picentis Prouinciæ Concionatoris, pueritiæ præludia indicantur. an. 1590. pag.445. n. 26. Impudicæ ſpicula retundit. Victoriam de virginitate reportat.p.446.n.27. Ad Capucinos aduolat. Parentes à Religione illum auocare conantes, rationibus deuincit. p.446.n.28.29. Perpetuum cum voluptatibus bellum gerit. p.447. n.30. Apoſtolico ſpiritu prædicat.n.31. Lecturam vnà cum cæleſti ſpiritu connubio copulat.p.447.n.32. Diem ſui obitus præſignificat.p.447.n.33. Romæ, Deo gratias agens de virginitate ſeruata, ſpiritum etiam reddidit: ac poſt mortem, lucidi inſtar radij, matri oranti apparet.ibid.

Antonius à Leoniſſa, Laicus, Aprutij Prouinciam vitæ ſanctimonia illuſtrat. an. 1590.p.450. n.44. Socius per quadriennium B.Felicis à Cantalicio fuit. ibid. B.Felicis de Antonio encomium.ibid.Viginti duorum annorũ ſpatio quæſtuationẽ exercens,innocentiã ſeruat,ac magnam ſibi ſanctimoniæ famam comparat. p.450. n.45.

# Index Virorum Illuſtrium.


In ecſtaſim rapitur;& in ſublime eleuatur. p.450.n.46. Diuerſas in oratione infeſtationes ſuſtinet. p.450.n.47. Dum fodit, aureum laterem reperit; quem diuinitùs noctu admonitus, humo retulit, ac ſepelit.p. n.48. Futura prænunciat.p.451.n.49. vſque 56. Poſt mortem moribundo apparens ſanitatem reſtituit.p.452.n.57.

Antonius à Vico, S. Angeli Prouinciæ Laïcus. an. 1597. p.596.n.27.

Antonius à Baëza, è Cathaloniæ Prouincia Laïcus, bouem attritum, & febricitantem incolumes reddit. an. 1599.p.644.n.93.

Antonius à Petramolaria, Neapolitanæ Prouinciæ Concionator, ac Prouincialis, ægrotum deſperatæ ſalutis incolumitati reſtituit. In Conuentu Conceptionis occumbit. an.1603.p.710.n.82.

Antonius à Francica, è Rhegina Prouincia Sacerdos, virtutibus floret. an.1603.p.696.n.15. Moriens diuina viſione potitur. Inter Crucis amplexum, ac Deiparæ aſpectum ſpiritum Creatori reſtituit. Poſt mortem ipſius vultus pulchritudo maximè intuentes exhilarat. p.696.n.16.

Antonij ab Ebolo, ex Lucaniæ Prouincia Sacerdotis, virtutes recenſentur. an.609. p.833. n. 89. 90. Plurimos ægros ſigno Crucis perſanat. p. 833. n.91. vſque 99. Cæco lumen reſtituit. p. 834. n. 100. Catharri fluxu laborantem ſanat.p.834.n.1. Occulta agnoſcit, ac futura prædicit. p. 834. n. 2. vſque 7. Eboli ſanctimonia clarus vitæ finem imponit. p.835.n.8. Poſt mortem glorioſus apparet. ibid.n 9.

Antonius à Nuceria, Neapolitanæ Prouinciæ, nobili progenie ortus, Laïcorum ſtatum amplectitur.an.1609. p.819.n.15. Virginitatis dono alias virtutes accumulat. ibid.n.16.17. Ecſtaſim patitur, in aëra ſubleuatur.ibid. Viſionibus cohoneſtatur.p.819.n.18.19.20. Prophetica luce donatur.p.820.n.21. vſque 30. Cordium arcana patefacit.p.823.n.31. vſque 35. Pleraque miracula patrat.p.825.n.37. vſque 42. Nonnullos Deiparæ imagine ægrotos ſanat.p 825.n.23. Ipſius ſpiritus durè patientia examinatur. pag. 825. num. 44. 45. Barcinonæ in Domino quieſcit. p.826.n.45. Pleriſque poſt mortem glorioſus apparet. p.826.n.46.47.

Antonius Maria ab Aſti, Pedemontanus, Genuenſis Prouinciæ Sacerdos, à Conuentualibus ad Capucinos migrat.an.1605.p.758.n.24. A ſenſibus alienatus in aëra ſubuectus conſpicitur.ibid.n.25. Puerum ab hernia liberat.p.758.n.26. Alterum à veſicæ morbo ſanat.ibid. n.27. Arentem puteum aquis fœcundum reddit.p.758. n.28. In Aſtæ Conuentu extremum vitæ curſum conficit. p.759.n.29. Poſt mortem nonnulla ſigna præſtat. ibid. n. 30. Ipſius coſtulæ particula ſuauem odorem efflat.p.759.n.30.

Antonius Rheginus, eiuſdem Prouinciæ Laïcus, ex Obſeruantium Familia ad Capucinos migrat. an. 1586. p.220.n.22. Humilitati præſertim, & charitati ſtudet. p.221.n.23. Ipſius obedientia narratur. ibid.n.24. Miraculo commendatur. ibid.n.25. Patientia multipliciter probatur. p.221.n.26. Charitas exaratur; & exemplo illuſtratur.p.222.n.27.& 28. Dæmonem ſub æluri ſpecie fugat.p.223.n.30. Fratris interfectorem amplectitur. ibid. n.31. Auſteritatem ſectatur. p.224. n.33. Senſuum oblectamenta auerſatur.ibid.n.34. Orationis ſtudio ſenſibus excedens in aëra ſubleuatur. p. 224. n.35.36.38.

Grauiter ſauciatum ſanat. p.225.n.39. Panem multiplicat, & impetrat. ibid. n.40. 41. 42. Siculum fretum æſtuantem ſedat. p.227.n.43. Ingentis ponderis molem leuem reddit. ibid.n.44.

Rheginã vrbem à peſte liberat.p.227.n.45. Quamplurima miracula præſtat. p.228. n.49. vſque 65. Futura prædicit. p.232.n.66. vſque 71. Cordis arcana reuelat. p.234.n.71.72.73. Eodem tempore diuerſis in locis apparet.p.234.n.74. Auiculæ cibum ab eo accipiunt. p.235.n.75. Multas à Dæmone moleſtias ſuſtinet.ibid. n.77.

Dæmonum conſilia percipit. p.235.n. 78. Horribilem viſionem videt. p. 236. n. 80. Pleriſque ſui obitus diem prænunciat.p.236.n.81.82. Rhegij ad Deum migrat. p.237.n.83. Corpus eius vbique ſuauem odorem effundit. ibid. Poſt mortem nonnullis ſignis emicat. p.237.n.84.

Antonius à Thoro, S. Angeli Prouinciæ Laïcus, in puerili ætate ſanctitatis præludia profert. an. 1597.p.590. n. 3. Agro cum Religione commutato ad perfectiſſimos quoſque virtutum gradus animum intendit. ibid. n.4. Seipſum ad omnium virtutum ſtudia ſæpè prouocat, & excitat. p.590.n.5. Horti culturæ ſumma virtute inſudat.ibid.n.6. Inſignis ipſius charitas erga infirmos, ac pauperes miraculis illuſtratur. p. 590. n. 7. 9. Aſſiduum ipſius orationis ſtudium aſſeritur. p.591.n.8. Ægrotanti à Deo ſubuenitur. ibid. n.10. Malorum tolerantia probatur. p.591.n.11. Eorum moleſtia, dum orat, priuatur. ibid. Prophetiæ ſpiritu donatur. p.592. n.12.

Moribundo ſanitatem impertitur. ibid. n.13. Hiſtonij è mundo eripitur.p.592.n.13.

Antoninus à Camerino, Picentis Prouinciæ Sacerdos, Nouitiorum Magiſter.an.1601.p.676.n.53.

Antonius Conſentinus, ex eadem Prouincia Sacerdos, oculis ante mortem ſtellarum inſtar coruſcat: cella poſt mortem ſuaueolet. an.1607.p.788.n.46.

Antonina Spatafora, tertij Ordinis S. P. Franciſci, nobili genere orta corporis voluptates perpetua abſtinentia necat. Meſſanæ, magna ſanctimoniæ fama relicta, in Domino quieſcit. an.1590.p.456.n.73.

Archangelus à Media Villa, è Cathaloniæ Prouincia Diaconus, in Oppido Vallis charitatis martyrio, dum peſte laborantibus miniſtrat, fœliciter occumbit. an. 1589.p.436.n.98.

Archangeli ab Arimino, Prouinciæ Bononienſis Sacerdotis, præclara à puero pietatis præludia aperiuntur. an. 1595.p.556.n.5. In ſinu Religionis excipitur: priora pietatis ſtudia virtutum fœnore auget.p.557.n.6. Carnem abſtinentia, ac vigiliis macerat. ibid. Martyrij deſiderio Algerium petit. Probra, carceres, contumelias ſuſtinet. p.557. n.7. Cum Pontificio exercitu in Hungariam pergit. p. 557. n. 7. Crucis vexillum arcis mœnibus primus omnium infert. Ipſius facies Solis inſtar ſplendens apparet. p.558. n.8. Nonnullis ſignis coruſcat. p.558. n.9. Egregium illius charitatis exemplum.p.558.n.10.

In Charintia, patientiæ ſpoliis onuſtus, vitæ curſum abſoluit.p.558.n.11.

Archangelus Alarconius, Concionator Hiſpanus è Mediolanenſi Prouincia, Cathaloniam Prouinciam fundat, & illuſtrat. an.1598. p.605. n.19.20. Nouitiorum Magiſter Tyronem animæ, & corporis morbo laborantem ſua oratione ſanat.p.605.n.19.

Moribundum incolumem reddit. p.606. n.20. Barcinonæ corporis ſarcinam deponit. p.606.n.22.

Archangelus ab Auleta, Lucaniæ Prouinciæ Concionator, ſui obitus die prænunciata, migrat ad Dominum, & poſt mortem glorioſus apparet. an. 1609. p. 836. n.11.

Archangelus Scotus, in Belgica Prouincia Concionator,


claro

claro natali, clarioribus fulget virtutibus. an. 1606. p.768.n.38. Nondum natus fugas, exilia, ac perſecutiones patitur. p. 768. n.39. Natus, Ioannes vocatur. Ablactatus è ſinu matris ab hæretico patre abſtrahitur. ibid.n.40. Frater natu maior ſub Archangeli nomine in ſinum Capucinorum excipitur; & Gandaui,dum in Choro Deo laudes decantat, animam efflans, à Choro pſallentium ad Angelorum Choros migrat. p. 768. n.40. Ioannem hæreſi à patre imbutum patruus Ieſuita ad catholicam fidem conuertit. p.769.n.41. Pater, vt filium à catholica fide auertat, puellam hæreticam ei matrimonio iungit. p.769.n.41. Diſſimulat, non repugnat Ioannes: nuptias vrget.ibid. Capucinos in viſu cernit. ibid.n.42. Fugam deliberat, ac ſponſæ aperit. p.769.n.43. Sub alieno habitu, intacta ſponſa, ſe in fugam contulit. p.770. n. 44. Antuerpiæ in carcerem truſus, patientia fulget.ibid.n.45. Orans ſpiritum Religionis concipit.p.770.n.46. Quæuis incommoda ferre pro Chriſto non horret. p.771.n.47. Ad Capucinorum gremium ſe confert; atque Archangeli Fratris nomen ſortitur.p.771.n.49. Ipſius conſtantia probatur. ibid. Egregiæ illius virtutes enumerantur.p.772.n.50. 51.52. Pleroſque Hæreticos ad fidem conuertit. ibid. n.53. Margarita mater filium inuiſit.p.773.n.54.Sponſam ſua oratione Archangelus ad catholicam fidem conuertit.ibid.n.55. Margarita, die ſui obitus prænunciato, Antuerpiæ ad cælum migrat. p.773. n. 57. Archangelus, Teneramundæ peſtilentia infectus, piè in Domino obdormit. p.774.n.58.

Apollonius à Brixia, Brixienſis Prouinciæ Sacerdos, totius Ordinis Commiſſarius Generalis, Brixiæ diem extremum claudit. an.1603.p.709.n.75.

Arſenius à Mediolano, eiuſdem Prouinciæ, ſui generis nobilitatem calcans, in Religione Laïci vitam delegit. an.1583.p.60.n.28.Vitæ illius auſteritas exaratur.p.60. n.29.30. Quare corpus duriùs tractet.p.60.n.30. Orationis ſtudium nunquam intermittit. p.60. n.31. Plerunque immobilis, atque inſenſibilis in oratione permanet. ibid. Deum in omnibus contemplatur. p.61. n.32. Euchariſtiæ Sacramentum ſumma veneratione colit.p.61.n.33. Mira erga infirmos, ac pauperes charitate feruet. p. 61. num. 34. 35. Blaſphematores ſua oratione curat.p.62.n.36.37.E Purgatorio animas euolare cernit. p.62.n. 37. In Heluetiam pergit. Satanæ artes Prædicatori aperit. p. 62.n.38. E tabulato ruens lethaliter ſauciatur. Magna cum ſanctimoniæ fama è viuis eripitur. p.62. n.39. Poſt ſeptennium cerebrum illius integrum reperitur.p.63.n.40.

Aſcanius Herbitenſis, tertij Ordinis, è Meſſanenſi Prouincia abſtinentia clarus Chriſtum in morte præſentem habere meruit. an.1590.p.456.n.72.

Athanaſius Tyracenienſis, in Meſſana Prouincia Sacerdos, ſanctimonia celebris. an.1582.p.36.n.38. Paupertatis cultor vnico tantùm habitu toto vitæ ſuæ ſpatio vſus legitur.ibid. Abſtinentia inſignis, ter in hebdomada à cibo abſtinuit.p.36.n.39. In oratione aſſiduus, immobilis, inſenſibilis diu conſpicitur. Sæpè in aëra ſubleuatur. p.36.n.39. 40. Dæmon illum ab oratione auertere conatur.ibid. In Tyracenienſi Conuentu res deſerit humanas. p.37.n.41. Poſt mortem ipſius gloria Fratri reuelatur.ibid.

Auguſtinus Brixienſis,Mediolanenſis Prouinciæ Clericus. an.1582.p.50.n.84.

Auguſtinus ab Albintemelio, Genuenſis Prouinciæ Concionator, paupertatis propugnator acerrimus, ac obſeruantiæ regularis ſtudioſiſſimus aſſeritur. an. 1585. p.172.n.28. Periculoſus ad pecuniam recurſus doctrina confirmatur. ibid. Chori, ac communis orationis cultor eximius prædicatur.ibid. Genuenſis, ac Hetruriæ Prouinciæ ab eo ſub Prouincialis, & Commiſſarij Generalis titulo adminiſtrantur.p.172. n.28. In morte à Dæmone tentatus, B. ſibi Virgine apparente, Saonæ lætus in Domino quieſcit.ibid.n.29. Poſt triennium ſuum corpus incorruptum reperitur. ibid.

Auguſtinus à Luciniano, Hetruriæ Prouinciæ Concionator, & Virgo, in morte Angelos ſibi amicos cernens ad Deum migrat. an.1585. p.180.n.57.

Auguſtini Mediolanenſis, eiuſdem Prouinciæ Nouitij,Sacerdotis, mors B. Virginis, ac B. P. N. Franciſci præſentia illuſtratur. an.1594.p.550.n.94.

Auguſtinus à Siciniano, è Prouincia Lucaniæ Sacerdos, ægrum ſigno Crucis ſanat. an.1594.p.550.n.97.

Auguſtinus Senenſis, Bononienſis Prouinciæ Laïcus,carnis vitia abſtinentia debellat. an. 1595. p. 558. n. 12. Paupertatis, ac regularis obſeruantiæ cultor eximius fuit. ibid. Otium exhorret. Dies laboris; nox orationis illi tempus miniſtrat. In oratione aſſiduus ita, vt ſomnus orationem interciperet, non fugaret. In ea infeſtationes patitur: & Chriſti Domini viſione fruitur. ibid. Impudicam pellit. p. 559. n.13. Nobili futuram prolem, & lac, quo carebat,ſua oratione impetrat.ibid. Parmæ ſui obitus die prænunciato ſpiritum Deo reddit. p.559.n.13.

Auguſtinus Tyracenienſis, è Panormitana Prouincia. an. 1599.p.644.n.94.

Auguſtinus Genuenſis, è Genuenſi Prouincia Concionator, ſua patientia, & virtute Genuenſem Prouinciam illuſtrat. an.1606.p.763.n.11. Germanum fratrem Cælum conſcendentem cernit.ibid. Suæ Familiæ Fratres ab Hæreticis trucidandi, cæleſti lumine illæſi ſeruantur. p. 763. n. 12. B. Virginem populo benedicentem conſpicit. p. 764. n. 13. Prophetico ſpiritu nonnulla prædicit.p.764.n.14.15. Defuncti anima ab eo ſuffragium poſcit, & à Purgatorij pœnis liberatur. ibid.n.15. Ipſius patientia plurimorum annorum ſpatio probata coronatur.p.764.n.16. Dæmonem ſibi in morte apparentem tanta vi in eiuſdem roſtrum impegit, vt ad fores vſque retrocedere compulerit.ibid.

Auguſtinus à Tyraceno, Valentiæ Prouinciæ Sacerdos. an.1606.p.774.n.62.

Auguſtinus à Nurſia, in Vmbriæ S. Franciſci Prouincia Sacerdos, ægrotum ſigno Crucis ſanat. an.1611.p.878. n.77. Fratri futuram prolem prænunciat. Ameriæ corporis exuuias deponit. ibid.

Aurelij Mediolanenſis, eiuſdem Prouinciæ Sacerdotis, pueritiæ præludia deſcribuntur. an.1588. p.353.n.11. Scortum reprimit, & in matrimonium collocat.p.353. n.12.

Ad Capucinos aduolat, virtutibus floret. p. 353. n. 13. Nouitiorum Magiſter puram Regulæ obſeruantiam animis inſtillat. p.353.n.14.15.16. Nouitios manuum impoſitione liberat. pap. 354. num. 17. Sæpè mente excedit. pag.354.n.18. Peſſima fœneratoris mors enarratur. p.354. n.19. Nouitio infauſtum finem prædicit. p.355. n.20. Obitum ſuum longè antè prænunciat. p. 355. n.21. Modetiæ ægrotat: ante mortem ad Dei iudicium rapitur: à Dæmonibus accuſatur: Dei ſententia abſoluitur, & placidè in Domino diem extremum claudit. Poſt mortem ex illius corpore flos pulcherrimus naſcitur. p.355.n.21.

# Index Virorum Illuſtrium.

## B


BAptiſta à Rotunda, S.Nicolai Prouincia, Laïcus, multis floret virtutibus. an.1592.p.479.n.21. Mira illius auſteritas exaratur. Ad eremiticam vitam cum Generalis licentia ſecedit.ibid. Pleraque diuina virtute miracula patrat. p.480.n.22.23. Prophetico ſpiritu futura prænunciat.p.480.n.24.25.Graui vulnere ſauciatus patientiſſimè ſuffert. ibid. n.26. Sanctimonia clarus in quodam montis antro ſpiritum Deo reddit. p.480.n.27. Corpus eius ſuauem odotem efflat.ibid.

Bartholomæus Darocenſis, in Coſſettana Prouincia Laïcus, virtutibus floret an.1591.p.470.n.46.

Bartholomæus Cæſenas, Bononienſis Prouinciæ Sacerdos, adhuc ſæcularis inter ſcelera B. Virginem veneratione proſequitur. an.1592.p.477.n.13. Viſione exterritus Obſeruantium Religionem ingreditur. ibid.n.14. Inter Capucinos deinde adſcriptus, dum ſegniter ſe gerit, altera viſione excitatur.p.478.n.15.16. Seriò virtutes amplectitur.n.17.Pleraſque à Satana infeſtationes patitur. p.478. n. 18.19. Prophetico ſpiritu donatur. p.478. n.20. Nonnullis à Deo ſignis honeſtatur. ibid. Sanctimonia clarus è terris eripitur.p.479.n.20.

Bartholomæus Cæſenas, alter à ſuperiori, Picentis Prouinciæ Sacerdos, qui Eremita vocatur, ex nobili Cacciaguerræ familia oritur. an.1592.p.489. n.70. Diuina voce ab internecione ſeruatus Capucinorum gremiò excipitur.ibid. Cæleſti viſione ad virtutes prouocatur. ibid.n.71. Prodigioſa illius auſteritas exaratur. p. 490. n.73. Seipſum euangelico odio perſequitur. p. 490. n.74.75. Spiritu Dei ebrius rugitus edit; exceſſus patitur. p.490. n.76. Splendenti vultu Crucem amplexatur.ibid.n.76. Camerini Supplicatione inſtituta, Bacchanalia exturbat. ibid. n. 77. Plurima erga pauperes charitate ardet.p.491.n.78.79.80.81 82. Seipſum ſpoliat, vt pauperes contegat. p.491.n.78.79. Quamplurimas à Dæmone infeſtationes tolerat. p. 492. n. 83. vſque 87. Dæmonis voluntas iniqua; poteſtas iuſta. p. 493. n. 87. Prophetiæ ſpiritu nonnulla prædicit. p.493.n.89. Diem ſui obitus longè antè prænunciat. p.494.n.90. A Chriſto admonitus Nouitium à Religione expellit. ibid. n. 91. In mentis exceſſu Nouitij egreſſum addiſcit. p.494. n 92. Sua oratione aduenis Fratribus carnium annonam impetrat. p. 494. n. 93. Nonnulla viuens miracula præſtat. p. 495. n. 94. vſque 99. E Conuentu Murinallis poſt tot Dæmonum certamina ad cæleſtem coronam euolat.p.496.n.100. Pleriſque poſt mortem ſignis coruſcat.ibid.n.1. Anno poſt ipſius mortem tranſacto, oranti glorioſus apparet; & diem mortis, & animæ ſalutem prænunciat.p.496.n. 2.

Bartholomæus Mutinenſis, Bononienſis Prouinciæ Laïcus, die ſui obitus prænotato è mortali carcere migrat. an.1600.p.653.n.22.

Bartholomæus Piſanus, Hetruriæ Prouinciæ Clericus, virtutum omnium luce coruſcans, B.Virgine, ac Seraphico Patre ſibi in morte apparentibus, ſpiritum Deo reddit. an.1600.p.653.n.24.

Bartholomæus ab Alexandria Statiellorum, Prouinciæ Genuenſis Sacerdos, pleriſque à Deo donis in vita, & in morte ornatus, B. Virginis aſpectu dignatur. Sauilliani apud Pedemontanos vitæ periodum abſoluit. an. 1608.p.814.n.98.

Baſilius Syracuſanus, S. Angeli Prouinciæ Sacerdos, inter perfectos Seraphicæ legis obſeruatores meritò cenſetur. an.1582.p.35.n.36. Humilitate fulgens, Guardianatus honorē inuitus ſuſcipit; ac Deum, vt ipſum ab eo citiùs liberet, precatur, & exauditur. Diem ſui obitus à Deo accipit; & Fratribus prænunciat. In Manfredoniæ Conuentu lætus ex hac luce migrat: & poſt tertium ſepulturæ annum integrum, ac ſuauiſſimè olens reperitur. p.36.n.36.

Baſilius Genuenſis, eiuſdem Prouinciæ Clericus, Beatarum Virginum Chorum ſibi in morte apparentem videt: diem ſui obitus prænunciat; ac prænunciata die naturæ iura perſoluit. an.1603.p.710.n.81.

Benedicti à Colleamato, è Picenti Prouincia, Laïci genus, & patria deſcribuntur. an.1584. p.134. n. 142. Ipſius etiam virtutes enarrantur.ibid. Vitæ auſteritate clarus, ſeuerioris abſtinentiæ legem ſibi præſcribit.ibid. Humilitati, atque altiſſimæ paupertati ſtudet. ibid. Ad omnium rerum euentum imperturbatus admirabili patientia floret.p.135.n.143.144. Manſuetudinis virtute præcellit. p. 136. n. 145. Iræ motus quo pacto ſedari queant.p.136.n.145. Qua ratione, ac via manſuetudo acquiri valeat p.136.n.146. Iræ, & manſuetudinis ſimulacrum. p.137. n.147. Manſuetudinem humilitate & charitate illuſtrat. p.137. n. 148. In aſſiduo orationis ſtudio ecſtaſes, ac raptus patitur. p.137.n.149. Spiritus Sanctus ipſius capiti ſub columbæ ſpecie inſidet. p.138.n.150. Charitate erga infirmos præſtat. p.138. n.151. Ipſius charitas cæleſti teſtimonio comprobatur. p.138.n.152. Satanam deludit, ac fugat. p. 138. n.153. Die ſui obitus ab Hieronymo à Monteflorum longè antè prænunciato, Nouanæ in mortis agone ſignis lætitiæ editis, placidè obdormit in Domino. p.139. n.154. Poſt mortem gloria coronatus apparet. p.139. n.155. Anno elapſo ipſius corpus integrum, & odoriferum reperitur.ibid.

Benedicto Mandurienſi, Hydruntinæ Prouinciæ Laïco, mors vitam non ademit; ſed meliorem comparauit. an.1585.p.180.n.62.

Benedictus Valentinus, Sacerdos, ex Neapolitana in Cathaloniæ Prouinciam tranſlatus, poſt ſe fama ſanctimoniæ relicta, è viuis eripitur. an.1587. p.348.n.31.

Benedictus Saluenſis, Panormitanæ Prouinciæ Sacerdos, virtutum exemplis ornatus, ac die ſuæ mortis prænunciato ſpiritum Deo reddidit. an.1593.p.524.n.88.

Benedictus à Venafro, S. Angeli Prouinciæ Sacerdos manſuetudine præditus aſſeritur. an.1595.p.561. n.21. Inedia, cilicio, vigiliis carnem macerat. ibid. In aſſidua oratione à ſenſibus aberrat: toto corpore in ſublime effertur.p.561.n.21. Dum Miſſæ miniſterio incumbit, puerum IESVM inter ipſius manus geſtare ab Altaris Miniſtro cernitur, qui eo aſpectu protinus à tentatione liberatur. ibid. Dæmonem mulieris linguam percutientem cernit, ne pacem cum inimico loquatur. p.561.n.22. Diem ſui obitus prænunciat: ac IESV nomen replicans diem extremum claudit.ibid. Poſt multos ſepulturæ annos, fortè accidit, vt dum denuò ſepulcrum effoditur, ligo in eius humerum penetret; & ſanguis viuus effundatur.p.562.n.23.

Benedictus Regienſis, Bononienſis Prouinciæ Concionator, ex nobili Paganorum familia ortus, virtutibus exornatus, Capucinorum Religionem ingreditur. an. 1602.p.685.n.28. Mira huius Viri humilitas exaratur. ibid. Omni virtutum genere inſtructus aſſeritur.p.685. n.29. Summa veneratione B. Virginē proſequitur.p.686. n.30. In aſſidua oratione ecſtaſes patitur; ac tanto diuini amoris æſtu accenditur, vt ad cor refrigerandum aqua frigida, quam ad cordis regionem applicat, vteretur.p.686.n.31. Calumniis pulſatus ſingulari amore calumniatores proſequitur.ibid.n.32. Spina Dominicæ Coronæ à Domino confixus, Dei amore languet.p.686. n. 33. Hirundines garritu Dei verbum impedientes

præcepto coërcet. ibid. n. 34. Bononiæ animam Deo reddit, & poſt mortem glorioſus apparet.p. 686.n. 35.

Seraphinus à Neapoli, è Coſſettana Prouincia Sac. Barcinonem cum Alarconio petit, & virtutum omniũ exemplar illius Prouinciæ fundamenta iacit. Dum ſacra myſteria peragit ſub Euchariſtiæ accidentibus puerum Iesvm conſpicit. an.1593. p.517. n.53. Nouitiorum curam præclaris vitæ exemplis perficit. ibid. n.54. Auſteritas illius temporis, ac prouinciæ aperitur. ibid. n.55. Quadrageſimalium ciborum vſus miraculo à Deo cõprobatur. ibid. n.56. Nouitium ad vota, diuina viſiõne, admittit. ibid. n. 57. Aqua putei putrefacta ſuo præcepto, ac Nouitiorum oratione ad priſtinum ſaporem redit. Genuæ, cùm ad Generalia Comitia Cuſtos Romam pergeret, corporis exuuias deponit. p.518. n.58.

Seraphini Panormitani, eiuſdem Prouinciæ Clerici, trigeſimumſecundum poſt annum corpus, vultu rubicundo reperitur. an.1599. p.644. n.94.

Seraphinus à Montegranario, Picentis Prouinciæ Laïcus, inter Religionis ſydera micat. an.1604. p.718. n.20. 21. 22. Seraphini genus, & patria referuntur. p.719. n.23. Piè educatur à matre. ibid. n.24. Ab ineunte ætate præclara pietatis ſemina à Deo accipit. ibid. n.25. Cæmentariæ arti ſub Silentio Fratre operam nauat. p.720. n.26. A puella virgine ad Capucinorum Ordinem prouocatus aduolat. ibid. n.27. 28. Ipſius vocatio examinatur. ib. n.29. Puellæ parentes in cæleſti Regno glorioſos intuetur. ibid. Carnem rigida abſtinentia macerat. p.721. n.30. A carnis, & piſcium obſonio abſtinet. Pultem ſæpiſſimè cinere aſpergit. Dimidiatum panem in ieiunio comedit: quem annonæ tempore ad quartam partem contrahit. ibid. n.31. Corpus cilicio, ac ſanguinea flagellatione domat. ibid. n.32. Vigiliis, rerum omnium penuria, & altiſſima paupertate in ſeruitutem redigit. p.722. n.33. Primum hominis vitium inobedientia aſſeritur. ibid. n.34. Perfecta Seraphini obedientia exemplis oſtenditur. p.723. n.35. 36. Virginitatem illibatam ſeruat. ibid. n.37. Superbiam ad internecionem vſque perſequitur. p.724. n.38. Virtutes, ac Dei dona ſui ipſius deſpectu celat. ibid. n.39. Bellum contra animi iracundiam auſpicatur. ibid. n.40. Iræ vitium quibus armis confoderet, aperitur. p.725. n.41. Iræ impetum ita extinxit, vt omnis prorſus impatientiæ ſenſus in eo deperiiſſe crederetur. ibid. n.42. Perfecta illius patientia exẽplis illuſtratur. ibid. n.43. 44. Tentationibus Satanæ agitatus diuina voce ad patientiam animatur. p.726. n.45. A Satana exagitatus, ac verberibus etiam cæſus, vt carnem ſibi inimicam caſtiget, Satanã animat. p.727. n.46. Perfecta illius charitas commendatur. Olera in horto ſua oratione multiplicat. ibid. n.47. Maxima pauperes charitate proſequitur. ibid. n.48. Præclarum fraternæ charitatis exemplum exaratur. p.728. n.49. Quàm à veniali culpa cauendum ſit, oſtendit. ibid. n.50. Perpetuæ illius orationis ſtudium enarratur. p.729. n.51. Sæpè in mentis exceſſum rapitur, & in aëra eleuatur. ibid. n.52. Cum Dæmone fortiter colluctatur. ibid. n.53. Dominicæ Paſſionis memoriam ſemper in animo verſat. p.730. n.54. Plurima in B. Virginem veneratione fertur. ibid. n.55. Maxima ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum religione proſequitur. p.731. n.56. Diuinis viſionibus cohoneſtatur. ibid. n.58. 59. 60. Occultas hominum cogitationes aperit. p.732. n.61. 62. Dæmonis cuidam occultam tentationem pandens, illum à tentatione liberat. ibid. n.63. Sacerdotes ſummo honore proſequitur. ibid. n.64. Prophetico ſpiritu à Deo copioſè donatur. p.733. n.65. 66. 67. Pleriſque ægrotis incolumitatẽ prædicit. 68. 69. vſque ad 72. Aliis leuiter ægrotantibus vitæ occaſum prænũciat. p.734. n.73. 74. Cuiuſdam obitum, & damnationem præſignificat. ibid. n.75. Obitum multis ante ægritudinem prædicit. p.735. n.76. 77. 78. 79. Futuram prolem quamplurimis annunciat. p.735. n.80. Nonnullis Religionis ingreſſum præſignificat. p.736. n.81. 82. 83. 84. Quamplurimos à variis corporis doloribus diuina virtute curat. p.737. n.85. vſque ad 92. Alios plagis, & vulneribus affectos perſanat. p.738. n.93. vſque 98. Claudos, ac membris captos ſigno Crucis ſanat. p.739. n.99. vſque ad 3. Cæcos, mutos, ſurdos, gibboſos Dei virtute curat. ibid. n.4. 5. Multos incurabili morbo affectos ſanitati reſtituit. p.740. n.6. 7. Plerique à variis morbis ab eo perſanantur. p.741. n.8. Plura alia miracula præſtat. ibid. n.9. 10. 11. Seraphini nomen, ac ſanctimonia in Piceno celebris. p.742. n.12. 13. Diem ſui obitus longè antè ſæpè prænunciat. ibid. n.14. 15. Aſculi placidè in Domino obdormit. n.16. Pueri agminatim per vrbem ſanctum Virum mortuum conclamãt. p.743. n.17. Populorum concurſus, & deuotio. ib. n.17. 18. Corpus ipſius poſt mortem molle, ac ſuaueolens aſſeritur. ib. Pleriſque poſt mortem glorioſus apparet, & incolumitatem adfert. ibid. n.19. vſque ad 31. Ægroti ad ipſius corporis contactum ſanantur. p.745. n.32. vſque ad 36. Incurabili oculorum morbo affecti ab eo curationem aſſequuntur. p.746. n.37. 38. Nonnulli à variis corporis doloribus illius ſuffragio curantur. ibid. n.39. Plerique à variis corporis languoribus affecti, ipſius lampadis oleo perſanantur. ibid. n.40. Tumuli ipſius puluerem cum aqua haurientes à morbis ſanantur. p.747. n.41. 42. 43. Quamplurimi moribundi ipſius oleo ad vitam vendicantur. ibid. n.44. vſque 52. Mortua puella ipſius inuocatione ad viuos reuocatur. p.748. n. 52. Eius reliquiis plura miracula patrantur. p.749. n.53. vſque 56. Sanctorum geſta Virorum nos ad eorum imitationem pertrahunt. ibid. n.57. 58.

Siluerius Meſſanenſis, è Meſſanenſi Prouincia Conc. carcinomate laborantem ſanat. an.1609. p.829. n.67. 68. Pleraque miracula patrat. p. 830. n.68. 70. 71. 72. Die ſui obitus prænunciato Neapoli ſanctimonia clarus obdormit in Domino. ibid. n.73.

Syluanus à Francofurt Sacerd. Suittiæ peſtilentiæ morbo exorto, pio in miniſterio occumbit. an.1611. p.867. n.6.

Sylueſter à Camunorum Valle, Mediolanenſis Prouinciæ, paupertatis altiſſimæ cultor celeberrimus, die ſui obitus diuina reuelatione accepto, ac prænunciato Veronæ in Domino quieſcit. an.1581. p.10. n.34.

Sylueſter Ennéus Laïc. in Panormitana Prouincia animã ſuam ad Domini occurſum inuitat. an.1587. p.348. n.31.

Sylueſter Albigenſis, Hetruriæ Prou. Concionator, virtutibus omnibus præditus prædicatur. an. 1592. p. 497. n. 7. Mentis exceſſum patitur. Falſi criminis accuſatorem ſingulari beneuolentia proſequitur. Mulierem


obſeſſam

obſeſſam à Dæmone liberat. ibidem.
Sylueſter Hipponias, decimuſquintus Gen. an.1593.p.502.n.1.
Sylueſter Cingulanus in Aprutienſi Prouincia Sac. à ſenſibus in Deum raptus faciem ita fulgentem præſefert, vt aſpici non poſſit. an.1595. p.564. n.33. Dæmonem ab obſeſſa muliere compeſcit. Futura prædicit. Diem ſui obitus prænunciat, & ad Deum migrat. p.564. n.33.
Sylueſter Roſcianenſis, Conſentinæ Prou. Conc. prudentia, ac ſanctimonia illuſtris, ante natiuitatem prænunciatur. an.1596. p.581.n.37. Capucinus admirabili cum animarum fructu verbum Dei ſeminat: quo tempore eius capiti columba inſidere conſpicitur. p.582.n.38. Maxima in pauperes charitate ardet. ibid. n.40. Ad turpia pellectus pellicem reiicit. p.582.n.39. Generalis Procuratoris munus adminiſtrat: & Epiſcopatum refutat. p.582.n.41. Dæmonum artes diſſipat. p.583.n.42. Diuino ſpiritu futura prædicit. p.583. n.43. Vffugi, dum quadrageſimali tempore Dei verbum ſeminat, ad mercedem vocatur. p.583.n.44. Poſt mortem glorioſus apparet. ibid.n.45. Ægrotanti ſanitatem confert. p.583.num.46. Prægnantem à Phyſicis iam morti adiudicatam vnà cum fœtu à morte liberat. p. 583. n. 47. Ipſius vngula, & extremi digiti articulum ſuauiſſimè olent. p.584. n.48. Ipſius auxilium implorantem à naufragio liberat. ibid. n.49.
Sylueſter Zamorrenſis, Cataloniæ Prou. Laïcus, diem ſui obitus reuelatione accipit. Vitæ finem Barcinonæ imponit. Glorioſus poſt mortem apparet. an.1604. p.750. n.60.
Sylueſter Aſſiſias Generalis præficitur. an.1605. p.753. n.1.
Syluius ab Hoſtrabich, Hiſpanus, Cataloniæ Prouinciæ Conc. an.1586. p.238. n.89.
Syluius à Mediolano, Mediolanenſis Prouinciæ Sac. eximia à puero pietatis præludia iacit. an.1608. p.792. n.5.6. Capucinus, licèt valetudinarius, carnem inediis, & flagellis crucifigit. p.793.n.7. Animum ita virtutibus excolit, vt virtutis prodigium omnibus videatur. ibid.n.8. In oratione aſſiduus diuina charitate ebrius, ſtipites, ac ſaxa complectitur. Splendenti vultu, ac luce circunfuſus cernitur. p.793. n.9. & 10. Raptus patitur: in aëra ſubleuatur. p.793.n.11.12. B.Virginis, ac S.Michaëlis aſpectu potitur. p.794.n.13. Paupertatem ſingulari amore proſequitur. SS.Petrus, & Paulus in viſu apparentes, eam illi à Deo dono collatam teſtantur. ibid. n.14. Defunctorum Fratrum colloquio Dei iudicia addiſcit. p.794. n.15. Defuncti anima ab eo nonnulla poſtulat. ibid. num.16. Occultas cogitationes peruadit. p. 795. n.18. 19. Nonnulla miracula præſtat. ibid.n.20.21. Sæpè à Dæmone verberibus, ac plagis cæditur. Diem ſui obitus prænotat. Mediolani animam Deo reddit. pag.796. num.22. Nonum poſt ipſius ſepulturæ diem vena illi manus inciſa ſanguinem fundit. Et decimum poſt tertium Phyſicus quoque carnem perfodit, ac ſanguinem elicit. ibid.n.23. Pluribus poſt mortem miraculis coruſcat. p.796.n.24. vſque ad 27.
Simon à Ponte ex Hetruriæ Prouincia Dæmonem humilitate, orationéque debellat. an.1590. p.457. n.75.
Simon Butrienſis, Bononienſis Prouinciæ Sac. virtutibus fulget. an.1582. p.50. n.85.
Simon à Marchetorff, Conc. dum Francofurti peſtilentiæ morbo affectis operam nauat, ſpontaneo charitatis martyrio conſumitur. an.1611. p.867. n.6.
Simplicianus Conſtantienſis, Laïc. Suittiæ dum peſte affectos intrepida charitate proſequitur, eodem & ipſe morbo correptus animam Deo conſecrat. an.1611. p.867. n.6.
Spiritus à Balma, Galloligur Lugdunenſis Prouinciæ Vicarius, Prouincialis ac Definitor, Seraphici Patris ſpiritu præcellit. an.1602. p.684. n.22. Apoſtolico ſpiritu prædicat. Mirabiles ad pœnitentiam commotiones agit. ibid. n. 23. Sabaudiam propter bella, peccatis peſſimè fœdatam, expurgatam reddit. Hæreticum ad fidem Catholicam conuertit. Dæmonis artem detegens, puerum ab aquarū præcipitio liberat. p.684. n.24. Imbrem oratione coërcet. p. 685. n. 25. Magum ad pœnitentiam conuertit. Magiæ libros comburit, ex quibus Dæmones in murium formam erumpunt. p.685. n.26. Lugduni fidelis operarij ad mercedem euolat. p.685.n.26. Summo in vitæ diſcrimine poſitum liberat. ibid. n.27.
Stephanus Claromontanus, ex Syracuſana Prouincia, Laïc. carnem ieiuniis, cilicio, vigiliis, duris cubationibus extenuans virtutibus animum impinguat. an.1594. p.542. n.56. Quoſdam propinquæ mortis admonet; ac diem prænunciat. ibid. n.56. 57. In Claromontani Conuentus hoſpitio horam ſuæ mortis prænotat, ac laudes Deo decantans ad Deum migrat. ibid. Poſt mortem moribundum ad ſalutem reuocat. p.542. n. 58. Quatuor mulieres ſui particula pallij à febre liberat. p.543. n.59.
Stephanus Tiracenienſis, ex Meſſanenſi Prouincia, Sacerdos, admirabili abſtinentia fulget. an.1597. p.594.n.22. Aliæ plures virtutes exarantur. ibid. n.23. Panem, vinúmque in via illi ab Angelo miniſtratur. p.595. n.24. Ab Archangelo Michaële in rectam viam dirigitur. ibid. n.25. Prophetico ſpiritu illuſtratur. p. 595. n.26. Meſſanæ die ſui obitus prædicto è viuis eripitur. ibid.
Stephanus à Typhernometaurenſi Picentis Prouinciæ Sacerd. à puerili ætate ita diuinis rebus ſtudet, vt ad diuina tantummodo natus videatur. an.1603. p.705. n.62. Nouitius mira obedientiæ, ac patientiæ ſigna exhibet. ibid. Plurimæ illius virtutes enumerantur. p. 706. n. 63. Pleraque diuina virtute miracula operatur. p.707.n.64. vſque ad 71. Ante mortē hora ſui obitus præſignata diuina viſione fruitur. p.708.n.71. Maceratæ mortalem cum immortali vitam commutat. ibid. Poſt mortem cæleſti gloria donatus apparet. p.708. n.72.
Stephanus Subſiluanienſis Conc. Apenzellæ peſtilentiæ morbo graſſante, dum pio miniſterio incumbit; peſte & ipſe conſumptus, charitatis martyrio inſignitur. an.1610. p.838. num.2.

T

THadæus Lucenſis, Laïcus, ex Bononienſi Prou. pellicem impudicam expellit. an.1587. p.348. n.30.
Theodori Panormitani, Laïci, in Cataloniæ Prouincia illuſtris viget memoria. an.1610. p.842. n.26. Ecſtaſes patitur. p.842. n.27. Prophetico ſpiritu illuſtratur. ibid. n.38. In Conuentu Blandæ ſanctimonia clarus diem extremum claudit. p. 843. num.29.
Timotheus Senenſis Hetruſcæ Prouinciæ Sacerd. hinc lætus abſcedit. an.1590. p.457. n.75.
Thomas Atrienſis, Neapolitanæ Prouinciæ Sacerd. ac Nouitiorum Magiſter. an.1583. p.89. n.139.
Thomas Aletinus, ex Hydruntina Prouincia Sac. an.1587. p.348. num.31.
Thomas à Carauinia, ex Hydruntina Prou. Sac. virtutibus illuſtris. an.1588. p.359. n.37. Orans à Deo pluuiam impetrat. p. 360. n.38. Auiculæ cantus morientem comitatur. p.360. n.39. Baruli extremum diem claudit. Poſt mortem columba blanditur. ibid.
Thomas à Carauinia ex Hydruntina Prouincia Sacerd. opportunum imbrem agris exorat: diem ſui obitus prænunciat; & venientibus auiculis ad Deum migrat. an.1590. p.456. n.71.
Thomas Taurinenſis Conc. Lugdunenſis Prouinciæ Vicarius Prouincialis eligitur: &, biennio exacto, Auinioni animam Deo reddit. an.1584. p.95. n.9.
Thomas Rotundanus, Laïc. Barienſem Prou. virtutibus illuſtrat. an.1592. p.497. n.7. Extra ſenſus rapitur. Febricitantem ſanat. Futura prædicit. ibid.
Thomas Rhemenſis Sac. peſtilentiæ morbo Turonis in Gallia exorto, dum peſte laborantes eximia charitate proſequitur, eodem & ipſe morbo conſumptus, voluntario charitatis martyrio inſignitur. an.1607. p.779. n.1.
Tranquilla Monialis, Capucina, à Monaſterio S.Mariæ in Ieruſalem, Vrbis Neapolitanæ, Romam proficiſcitur. an. 1592. p.496. n.3. Ipſius virtutes exarantur. ibid. n.4. Dæmones fugat. ibid. Romæ diem ſuum obiit. p.497. n.5. Nonnullis poſt mortem miraculis emicat. ibid.

V

VAlentinus ab Altomuro, Laïc. numeris omnibus abſolutum Fratris Minoris exemplar. an.1589. p.434. num.83. Crucifixi voce ad præmia cæli vocatus, piè in Domino obdormit. ibid.
Ventura Soncinas, è Mediolanenſi Prou. Laïc. cæleſti voce ſui obitus præmonitus animam Deo reddit. an.1586. p.238. n.90.
Vincentius à Peruſia, Hetruriæ Prou. Laïc. auſteritate clarus in pace quieſcit. an.1587. p.348. n.30.
Vincentius Andrienſis, ex Barienſi Prou. Sacerd. tantæ vitæ fuit

innocentiæ; vt cùm adhuc Nouitius eſſet, defunctus ab eo ſuffragia popoſcerit. an.1592.p.480.n.28. Tantæ virtutis, vt Seraphicum Virum ſe induiſſe indicaret. p.481.n.29. Tantæ dilectionis in B. Virginem, vt, ſuperato Dæmone, in eius ſinu animam efflauerit. ibid.

Vincentius à Saleducio, è Piceni Prou. Sac. ſe omnibus admirabilem, ac velut virtutis prodigium præbet. an.1592. p.488. n.66. Virtutibus eximius aſſeritur.p.488.n.67. Dum infirmorum curæ incumbit à B.Virgine, ac Seraph. Patre commendatur. p.488. n.68. Lutetiæ Pariſiorum peſte laborantibus miniſtrat. Varias à Dæmone infeſtationes ſuſtinet. Nouanæ vitæ curſum orando conficit. p. 489. n.69.

Vincentius à Noromano, in Conſentina Prou. Laïc. Nouitius. an.1594. p.550.n.95.

Vincentius ab Interamnia, Aprutienſis Prou. Sacerd. vi tutibus omnibus exornatus. an.1603.p.697.n.17. Orandi aſſiduitas genibus illi callum obduxerat.ibid. Suum,& alterius obitum longè antè prænunciat. Aquilæ non ſine ſanctimoniæ fama corporis exuuias deponit. Defunctus ſuauem odorem efflat; ac nonnulla ſigna patrat. p.697.n.18.19.

Vincentius à Conileone, Panormitanæ Prou. Laïc.magna virtutum luce coruſcat. an. 1603. pag.698. n.24. Diuinis reuelationibus fruitur.p.698.n.24.25.26.27. Futura prædicit.p.699. n.28. Nonnulla miracula præſtat.ibid.n.29. De rebus diuinis confabulantem Deus comitatur. p.699.n.30. Die ſui obitus prænunciato, Panormi animam Deo reddit. Ipſius corpus in ſepulcro ſuauem odorem ſpirat. p.699. n.32.

Vincentius à Chio, Laïc. Meſſanæ in Capucinorum numerum adſcribitur.an.1604 p.717.n.12. Ipſius auſteritas declaratur. ibid.n.13.14. Plurimæ ipſius virtutes deſcribuntur. pag.717. n.15. In oratione aſſiduus, ac feruens multorum corda inſpicit, ægrotóſque ſanat. ibid.n.16. Nonnulla miracula præſtat.p.718.n.17.18.19. Aquilæ è viuis excedit. ibid.n.19.

Vincentius à Petramelia, Valentinæ Prou. Sac. propriæ carnis oſor, magnæ auſteritatis cultor aſſeritur.an.1608.p.803.n.56. Ipſius virtutes exarantur. ibid. Nouitium à morte liberat. p.803 n.57. Futura prænunciat. ibid.n.58. Ægrum ſua oratione ſanat. Sui, & alterius obitus anno præſignificato Valentiæ piè obdormit in Domino. ibid.

Vincentia Odda, Tertij Ordinis S. P. Franciſci Soror, cum ſanctimoniæ fama ad cælum migrat. an.1603. p.710.n.83.

Vitalis à Mediolano, eiuſdem Prou. Sac. patientia, ac virtute floruit. an.1581.p.10.n.33. In ipſius obitu ſplendor è cellæ tecto in cælum aſcendit.Mediolani magna cum ſanctimoniæ fama diem extremum claudit. Ipſius ſuffragiis à Dæmonis tentatione Frater liberatur. p.10.n.33.

Vitalis Herbitenſis, Meſſanæ Prouinc. Laïc. in ſæculo ad iurgia procliuis propria exiſtimatione tumet. an.1583.pag.78.n.88. Concionantis voce compunctus diuina viſione concutitur. p.78.n.89. Chriſtum puerum in Euchariſtiæ Sacramento cernens in Capucinorum ſinu excipitur. pag.78.n.90. Naturæ vitia corrigere in animo verſat. p.78.n.91. Vt mentis factum corrigat, ſummam in veſtitu auſteritatem amplectitur. p.79. num.93. Mira ipſius abſtinentia narratur. pag. 79. num. 93. 94. Humilitatis exemplum exaratur. p. 79. num. 95. Aſſiduum illius orationis ſtudium inſinuatur. p.79. n.96. Varias à Dæmone infeſtationes patitur.p.80.n.97.98.99 100. Sæculare peccatū Confeſſione expiat, quod illi à Dæmone obiicitut.p.80. n.101. A Dæmone verberibus afficitur. p.81.n.102. Dæmones Vitalem demergere tentantes à B. Virgine fugantur. p.81. n.103. Per Refectorium à Diabolo raptatur. p.81. num.104. Huius Dæmonum infeſtationis cauſa expenditur. pag.81.n.105. Prophetico ſpiritu occulta patefacit: Futura prænunciat.p.82.n 106.vſq; ad 126.Pleraque miracula patrat. p.85.n.127. vſque ad 132. Diuina viſione fruitur.p.88.n.133. Ardorem libidinis ferro candenti extinguit. p.88.n.134. Sui obitus die prænunciato Herbitæ ſpiritum Deo reddit. In clariſſima lucis ſpecie cælum conſcendere cernitur. pag.88. n.135. Corpus eius triduo inſepultum ſuauiſſimum odorem efflat. p.89.n.136. Poſt mortem obſeſſam à Dæmone liberat. p.89.n.137. Ipſius cingulum nonnulla miracula patrat p.89.n.138.

Vitus Hyrminienſis in Syracuſana Prou. Laïc. vita, & miraculis ſplendet. an.1582.p.39. n.47. Genus, patria, & adoleſcentiæ virtutes enarrantur. ibid. Die rus excolit: nocte in Ædem B. Virginis ſex milliaribus diſtantem ad orandum ſe confert. ibid. Altiſſima illius paupertas, abſtinentia, atque auſteritas declaratur. p.40 n.48.49. Corpus diris flagellis, tum propria, tum aliena manu cædit. ibid. Ipſius humilitas expenditur. p.40. nūm.50. Nudus in magna populi frequentia, vt contemnatur, apparet. pag. 41. num.51. Ob ſui deſpicientiam cornubus onuſtus cum Socio per vrbem incedit. ibid. Spineam coronam clam capiti impoſitam geſtat. pag. 41.n. 52. Qualia ſibi ſolatia cum Socio elegerit. ibid. Ad ſilentium obſeruandum lapillum in ore per triennium gerit. Qua pœnitentia verbulum caſtigauerit. p.41.n.53. Quibus armis pro caſtitate pugnet. Nudum ſe hyemis tempore in aquam immergit. p.42.n.54. Irreprehenſibilis aſſeritur. p.42.n.55. Viti ſimplicitas cōmendatur.p.42.n.56. Triennio nullius vnquam hominis vultum conſpexit: & quodnam præmium à Deo acceperit. p.42.n.57. Perfectam ipſius obedientiam Deus miraculo illuſtrat.p.43.n.58. Vndique ſibi ad pietatem ſtimulos excitat. p.43.n.59. Somnum dolore ſuperat. p.43.n.60. Ardentes prunas illæſa manu contrectat. p. 44. n.61. Sæpè in mentis exceſſus rapitur: corpore in aëra ſubleuatur: ac cæleſti luce circunfuſus cernitur.p.44.n.62.63.64.65. Pleraſque à Deo reuelationes accipit. p45.n.66. De Nouitij receptione quid deliberandum ſit, à B.Virgine addiſcit. pag.45. n.67. Dæmonem ſcabellulis, ac puluillis onuſtum hæc in oratione Fratribus, ac Nouitiis offerentem cernit. p.46. n.68.69. Diuinis viſionibus potitur. p.46. n.70. Cum B. Virgine ſæpè colloquitur. p.47.n.71. Apud omnes ſanctimonia illuſtris aſſeritur.p.47.n.72. Plurimis miraculis coruſcat.p.47. n.73. vſque ad 78. Supremum ſibi diem imminere diuinitùs præſentiens, omnium virtutū genera auſteriùs proſequi cœpit. p.49.n.79. Diutinum languorem maxima cum patientia, & alacritate ſuſtinet. p.49. n.80. Leucodiæ magna cum ſanctimoniæ fama vitæ curſum abſoluit. pag.49. n. 81. Nonnulla poſt mortem miracula præſtat.n.81.82.

Vrbanus Frentanenſis, Hydruntinæ Prou. Sacerd. moribundam ſigno Crucis ſanat. an.1607. p.788. n.46.

Vrbanus Panormitanus, Panormitanæ Prou. Conc. ac Prouincialis, B. ſibi Virgine in morte apparente rebus valedicit humanis. an.1611 .p.78. n.77.

Vrbanus à Leuco, Conc. dum peſte infectis miniſtrat pio in miniſterio æternam Luceriæ mercedem à Domino accepit. an. 1611.p.867. n.6.

Z

ZAcharias à Trebiano, Prouinciæ Genuenſis Sac. virtutibus emicat.an.1585.p.172.n.31. Prælati quales eſſe debeant, ſuo exemplo docet. p.173. n.32. 33. Futura prædicit. p.173. n.34. Reuelationem à Deo accipit. p.173. n.35. Nouitium à damnatione liberat.p.174. num.36. Genuæ vitam mortalem hanc cum immortali commutat. p.174. n.37.

Zacharias Mediolanenſis, eiuſdem Prouinciæ Mediolanenſis Sac. Vir ſimplex, rectus, ac pius. an.1605. p.754. n.5. Communem cæterorum vitam ſua virtute exornat. ibid.n.6. Charitate feruet. ibid.n.7. Regulæ, & Conſtitutionum obſeruantiſſimus. ibid. Vas fractum ſua oratione inſtaurat.p.755.n.8. Mediolani in Conuentu S. Victoris ſpiritum Deo reddit. p.755.n.9.

Zacharias Montenſis, Belga Sacerd. virginitate illuſtris. an. 1608. p.814.n.98.

# INDEX
# RERVM, ET VERBORVM,
## QVÆ IN HOC SECVNDO ANNALIVM TOMO, NOTATV DIGNIORA SVPERSVNT.

*Prior numerus Annum; Secundus Paginam; tertius numerum margini affixum, indicat.*


A

ABNEGATIO propriæ voluntatis homini neceſſaria. anno 1584. pag.95. num.11.

De abnegatione propriæ voluntatis. S. Auguſt. Pſalm.31. Enarrat.2. *Duæ quippe voluntates, &c.*

Doroth. Abb. doct.1. *Si liberi perfectè.* &c. pag.95.n.11.

Hieronymus de conſecrat. diſt. 5. *Sint tibi quotidiana,* &c. p.146.n.177.

Abſtinentia. Greg. lib.10. Moral. cap.13. *Vt caro mollibus,* &c. p.721. n.32.

Fr. Arſenius Mediolanenſis, Laïc. fruſtulis panis, ac duris veſcebatur. an.1583. p.61. n.35.

Fr. Antonius Veregranenſis, Laïc. furfuraceum panem, viles, & inſipidos ſibi cibos eligebat. an.1583. p.63.n.41.

F. Iacobus à Petrarubia, Sac. & Prouincialis ipſam quoque panis ſaturitatē ſibi prohibuit: quo fiebat, vt perpetua ferè inedia cōficeretur. an.1586.p.205.n.62.

Iacobus Regienſis, Laïc. nunquam ſaturitatem agnouit. an.1586.p.208.n.75. Rationem ſapidi, aut inſipidi nullam percepit. ibidem.

F. Seraphinus à Montegranario, Laïc. extra communem refectionem, etiam æſtiuo tempore ab amicis, & Benefactoribus prouocatus, dum eleemoſynarij munus exercebat, omni tempore ab omni cibo, & potu abſtinuit. an.1604. p.721.n.31.

F. Franciſcus à Darocha, Laïc. etiam ſenex vix vnquam panis fruſtulis, quæ aliis ſuperfuerant, aliud, præter pulmentum, quod ex pauperum olla ſibi hauſerat, obſonium adderet. an.1607.p.784.n.29.

F. Iacobus à Foroſarzinio, ſiue Prouincialis, ſiue Generalis nunquam aliquid ſpeciale in menſa miniſtrari ſibi permiſit. an.1586.p.190.n.13.

B. Felix à Cantalicio, Laïc. ſæpè communem ſibi cibum ſubtrahebat: & cinerem pulmentis immiſcebat. an.1587.p.267.n.82.& 83.

F. Seraphinus à Montegranario, ſola pulte contentus, illam cinere etiam ſæpiſſimè aſpergebat. an.1604. p.721.n.31.

F. Aurelius Mediolanenſis, Sac. ſi quando communem pultem comedebat, non ſolum cinere, ac puluere; ſed etiam abſinthio aſpergebat. an. 1588.p. 353.n.13.

F. Hieronymi Nouarienſis, Sac. lepidum exemplum, dum Fratres exhortatur ad pauperes, & communes cibos. an.1582.p.28.n.13.

*A Cœna.*

F. Benedictus à Colleamato, Laïc. vnica tantùm refectione in die vſus eſt. an.1584.p.134.n.142.

F. Ioannes à Seminaria, Laïc. ſemel tātùm in die cibum ſumebat. an.1593.p.521.n.71.

Didacus de Valducia, Sac. nunquam ſerotinam cœnam ſibi adhibuit. an.1589.p.392.n.95.

Aſcanius Herbitenſis Tertij Ordinis ſemel tantùm in die cibum ſumebat. an.1590.p.456.n.72.

F. Andreas à Catania, Laïc. quotidiano ieiunio carnem mactabat. an.1598.p.610.n.43.

F. Conſtantinus Mutilenſis, Sac. gulæ appetitum quotidianis ferè ieiuniis cohibebat. an.1607.p.779.n.3.

F. Antoninum à Thoro, Laïc. rigida quædam abſtinentia quotidianis ieiuniis, & ciborum inedia ad tantum eſcarum odium prouocauerat; vt ſæpè dicere ſoleret, comeſtionis horam luctu potius, quàm voluptate excipiendam. an.1597.p.591.n.8.

F. Bernardinus à Collepetracio Conc. quotidiana ferè ieiunia colebat. an.1594.p.532.n.14.

F. Franciſcus Monopolitanus, Laïc. ieiunia ferè quotidiana ſeruabat. an.1595.p.514.n.46.

F. Cyprianus à Montecoruino, Sac. totum anni tempus quotidiana inedia tranſigebat. an.1584.p.151.n.193.

*A Vino.*

Bernard. ſerm. 66. in Cant. *Abſtineo à carnibus,* &c. p.267.n.83.

F. Athanaſius Tyracenienſis, Sac. vino nunquam, aut raró vſus fuit. an.1582.p. 36.n.39.

F. Baptiſta Rotundanus, Laïc. à vino abſtinuit: & ſitim haud alia, quàm quæ ex riuulis decurrebat, aqua ſedabat. an.1592.p.479.n.21.

F. Anſelmus à Petramolaria Conc. à vino ſemper abſtinuit. an.1584.p.140.n.159.

F. Ioannes Nauarreus, Laïc. nunquam vino vſus fuit. an. 1593.p.518.n.59.

F. Ioannes Alexanienſis, Sac. quindecim annorum ſpatio à vino abſtinuit. an.1600.p.653.n.21.

F. Petrus à Martina, Laïc. vino rariſſimè vſus fuit. an. 1590.p.448.n.36.

Aſcanius Herbitenſis Tertij Ordinis numquam, aut raró vino vtebatur. an.1590.p.456.n.72.

Clara Maluinda Tertij Ordinis ſoror à vino, præterquàm in extrema ægritudine, abſtinuit. an. 1589. p.434.n.84.

*A Carnibus.*

F. Benedictus à Colleamato, Laic. à carnibus perpetuò abſtinuit.an.1584,p.134.n.142.

F. Vitalis Herbitenſis, Laïc. à carnibus perpetuò abſtinuit. an. 1583. p.78.n.93.

F. Ruffinus Gallaratenſis, Laïc. familiarem habebat à carnibus abſtinentiam. an.1587.p.338.n.62.

F. Chriſtophorus Panormitanus, Laïc. à carnibus itidem ſe perpetuò cohibuit. an.1587.p.347.n.25.

F. Franciſcus à Ripa, Sac. an.1606.p.761.n.4.

F. Saluator à Caniano., Laïc. an.1606.p.765.n.18.

F. Ioannes Alexanienſis, Sac. an.1600.p.653.n.21.

F. Petrus à Martina, Laïc. an.1590.p.448.n.36. ab eſu carnium perpetuò abſtinuerunt.

F. Euangeliſta à Canobio Generalis ſemel inſtitutam à carnibus abſtinentiam ad vltimam vſque decrepitam apud ſe inuiolatam ſeruauit. an.1595.p.561.n.20.

F. Conradus à Balneis, Laïc. perrarò carnibus vtebatur. an.1596.p.578.n.21.

F. Vincentius à Petramelia, Sac. à carnibus abſtinuit. an.1608.p.803.n.56.

F. Stephanus à Claromonte, Laïc. ab eſu carnium ſe cohibuit. an.1594.p.542.n.56.

F. Ioannes à ſeminaria, Laïc. carnes nullo vnquam tempore manducauit. an.1593.p.521.n.71.

F. Iacobus à Belfortio ab eſu carnium abſtinuit. an. 1586.p.210.n.83.

F. Seraphinus à Montegranario ſola pulte contentus ita à carnibus abſtinebat; vt vix vllus id vnquam animaduerteret. an.1604.p.721.n.31.

*A Piſcibus.*

F. Vincentius à Petramelia, Sac. à piſcibus, & huiuſmodi obſoniis ſe continuit. an.1608.p.803.n.56.

F. Franciſcus à Ripa, Sac. perpetuo à piſcibus, & caſeo abſtinuit. an. 1606.p.761.n.4.

F. Euangeliſta à Canobio Generalis ab eſu piſcium ad vltimam vſque decrepitam ſemper abſtinuit. an. 1595.p.561.n.20.

F. Stephanus Claromontanus, Laïc. à piſcibus ac lautis obſoniis abſtinuit. an.1594.p.542.n.56.

*A Fructibus.*

F. Alexius à Viglebano, Laïc. à fructibus perpetuò abſtinuit. an. 1581.p.8.n.24.

F. Iacobus à Petrarubia, Sac. per quadraginta annorum ſpatium à fructibus ſe continuit. an. 1586.p. 205. n.62.

F. Matthias Salodienſis Prouincialis, ac Definitor generalis 30 annorum ſpatio à fructibus ſe continuit. an.1611.p.868.n.10.

*Ab omni obſonio.*

F. Franciſcus Monopolitanus, Laïc. ſolis herbis, & leguminibus pani adhibitis, carnes, piſces, aliáque huiuſmodi obſonia perpetuò reſpuit. an. 1593. p. 514.n.46.

F. Baptiſta Rotundanus, Laïc. tantæ abſtinentiæ fuit, vt ſolis terræ fructibus, & crudis herbis (neque tamen ad ſaturitatem) ſemel in die veſceretur.an.1592. p.479.n.21.

F. Petrus à Martina, Laïc. ieiuniis exeſus, quadriennio tamen cruda tantùm edulia ſibi ad cibum adhibuit. an.1590.p.448.n.36.

F. Benedictus à Colleamato, Laïc. ab omni obſoniorum genere perpetuò abſtinuit.an.1584.p.134.n.142.

F. Matthias Salodienſis Conc. Definitor Generalis duos cuiuſlibet hebdomadæ dies ſolius panis, & aquæ refectione præteribat. an.1611.p.867.n.9.

*Panis, & aqua tantùm.*

F. Saluator à Caniano, Laïc. maiorem anni partem ſolo pane, & aqua contentus tranſigebat. an.1606. p.765.n.18.

F. Lucas Calaber, Laic. quotidiana panis, & aquæ inedia ſe ipſum paſcebat. an.1600.p.650.n.11.

F. Pacificus Italus, Laïc. arcta panis, & aquæ inedia, in qua maiorem anni partem tranſigere conſueuerat, corpus extenuabat. an.1596.p.580.n.31.

F. Marcellus Curenſis Conc. decem & octo annorum ſpatio ſolo pane & aqua ad menſuram contentus carnem coërcebat. an.1610. p.838. n.6.

F. Macarius à Caſtro bono, Laïc. toto ferè anni ſpatio pane, & aqua contentus victitabat. an.1600.p. 652.n.18.

F. Chriſtophorus Panormitanus vix alium, præter virides herbas, pani, & aquæ cibum addebat. an.1587. p.347.n.25.

F. Iacobus à Petrarubia Prouincialis pleraque præter ea, quæ ab Eccleſia, vel à Regula præſcribuntur, ieiunia obſeruabat: in quibus ſæpiſſimè nullum præterquàm panis, & aquæ edulium, ac potum guſtabat. an.1586. p.205.n.62.

F. Hieronymus à Monteflorum Generalis ſolo pane, & aqua frequenter vitam ſuſtentabat. an.1584. p.111. n.29.

F. Andreas à Catania, Laïc. ternos in qualiber hebdomada dies pane, & aqua ſaginatus tranſigebat. an. 1598.p.610.n.43.

F. Ioſephus à Leoniſſa Conc. ternos cuiuſlibet hebdomadæ dies ſolo panis, & aquæ victu perpetuò tranſegit. an.1612.p.891.n.52.

F. Bernardus à Collepetracio Conc. triginta annorum ſpatio nullum præterquàm panis, & aquæ cibum, & potum deguſtauit. an.1594.p.530.n.9.

F. Bernardinus Trebias, Laïc. cùm à quodam, ne graue ſenium nimia abſtinentia prægrauaret, admoneretur; reſpondit: Cùm pane, & aqua duntaxat veſcor, tanta in eo voluptate afficior; vt in gulæ vitium me incidiſſe videar. an. 1588.p.357.n.29.

Antonina Spatafora Tertij Ordinis ſoror nobili genere orta, poſt Marchionis Viri mortem nullum præter panẽ & aquam ſibi cibum indulgere voluit: quòd ſi interdum conuiuari vellet, crudas tantùm herbas pani addere cõſueuerat. an.1590.p.456.n.73.

*Ab omnibus.*

F. Ioſeph à Leoniſſa Conc. ternos plerunque dies ſine cibo præteribat. an.1612.p.891.n.52.

Anſelmus à Petramolaria Conc. ter in hebdomada tantùm cibum ſumebat: reliquos verò dies abſque cibo præteribat. an.1584.p.140.n.159.

Anſelmus à Petramolaria Conc. ter in hebdomada tantùm matutino tempore cibum ſumebat. an.1584.p. 140.n.159.

F. Andreas à Catania, Laïc. à quinta cuiuslibet hebdomadæ feria, vſque ad Dominicum diem ſemel tantùm cibum ſumebat. an.1598.p.610.n.43.

F. Vincentius à Petramelia, Sac. biduum ſæpè abſque cibo tranſigere ſolebat. an.1608.p.813.n.96.

F. Marcellus Curenſis Conc. biduo, aut triduo nonnunquam à cibo abſtinebat. an.1610.p.838.n.6.

F. Ioannes Alexanienſis, Sac. binos, ternóſque hebdomadæ dies abſque cibo tranſigebat. an.1600. p.653. n.21.

Corporis robur fortitudinem ſpiritus minuit. Bernard. ſerm. 26. in Cantic. *Vides quia carnis infirmitas.* p.266.n.80.

Agni

Agni ex ſacra cera virtus, de manu Fratrum accipientem, à certa, ac violenta morte liberat. an. 1590. p.461. n.88.

*Ædificium.*

Conuentus ædificationi obſiſtens fulmine teritur. anno 1582. p.27. n.11.

Alter ædificationem impediens filij vnici morte caſtigatur. an.1582. p.28. n.12.

Frater abſque paupertatis zelo ædificans repentino caſu interimitur. an.1606. p.776. n.67.

Frater quidam curioſius ædificiis incumbens in morte torquetur. an.1605. p.760. n.36.

*Ægrotus.*

B. Felix à Cantalicio, Laic. dolores, quibus, dum ægrotabat, torquebatur, chariſſima Dei dona appellabat. an.1587. p.273. n.4.

Fr. Bernardinus à Cherio inter grauiſſimos artuum dolores, quò acrioribus morbi anxietatibus afficiebatur; eò dulcius nomen IESV, ac MARIÆ efferebat. an.1586. p.220. n.20.

Fictus infirmitatis prætextus quantopere noceat, aperitur. an.1592. p.499. n.13.

Fr. Ioannes à Frentano, Sac. pro ægrotis curandis ſomnum, & cibaria ſibi neceſſaria ſubtrahit. anno 1582. p.34. n.32.

Fr. Santus à Montopoli, Laic. ea in ægrotos charitate ferebatur, vt nulla parens tam filiorum amantiſſima extiterit, quàm ipſe ægrotorum fuerit. an.1585. p.176. n.44.

Fr. Clemens à Grauina Prouincialis eo charitatis æſtu in ægrotos flagrabat, vt non ſolum ſua auctoritate, & prudentia adeſſet: ſed & iis vilia quæque miniſteria præſens exhiberet: atque interdum etiam cibos coqueret. an.1595. p.565. n.24.

Fr. Antoninus à Thoro in ægrotorum cura matris erga filios amorem, nedum æquare, ſed ſuperare videbatur. an.1597. p.590. n.7.

Frater quidam ægrotorum curam negligens, negligentius moritur. an.1609. p.837. n.16.

*Allobroges.*

Tononi apud Allobroges ſacra Domus Compaſſionis fundatur. an.1599. p.618. n.5.

Quod non ſine Dei conſilio hæc Domus ædificaretur, aperitur. p.619. n.6. vſque ad 23.

Domus Tononicæ fundationis cauſa exeritur. p.626. num.22.

Sacrum Iubilæũ Tononi celebratur. an.1601. p.660. n.1 Valinſana regio B. Virgini conſecrata. ib. n.2. Valinſanæ regionis ſtatus ante Capucinorũ aduentum deplorandus. n.3. Clem. VIII. Fr. Cherubinum Maurianenſem erectionis Bulla munitum dimittens quibus verbis alloquatur. n.4. Catholica Religio Valinſanis Capucinorum opera reſtituta. p.661. n.5. Hilteprandus Sedunenſis Epiſcopus, & Princeps Diplomate noſtros cohoneſtat. n.6. Exemplum litterarum Hilteprandi. ibid.

Amor in Deum, & proximum. Gregor. moral. 7. cap.10. *Nam tunc plenius*, &c. p.399. n.15.

Anabaptiſtæ memorabile exemplum narratur. an. 1594. p.528. num.1.

Fr. Anſelmus Rheginus ab Hieronymo à Politio Gener. totius Galliæ Generalis Viſitator inſtituitur. S. Ludouici, Aquitaniæ, ac S. Bonauenturæ Prouincias perluſtrat. Ad Pariſienſem verò accedens, conſpiratione Factionariorium in eum exorta, re infecta, Italiam repetere cogitur. an.1590. p.441. n.3.

Aqua, quæ pedum Fratribus ablutioni inſeruierat, ægrotum ſanat. 1588. p.366. n.67.

Aqua Fratrum pedibus abluendis adhibita animalium gregem ab interitu vendicat. an.1590. p.461. n.87. & an.1587. p.307. n.23.

Armenta boum, atque ouium greges morbo infecti aqua, quæ ex ablutione pedum noſtris ſuperfuit, aſperſi curantur. an.1594. p.555. n.117.

Clericus tertiana febre laborans aduenarum pedes lauans perſanatur. an.1612. p.923. n.106.

Aquitaniæ Prou. Generalem Viſitatorem habet Fr. Anſelmum à Rhegio. an.1590. p.441. n.3.

Aquitaniam Gaſpar Papienſis Commiſſarius Generalis cum ſociis deſtinatur. an.1582. p.25. n.2.

Stephanus Durantius Protopræſes Capucinos excipit. an.1582. p.25. n.3. Gaſpar Toloſanum Conuentum maxima in paupertate fundat. ibid. n.5.

Plurimi ex ſæcularibus ac Regularibus Viris ad Religionem accedunt. ibid.

Alij quoque in Aquitaniæ Prouincia Conuentus conſtruuntur. ibid. p.25. n.7. Latiùs per Aquitaniam Religio propagatur. an.1584. p.94. n.4.

Aquitaniæ Prouincia primum Toloſæ Capitulum celebrat. an.1588. p.351. n.3.

Dira lues Toloſanam Vrbem deuaſtat. Capucini peſte laborantibus miniſtrant. ibid. n.4.

In Aquitania Galliacenſe Monaſterium ex voto conſtruitur. an.1589. p.368. n.4. Conſtructo Monaſterio (quod communi voto publico ære ædificatum fuit) peſtis ceſſat. ibid.

In Aquitaniæ Prou. Burdigalem ſæua lues depaſcit. Capucini plurimo charitatis æſtu miniſtrant: inter quos Simon Rodianus, & Polycarpus à Marſico Sacerdotes magna cum laude mortalem cum immortali vitam commutant. an.1605. p.753. n.4.

In Aragoniæ Regno Cæſarauguſtæ Aragonenſis Prouinciæ fundamenta iaciuntur. an.1598. p.601. n.1.

Ioannes Morales Cæſarauguſtani Conuẽtus fundator. ibid. n.2. Aragonenſis Prouincia, quæ à Catalonienſi adminiſtrabatur, hoc anno ſuo Prouinciali potitur. an.1608. p.791. n.1.

Auarus in Fratres à Deo caſtigatur. an. 1599. pag. 646. n.105.

Antonius quidam nomine, auarus in Capucinos à Deo punitur. an.1585. p.182. n.65.

Auarus miraculo ſanatur. an.1593. p.525. n.93.

Auarus Capucinis vinũ denegans dolia vinum effundentia cernit. an.1612. p.939. n.12.

Aulicorum mores deſcribuntur. an.1608. p.807. n.74.

Auſteritas Patrum Capucinorum antiquorum deſcribitur. an.1588. p.356. n.23.

Fr. Franciſcus à Paterno, Sac. mollia omnia tanto ſtudio refugit, vt præter dura tam in veſtitu, quàm in cæteris neceſſitatibus nihil quæreret: vniuerſáque corporis commoda tam acerbè perſequebatur, vt ſe ſuáque vitæ commoda apertis odiis inſectaretur. an.1598. p.611. n.49. Fr. Laurentius Oſcenſis, Sac. tã nihili duriſſimas quaſque corporis aſperitates faciebat; vt non carneum; ſed ligneum, vel lapideum corpus gerere videretur. an.1591. p.467. n.29.

Fr. Marcellus Triſluminenſis, Sac. liquidis cibariis aquã immiſcens, ea vt plurimum reddebat inſipida: nec potu ad ſatietatem; ſed ad neceſſitatem duntaxat vtebatur: & cumprimũ ſenſus voluptate affici percipiebat; ab ea protinus abſtinebat. an.1601. p.670. n.27

Fr. Berardinus Aragonenſis Prouincialis, licet itinere fatigatus, nullum ſibi, præter communem cibum, miniſtrari patiebatur. an. 1593. p.516. Quin etiam eo conſilio tardius ad Conuentus accedebat, vt minùs haberetur, quod illi in menſa apponeretur.

Fr. Vincentius à Saleducio tanta auſteritate, & abſtinentia floruit, vt ad ſui corporis carnificinam natus eſſe videretur. an.1592. p.488. n.67.

Fr.Baptiſta Rotundanus, Laïc. prodigioſum, ac penè incredibile vitæ genus ſibi præſcripſit. an. 1592. p.479.n.21.

Fr.Alphonſus Lupus, Conc.carnem tam rigidè proſecutus eſt, vt nullam quotidianis panis,& aquæ ieiuniis intermiſſionem; nullum pedum nuditati, nullum nocturnis vigiliis modum ſtatueret. an.1593. p.505.n.14.

Fr. Franciſcus Nouarienſis, Sac. quidquid carnem ſapere videbatur acerbè ad mortem vſque perſecutus eſt. an.1603. p.701.n.39.

Patrum Pariſienſis Prouinciæ auſteritas. an.1584.p.142. n.166. Belgicæ Prouinciæ primæua auſteritas, & abſtinentia. an.1587. p.245.n.13.14.

Vide, *Ieiunium*, *Veſtes*, *Lectus*, *Sandalia*, *Cilicium*, *Paupertas*.

B

BAlneoregij hoc anno Capucinis Conuentus, Cælo exultante, extruitur. an.1590.p.441.n.6.

Beatorum Virorum vita, cæterorum viuentium norma. an.1587.p.336. n.53.54.55.& 56.

Sanctorum vitæ, viuentium norma, & exempla ſunt. Gregor. lib. 24. moral. cap.6. *Qui pleniſſimè*, &c. p.433. n.82.

Idem lib.2.moral.cap.7. *Dum illorum*,&c. ibid.

Baſil. *Beatorum enim hominum*,&c. p.336.n.53.

Bernard. de triplici gen. bonor. *Sanctis profectò*, &c. p.336. n.55.

Bernard. Epiſt. ad Fratr. de Hybern. *Hortamur autem*, &c. p.336. n.56.

Sanctorum vitæ lilia ſunt,& bonus Chriſti odor. Greg. lib.24.moral.cap.6. *Quid per lilia*,&c. p.719.n.22.

Bernard.ſerm.1.de S.Victore. *Tutius ſanè æmulandæ*,&c. p.749.n.58.

Belgicæ Prouinciæ hoc anno fundamenta parantur. an. 1585.p.165.n.2. Minorum Obſeruantium Familia Capucinorum aſpectu commouetur. ibid. n. 2.3. Plerique eorum ad Capucinos conuolant.n.4.

Fratres à Duce Farneſio humaniſſimè excipiuntur. p.166. n.5.

Dux Farneſius pro ſtabilienda Religione ad Pontificem ſcribit. an.1586. p.186. n.1. Sixti V. reſponſio, & exemplar litterarum ad Ducem Farneſium. num. 2.

Exemplar litterarum Cardinalis S.Seuerinæ ad Fr. Felicem,& eius ſocios.p.187.n.3. Magiſtratus Antuerpienſis Epiſtolam ad Cardinalem de Montealto exarat, vt apud ſe Capucinorum Religionem ſtabilem habeat.n.4. Reſponſio,& exemplar litterarum Cardinalis de Montealto ad Felicē Pedonenſem p.188. n. 5. Primum Antuerpiæ Monaſterium extruitur. n.6. Maga Suittenſes à Capucinis excipiendis auertit.p.189.n.8. Dæmones ſub coruorum ſpecie Monaſterij ædificationem impediunt. n. 9. Suittenſes Capucinos in pagum recipiunt.n.10. Maga, Capucinis infenſa, faſciculis comburitur. p.190.n.10.

Belgica Prouincia à Generali Commiſſario primum adminiſtratur. an.1587. p.244.n.12.

Primæua huius Prouinciæ auſteritas explicatur.p.245. n.13. Abſtinentia. n.14. Solitudo. n.15.

Belgica Prouincia mirum in modum excreſcens Duaci, Attrebati, Inſulis, ac Tornaci Monaſteria extruit. an.1592. p.474.n.2. Cameracenſis Archiepiſcopus Capucinos acceſſit.ibid.n.3. Plurima Fratres à Tornacenſi populo dura patiuntur.ibid.n.4. Tot aduerſa Fratres ad perferendum, virtutibus, pietati, ac præſertim orationi die,noctúque ſtudent. ib.n.5. Tornacenſis populus mira Fratres beneuolentia proſequitur. p.474.n.6.

Tornacenſis Vrbs in fide, ac pietate renouatur.p.475. n.7. Dæmon minis Fratres è Conuentu deturbare conatur.ibid.n.8.9. Dux Farneſius ex humanis migrat. ibid. n.10.

Ipſius pietas in noſtros, ac beneuolentia exaratur. In morte Capucinorum habitu induitur. Parmæ in Capucinorum Eccleſia tumulatur.p.476. n.11.

Belgij Prou. duodecimum, ac tertiumdecimum Conuentum hoc anno Vallencenis, ac Teneramundi conſtituit; regio priùs diplomate impetrato, quod Capucinis per totam Belgij ditionem (quod priùs interdictum fuerat) Monaſteria extruere liceret. an. 1595 p.556.n.3. Hæc Prouincia primùm hoc anno ſuo Prouinciali, Hippolyto Brixienſi omnium ſuffragiis electo, fruitur. ibid.

Apud Belgas graui Teneramundi,& Namurci graſſante peſtilentia, multi ex noſtris dum peſtiferatis miniſtrant, animam pro Fratribus ponunt. an.1606. p.761.n.1.

Belgicæ Prouinciæ auſteritas, vide *Auſteritas*.

Benefactores.

Vinum Deus Benefactoribus multiplicat, Octauio Launo; Fabio Bazecchio; Pitteo cuidam; Claudio Auiriæ; Camillæ Maretæ; Aſcanio Maſſagrano. ann. 1590. p.460.n.86.

Carlo Rogato,& Mulieri Victrinæ.an.1592.p.500.n.15.

Raphaëli de Federicis. an.1591. p.472. n.55.

Stephano vinū deneganti effunditur: quod eidem dare decernēti ſtatim multiplicatur.an.1593.p.525.n.91.

Oliuerio de Bartholomæis. an.1598. p.617.n.67.

Bartholomæo Cæmerello. an.1598. p.614.n.59.

Lauræ Schittinæ. an.1598. p.617.n.66.

Mazzagrugnorum Fratribus.an.1595.p.568.n.48.

Liuiæ de Vernaculis. an.1587. p.349.n.33.

Bargiorum familiæ. an.1586.p.232.n.64.

Lucretiæ Fullonis vxori. an.1586.p.207.n.70.

Paulæ Poſterlæ. an.1587. p.308. n.27.

Bartholomæo cuidam miro modo augetur. an.1587. p.309.n.28.

Syluiæ Scarſiæ. ibid.n.29. Elenæ Vacchiæ. ibid.n.30.

Lauiniæ Carpiæ.ibid.n.31. Cæſari de Oddis.an.1589. p.411.n.79. Capucinorum Hoſpiti.an.1588.p.362. n.51. Papirij Magnanimi vxori.an.eod. p.369.n.52.

Nobili mulieri in oppido Sale. an.1585.p.184.n.73.

Oſeæ cuidam mulieri vinum multiplicatur. ann. 107. p.786. n.37. Vacuum dolium, plenum vino redditur. an.1611. p.877. n.66.

Vinum cuiuſdam Britij Capucino ægroto miniſtrantis multiplicatur. an.1581. p.15.n.48.

Dolium,ex quo vinum mulier quædam Capucinis erogabat, ex ſemipleno fit plenum.an.1582. p.50.n.88.

Franciſco à Morico vinum in dolio augetur. an.1596. p.586.n.6.

Vinū defluēs diuina virtute ſiſtitur.an.1595.p.568.n.51

Vinum cuiuſdam Petri Pauli ex acido fit optimum. an.1586. p.210. n.80.

Vinum aceſcens Benefactoris priſtinæ bonitati reſtituitur. an.1600. p.658. n.42.

In Neapolitana, Cathalonienſi, & Hydruntina Prouincia vinum Benefactoribus in doliis augetur. an.1612. p.941. n.18.

*Vinum ad Miſſæ Sacrificium.*

Vinum ad Miſſæ Sacrificium conferens exhauſtum dolium auctum recipit. an.1600. p.658. n.43. & anno 1607. p.789. n.47.

Vinum è cælo ad Miſſæ ſacrificium celebrandum miniſtratur. an.1607. p.786. n.38.

Vinum Miſſæ Sacrificio ſuppeditans multiplicatum in dolio accipit. an.1607. p.788. n.47.

Vinea, vinum ad Miſſæ Sacrificium miniſtrantis, à grandine ſeruatur. an.1598. p.616. n.68.

Vinum auaritia areſcens, eleemoſyna reſtituitur. an. 1586. p.232. n.65.

Mulieri auaræ doliũ vini areſcit. an.1587. p.278. n.21.

Pompeio Martino vinum noſtris neganti totum dolij vinum effunditur. an.1594. p.554. n.14.

Generoſum vinum Fratribus denegatum aceſcit: aceſcens elargitum generoſum redditur. anno 1601. p.677. n.59.

Vinum Capucinis denegatum è doliis effunditur. an. 1612. p.939. n.12. Vide, *Auarus.*

Panem Deus benefactoribus, triticum, farinam multiplicat. Cæſari de Oddis. an.1598. p.411. n.79.

Mercurio cuidam, & cuidam Dominicæ. anno 1590. p.461. n.86.

Lauiniæ cuiuſdam Carpiæ: & pauperculæ cuiuſdam farinam multiplicat. an.1587. p.308. n.25.26.

Guillelmi Celtæ vxori erogatus panis non minuitur. an.1594. p.553. n.10.

Piæ Genuenſi mulieri panes multiplicat. an.1585. p.184. n.72.

Panes Fratribus deneganti putreſcunt. an.1590. p.461. n.86.

Mulieri quartum panem noſtris pariter deneganti, inuiſibiliter panis ille eripitur. an.1588. p.363. n.53.

Panem pauperibus eroganti Deus panem multiplicat. an.1589. p.439. n.9.

Diuina virtute panis multiplicatur. an.1586. p.231. n.63. 64.

Panes Benefactrici mulieri multiplicat. an.1611. p.877. n.67.

Oleum Deus benefactoribus multiplicat. an.1587. p.310. n.33.34.35.36.37.

Oleum in vrna diuina virtute augetur. an.1593. p.525. n.91. & an.1594. p.554. n.13. & an.1611. p.877. n.65.

Telæ vlnam ex tribus, quas pro familia conſeruabat mulier in Ordinem deuota, Capucino erogat: ac telæ reliquum tantopere diuina virtute excreuit; vt ea finem nunquam habitura videretur. an.1598. p.614. n.59.

Caſei pars inuito animo data ſtatim à vermibus corrumpitur. 1583. p.82. n.108.

*Benefactores à mortis periculo liberantur.*

Benefactrici grauiter ægrotanti Capucinorum precibus incolumitas redditur. an.1589. n.437. n.100.

Infans ob matris in Ordinem deuotionem vnicè ſeruatur. an.1584. p.162. n.35.

Ordinis Benefactorem S.P.Franciſcus, & S.Antonius ab incendio liberant: & vxor ipſius oua multiplicata reperit. an.1589. p.438. n.6.7.

Medicus in Fratres beneuolus à periculo inſidiantium liberatur. an.1595. p.566. n.41.

Sacerdotem Fratrum hoſpitem catapultoriæ glandes non feriunt. an.1597. p.597. n.32.

Mortuus Aſellus Benefactori reuiuiſcit. ann. 1601. p.678. n. 61. Gallina in cibum à Benefactore parata, & in cœna iam comeſta, viua ſequenti die in Gallinario conſpicitur. an.1587. p.349. n.34.

Conuentus Dolenſis Fundatrici rem Deus familiarem auget. an.1588. p.363. n.54.

Rem familiarem Deus homini multiplicat, qui plurimam auri ſummam in Monaſterij ædificatione inſumpſerat. an.1609. p.827. n.54.

Medicus Capucinos curans poſt mortem ſolatium pœnarum apud Capucinos accepit. an.1603. p.711. n.89.

Bonum opus Benefactor infectum deſerens à P.S.Franciſco corripitur. an.1590. p.460. n.85.

Mulier in Capucinos deuota pia viſione honeſtatur. an. 1602. p.690. n.56.

Vide, *Prouidentia in Benefactores.*

Bruchus miraculo à Fratribus expellitur. an.1593. p.527. n.101.

Bruchus iterũ diſpergitur. Alter tantummodo herbas inutiles, ac nociuas abſumit. an.1588. p.366. n.66.

In Boëmiæ Prouinciam Ioannes Venetus Commiſſarius Generalis deſtinatur. an.1605. p.753. n.3.

Fr.Bonauentura à Monteregali è S.Franc.Prou. ad Procuratorium munus aſſumitur. an.1590. p.441. n.2.

Brittannia. Mercurius Dux Minoris Brittanniæ Prorex per litteras Religionem poſtulat: eóque Fr. Simplicianus Caluomontanus cum Sociis deſtinatur, ac Brittanniæ Prouinciæ fundamẽta iaciuntur. an.1593. p.502. n.3.

*Bullæ.*

Nonnullæ à Greg.XIV. Bullæ emanãt. Prima, qua Eremitis, ac Reformatis Conuentualibus ſub excommunicationis pœna prohibetur, ne caputium, nec habitum Capucinis ſimilem deferant: Habitúſque illis forma præſcribitur. Eadem quoque ipſis Reformatis cauetur, ne Capucinos in ſuum gremium recipiant, quæ incipit: *B.Franciſci Confeſſoris ſedulitas,* &c.

Secunda, quæ petentibus ipſis Religionis Patribus, cunctis Ordinis Fratribus mandat; ne ſæcularium quorumcunque confeſſionibus occupari queant; cuius initium eſt: *Decet Seraphicum,* &c.

Fr. Stephanus à Claromonte Laïc. diem in aſſiduum laborem impendebat: noctem, corpori parco ſomno indulto, orationi, ac ſacris vigiliis inſumebat. an. 1594. p. 542. n. 56.

Fr. Marcellus Piſtorienſis Sac. quotidie ſeptem, vel octo horas in oratione inſumebat, & aliquando vſque ad duodeuigeſimam orare immobilis viſus eſt. ann. 1610. p. 842. n. 25.

Fr. Ioſephus à Leoniſſa Conc. diu noctúque, etiam inter ipſa negotia, orationi vacabat. an. 1612. p. 911. n. 98.

Fr. Iuſtinus à Nurſia Sac. terna, vel quaterna quotidie orationis hora non contentus, eam vbique ſibi comitem adhibebat. an. 1594. p. 540. n. 45.

Fr. Bernardinus à Collepetracio Conc. cùm ad quintam vſque & ſextam horam in oratione immobilis perſeueraret, ſibi orationi tempus ſemper deeſſe querebatur. an. 1594. p. 532. n. 14.

Fr. Iacobus Superatenſis Conc. tantopere orationis ſtudio afficiebatur, vt denas, ac plerunque duodenas ſibi horas illius oratio vendicaret. an. 1594. pag. 544. n. 65.

Fr. Conradus à Balneis Laïc. orationem tam indiuiduam ſibi comitem adhibebat; vt die, noctúque, niſi à ſomno, quem ad breue tempus contraxerat; aut à ſui muneris ſollicitudine detineretur, in ea verſaretur. 1596. p. 578. n. 21.

Fr. Bernardinus Aragonenſis Prouincialis parco ſomno vtebatur, vt longiores in oratione vigilias produceret. an. 1593. p. 516. n. 10.

Fr. Archangelus Alarconius Conc. tantæ orationis erat, vt maioris noctis partem in eà tam immobilis expenderet, vt ſenſibus excedere videretur. an. 1598. p. 605. n. 19.

Fr. Antoninus à Thoro Laïc. nocturnæ quietis tempore ad quatuor tantùm horarum ſpatia contracto, cæteras orando conſumebat. an. 1597. p. 591. num. 8.

Fr. Angelus Ioioſæus Conc. tertiam tantummodo, aut quartam horam ſomno tribuere ſolebat, reliquis verò ſacris vigiliis, & orationi vacabat. an. 1608. p. 812. n. 92.

Fr. Ioannes à Fano Romuli Conc. integras frequenter noctes in oratione ducebat. an. 1612. p. 888. n. 42.

Fr. Ioannes à Seminaria Laïc. tam aſſiduus in oratione erat, vt nulla temporis pars, quam vel Superioris obedientia, vel fraterna charitas, vel præſcriptum ſibi munus non vendicarent; illi ab oratione vacaret. an. 1593. p. 521. n. 72.

Fr. Saluator Sardus Laïc. tam arctum cum oratione fœdus iniuit, vt in ea interdum ad ſeptimam vſque horam fixus permaneret. Hanc in popinæ miniſterio, in Ianitoris officio, dum ſtipem exigit, dum hortum fodit, dum ægris miniſtrat, vbique comitem adhibet. 1596. p. 575. n. 13.

Fr. Franciſcus Nouarienſis Sac. nullum tempus ab oratione vacuum agnoſcebat, præter illud, quod ſomnus illi, licet breuius, ſubripiebat. an. 1603. p. 701. n. 39.

Fr. Stephanus à Tipherno Metaurenſi Sacer. tam aſſiduus in oratione fuit, vt illi potius orationi tempus, quam oratio tempori deeſſet. ann. 1603. pag. 706. n. 63.

Fr. Alphonſus Lupus Conc. tam aſſiduus in oratione fuit; vt ſæpè ad decimam vſque horam orationem produceret: & quotidianam (quam nullus, vel itineris vel prædicationis labor vnquam minuit, aut intercepit) ad ſeptimam vſque horam protendere conſueuerat. an. 1593. p. 507. n. 20.

Fr. Seraphinus à Montegranario Laïc. ita aſſiduus in oratione perſeuerabat; vt vix vnquam ab oratione vacaret. 1604. p. 729. n. 51.

Fr. Benedictus Regienſis Conc. aſſiduè orationi vacans, tanto in Deum amoris æſtu accendebatur, vt ad cordis flammam refrigerandam lineum pannum frigida aqua madefactum ad cordis regionem applicare ſoleret. an. 1602. p. 686. n. 31.

Fr. Vincentius à Saleducio Sac. ita aſſiduus in orando fuit; vt ſimul & orationis, & vitæ curſum confecerit. an. 1592. p. 489. n. 69.

Fr. Modeſtus Mutinenſis Sacer. orationem indiuiduam ſibi comitem elegit. an. 1595. p. 559. n. 15.

In oratione dormitans ab Angelo corripitur. an. 1596. p. 585. n. 54.

Fr. obdormiſcens in communi Fratrum oratione repentino pondere penè obruitur. an. 1588. p. 365. n. 61.

*Ab oratione euocare homines Diabolus tentat.*

Andr. Cæſarienſis in Apoc. cap. 71. *Impoſtor ille*, &c. p. 80. n. 98.

Dæmon ſcabellulis, & puluillis onuſtus per Eccleſiam cernitur. an. 1582. p. 46. n. 68.

Dæmon Fratribus in oratione ſcabellum offerens aſpicitur. an. 1582. p. 46. n. 69.

Fr. Ioanni a Colleamato Dæmon ſomnum, quo minùs in orationem animum intendat, nocturno ſtrepitu intercipere conatur. an. 1591. p. 466. n. 22.

Dæmones propter ſomnolentiam orantium trepudiare videntur. an. 1584. p. 147. n. 180.

Ludouicus ab Alcamo Sac. Dæmonis arte ab oratione reuocatur. vide an. 1590. p. 452. n. 59.

Fr. Bernardinus à Collepetracio Conc. vt ab oratione auocetur, diuerſas & continuas à Dæmone infeſtationes ſuſtinet. an. 1594. p. 535. n. 23.

Bartholomæus Sac. Ceſenas varias in oratione à Dæmone infeſtationes ſuſtinet. ann. 1592. pag. 478. n. 18. 19.

Fratrem orantem ingenti procella Dæmon terrere conatur. an. 1588. p. 359. n. 37.

Fr. Antonium à Leoniſſa Laïc. orantem multis modis infeſtat. an. 1590. p. 450. n. 47.

Oranti ingentem colaphum Satan impegit. ann. 1590. p. 443. n. 13.

Fr. Vitalis Herbitenſis Laïc. orans fuſtibus à Dæmone cæditur: variiſque figuris illi Dæmones minantur. an. 1583. p. 79. n. 96. 97. & ſeqq.

Fr. Chriſtophorus Panormitanus Laïc. Dæmonem ipſius orationem noctu exturbantem, aure apprehendit, & per Eccleſiam raptat. anno 1587. p. 347. n. 27.

Puellæ cantilenis ab oratione Fratres auocantes morte à Deo plectuntur. an. 1595. p. 560. n. 16.

Communis oratio vim Deo infert. Tertull. Apolog. cap. 39. *Coimus in cœtum*, &c. p. 147. n. 181.

Communis Fratrum oratio ægrotantem ſanat: & pluuiam è cælo impetrat. an. 1596. p. 585. n. 57. 58.

Puer toto corpore attritus Fratrum oratione perſanatur. an. 1600. p. 656. n. 34.

Orantes oportet in ſuis petitionibus diuinæ ſe committere voluntati. Michaël Hiſpanus Conc. &c. Chryſoſt.

homil. 79. ad popul. *Non tu homo* , &c. pag. 179. n.54.
Auguſt. in Pſalm. 85. *Recurrite ad ſcript.* &c. ibid. Vide, *Benefactores.*

Otium deſcribitur , ac improbatur. anno 1605. pag. 754. num.5.6.
Fr. Bernardinus Trebiates Laïc. multa de otio ſolitus erat dicere.an.1588.p.357.n.20.
Auguſt. ſerm.27. ad Fratres in Eremo : *Quid eſt otium*, &c. p.754.n.5.

P

Pannus vilior,non melior à Minoribus quærendus. an. 1587.p.263.n.72.

Veri Paſtoris officia. an.1584. p.126.n.112.& ſeqq.
Vide , *Prælatus.*
Præclariſſimum optimi paſtoris , ac veræ dilectionis exemplum.an.1586.p.198.n.38.
Boni Rectoris argumentum. Xenoph. de iuſtitia Cyri, lib.8.*Subditos*, &c.p.13.n.41.

Pariſienſis Prouincia ab anno 1590. vniusquinquenni j ſpatio ſuo Prouinciali, & Capitulis deſtituta,Commiſſariorum Generalium adminiſtrationi traditur. an.1590.p.441.n.3.
Pariſienſis Prou. ab anno 1590. ſuo Prouinciali deſtituta hoc anno ſuo iterum Prouinciali,Luca Tercenſi potitur.an.1595.p.556.n.4.
Pariſienſis Prouincia Cœnobiis excreſcens à Turonenſi Prou. præſcinditur , & vnaquæque ſuo Prouinciali potitur.an.1610.p.838.n.1.
Pariſienſis Prouinciæ auſteritas. Vide, *Auſteritas.*

Paſſio Domini noſtri. Dominicæ Paſſionis memoria. Bernard. ſerm. 43. in Cant. *Mihi hic ſalutaris* , &c. p.730.n.54.& ſerm.43.in Cant. *Tu ſi ſapis*,&c.p.756. n.13.
Chriſti Domini Paſſio omnibus meditanda. D. Bonauent. in ſtim. diu. amor. cap. 1. *Venerabilis Paſſion.* &c. p.225.n.37.
D. Bernard. ſerm. 45. in Cant. *Ego ab ineunte* , &c. p 671.n.28.
Idem lib. de form.hon. vitæ *Sit tibi Ieſus*, &c. ibid.
Paſſionis memoria omnium infirmitatum medicina. Bernard.ſerm.61.in Cant. *Si ad mentem* , &c. p.219. n.20.
Paſſio Chriſti cur Fratribus Minoribus meditanda. an. 1582.p.30.n.20.21.
Dominica Paſſio aſſidua meditatione ruminanda. an. 1601.p.671.n.28.
Dominicę Paſſionis ſignum inſtitutum die Veneris,miraculo à Deo comprobatur.an.1583.p.57.n.18.
Fr. Nicolaüs Hiſpanus Cler. ob memoriam Dominicæ Paſſionis duas trabes in Crucis modum colligatas in nemore humeris raptat. an. 1581.p.20. n.64.
Fr. Vitus Hyrminienſis Laïc. coronam ſpineam ob Paſſionis Domini memoriam capiti imponebat. an. 1582.p.41.n.52.
Fr. Raynerius à Burgo ſancti Sepulcri, Laïc. quam ardens fuerit in meditatione Dominicæ Paſſionis, miraculo demonſtratur.an.1589.p.401.n.25.
Ex lacrymoſa Dominicæ Paſſionis meditatione Capucinus cæcitatem contrahit. anno 1605. pag. 756. n. 13.
Fr. Ioſephus à Leoniſſa Conc. Dominicam Paſſionem maxima cum lacrymarum copia , ac pietate colit. an.1612.p.913.n.3.

Patientia. Boëtius Epiſt. 68. *Tormenta à me abeſſe*, &c. p.273.n.3.
Fr. Franciſcus Mediolan.Conc.iniuriis inſectatus nihil reſpondit.an.1583.p.68.n.59.60.
Fr. Ioannes Franciſcus à Bononia Cler. iniuriis,& contumeliis laceſſitus , admirabilem ſibi animo patientiam ineſſe declarabat. an.1594.p.547.n.82.
Fr. Bernardus Prouincialis , & Commiſſarius Generalis à nobilium pediſequis per Caputium huc , illúcque raptatus ſua patientia quæcunque ludibria ſuperat.an.1591.p.465.n.16.
Fr. Petri à Martina Laïc. inſignis patientia deſcribitur. an.1590. p.448 n.37.38.
Fr. Ludouici ab Alcamo Sac. patientia. an.1590.p.453. n.60.& ſeqq.
Fr. Bartholomæi à Ceſena Sac.patientia Tarrarei malleatoris tunſionibus,ac moleſtiis probatur.an.1592. p.492.n.83.84.
Fr. Auguſtinus Senenſis Laïc. quamplurimas à Dæmone in oratione infeſtationes ſuſtinet. ann. 1595. p.558.n.12.
Fr. Angelus Ioioſæus humilitatis , ac patientiæ exempla itinerantibus Capucinis reliquit. anno 1608. p.812.n.91.
Fr. Clemens à Grauina Prouincialis ſolùm in illatis iniuriis , & contumeliis , illud vindictæ genus ſibi relictum eſſe arbitrabatur , contumelioſis parcere. an. 1595.p.563.n.27.
Humilis patientia Fr. Angeli Ioioſæi Conc. hæreticum hominem Deo peperit. an. 1608. p. 811. n. 90. 91.
Fr. Alphonſus Lupus in S.Inquiſitionis carceres Romæ detruſus, vnius anni ſpatio tam æquo animo ſuffert; vt ne vllum quidem querimoniæ verbulum ex ipſius ore auditum fuerit : imò obſcuro carceri carnis macerationem addens,totum hoc tempus quotidianę panis , & aquæ inediæ , aſſiduæque orationi conſecrauit.an.1593.p.505.n.13.
Fr. Iacobus Mediolanen. Sac. ſumma cum patientia ſuffert auditores illudentes eum , dum concionaretur.an.1584.p.105.n 43.44.
Fr. Antonius Nucerienſis Laïc. plurima mortificationum genera patienter ſuffert. ann. 1609. pag. 825. n.44.
Fr. Stephanus à Tiferno Metaurenſi Sac. ita patiendi cupiditate feruebat , vt apes interdum , & veſpas vexaret , quo illum ſuis aculeis pungerent , cumque pro Domino dolorem perferret.an.1603.p.706. n.63.
Fr. Bernardinus à Collepetracio Conc. duriori, ac grauiori pœna correptus, quam ipſius innocentia ferret , nulla querimoniæ vox ex eius ore auditur, imò à Cardinali Protectore de iniuſta interrogatus punitione : Id planè (reſpondit)æquitas,Illuſtriſſime Domine, id delicta mea tulêre : nihil in me perperam actum eſt.an.1594.p.531.n.12.13.
Fr. Archangelus ab Arimino Conc. Algerium profectus haud facile referri poteſt, quanta ab infidelibus probra , contumelias, carceres ſuſtinuit: quibus tanta animi fortitudine , patientia, & charitate occurrit, vt quò maiora ab iis mala pateretur, eo amplius illis à Deo bona exoraret. an. 1595.p.557.n.7.
Fr. Clemens à Grauina Prouincialis , tam admirabilis patientiæ fuit, vt Religioni idcircò datus videretur, vt in eo Chriſtus Ieſus omnem oſtenderet patientiã ad informationem eorum, qui idem Religionis ſtadium percurrunt.an.1595.p.562.n.25.

Frater Honorius à Seſtino Laïc. colapho cæſus nullum animi iracundiæ ſignum oſtendit. anno 1586.p.213. n.94.

Fr. Ambroſius Mediolanenſis Sacerd. pugno appetitus percutienti alteram maxillam præbet. an.1601.pag. 665.n.12.

Fr. Ioſephus à Leoniſſa Conc. tantæ patientiæ vir fuit, vt & colaphis cæſus alteram genam proferret. an. 1612.p.898.n.66.67.

B. Felix à Cantalicio Laïc. præclariſſimum patientiæ exemplum præbet. an.1587.p.274.n.6.

Fr. Conradus à Balneo Laïc. acriori podagræ morbo ac dolore ad obitum vſque afflictatus, nunquam lamentationis ſonum vllum protulit. an.1596.p.580. n.32.

Fr. Ioſephus à Leoniſſa Conc. ſumma cum patientia, & tolerantia dolores infirmitatis, ac incommoda ſuffert. an.1612.p.928.n.53.

Fr. Saluator Sardus Laïc. tam graue ſtranguriæ genus, vt pro lotio ſaniem redderet, toto quadriennij, vel etiam quinquennij ſpatio tanta patientia pertulit; vt nullum vnquam vel leue querimoniæ verbulum protulerit: ſed inter acerbos illius morbi dolores,ea tantum vox audiretur : *Sit nomen Domini benedictum. Domine* IESV, *fiat voluntas tua*.an.1596. p.575.n.12.

Fr. Clemens à Grauina Prouincialis per plurima menſium ſpatia dirè carcinomatis morbo diuexatus, tot ei quotidie carnis fruſtula præſcindebantur, donec tandem carne conſumpta coſtæ nudæ apparuerunt & oſſa: quo tempore vox alia nulla præterquàm : *Adeſto bone* IESV,*adeſto dulcis* MARIA,ab eo audita fuit: eáque tanto pietatis ardore, vt adſtantes in lacrymas compungerentur, & Chirurgus tanta viri patientia exterritus, non niſi genuflexus (perinde ac ſi ſanctum Virum curaret)operam ſuam Clementi impenderet. an.1595.p.563.n.29.

Fr. Seraphinum à Montegranario Laïc. ob id potiſſimum Deus elegiſſe videbatur,vt in eo omnem oſtenderet patientiam, ad informationem eorum, qui in Clauſtris vitam ducunt. an.1604.42. in quo patientiæ virtus tam præclara fuit, vt nonnullis Seraphini patientia prodigio ſimilis ( anno 1604. pag. 726. n.44.) viſa fuerit. Cum à Satana cæderetur: Cæde Satan (dicebat Seraphinus)cæde,ne parcas. Carnem mihi inimicam caſtigas. anno 1604. pag.727. n.46.

Pro mala ſibi inferentibus rogat:reſponſum à Deo tulit. ibid. n.52.53.

Fr. Sylueſter Albigenſis Conc. falſam accuſationem tanta animi patientia tolerat, vt ipſummet accuſatorem ſingulari beneuolentia proſequatur.an.1592. p.497.n.7.

Fr. Clemens à Grauina Prouincialis falſis criminibus, eíſque grauiſſimis appetitus nunquam ob illatas iniurias conqueritur, aut violati honoris ſibi damna reſarciri poſtulat, imo his grauiores ſibi à Deo pœnas infligendas affirmat. anno 1595. pag. 562. n.26.

Paupertas. Quænam ſit vera, & altiſſima paupertas. an. 1592.p.482.n.35.36.

Paupertatis tres gradus ex SS. Patribus colliguntur.an. 1612.p.899.n.68.69.

Paupertas argumento ſuadetur. anno 1585. pag.168. n.13.14.

Paupertatis diuitiæ. an.1584.p.122.n.102.

*Perfecti hominis Paupertas.*

Hieronym. ad Heliod. de vit. Erem. Perfectus ſeruus Chriſti.p.262.n.69.

Paupertas ſe à Scandriliæ Conuentu eiici conqueritur. an.1605.p.711.n.90.

Fr. Silueſter à Camunorum Valle ita paupertatem adamauit, vt pauperis nomine appellari meruerit. an.1581.p.10.n.34.

Fr. Alphonſus Lupus diuitem eſſe ſentiebat, non qui multa poſſidebat:ſed qui paucis indigebat. an.1593. p.506.n.15.

Fr. Albertus Bergomas Conc. paupertatem argumentis ſuadebat. an.1585.p.168.n.13.

Fr. Cherubinus à Nucibus Prouincialis altiſſimam rerum omnium paupertatem verbo, & exemplo Fratribus prædicat,ſuadet,exaltat,commendat,inculcat. an.1592.p.482.n.33.34.35.36.37.

Fr. Franciſcus Nouarienſis Sacerd. rerum abundantiam ita exhorruit, vt ad neceſſaria potius compelli, quàm vltro currere videretur. an.1603. pag.701. n.39.

Fr. Bernardinus à Collepetracio Conc. ſuperfluitatem abhorrens, eam cum virtute conſiſtere non poſſe ſentiebat.an.1594.p.531.n.11.]

Fr. Paulus à Calauello Laïc. ad miniſterium coquinæ lignuncula,quæ in ſylua pereunt,ſtudioſè quærit.an. 1583.p.77.n.85.

Fr. Cherubinus à Caſtro S.Petri Sacerd. panni, & corij præſegmine, fili fruſta, lignuncula, quæ in Conuentu pereunt, ſollicitè colligens,velut ſanctæ paupertatis reliquias ſibi reponebat.an.1603. pag.704. n.52.

Frater Bernardus, qui & Prouincialis, & Viſitator Generalis fuit, Guardiani munus exercens carnium obſonia,ac rerum aliarum,licet ſuperuacanea non eſſent, ſæpe recuſabat: lignuncula, quæ in nemore pereunt,ſtudioſè colligebat. an.1591.p. 465.n.9.

Fr. Hieronymus à Monteflorum Generalis vix vnquam ad ignem accedebat, ſed ad ſolis radios. an.1584. p.124.n.106.

B. Felix à Cantalicio Laïc. vix vnquam prope ignem viſus eſt. an.1587.p.270.n.94.

Fr. Marcellus Curenſis Conc. nunquam paſſus fuit igne calefieri, licet brumale frigus rigeret. an.1610. p.839.n.7.

Fr. Bernardi, qui vt ſupra, habitus, cingulum,ſandalia, ſtrophiola, Breuiarium, & ea omnia, quæ ſuo vſui deſeruirent, ſupremam inopiam prædicabant. an. 1591.p.465.n.15.

Fr. Iacobus à Petrarubia nihil in cella, licèt Prouincialis, habebat, præter Breuiarium, & flagellum. an. 1586.p.205.n.65.

Fr. Franciſcus Mediolanenſis per decennium vno tantùm calamo, licèt Concionator, vſus eſt. an.1583. p.70.n.65.

Fr. Alphonſus Lupus Conc. ſuperuacanea non ſolùm omnia exhorrebat; ſed & neceſſaria ſibi adimebat: ita vt non libros, non manuſcriptorum copiam ſibi ad prædicandum compararet: ſed vnico duntaxat ſacculo, in quo manuſcripti, & compacti ab eo nonnulli ſermones habebantur, contentus, ſe inopia diuitem exiſtimaret. anno 1593. p.506. n.15.

Fr. Seraphinus à Montegranario Laïc. habitus non quis mollior, aut melior; ſed potius quis deterior,

& obſoletior eſſet, ab eo quærebatur: neque ſtatim lacerum mutare; ſed multis ſegmentis reconcinnatum ad extremam vſque vetuſtatem geſtare conſueuerat. an.1604.p.722.n.33.
Huiuſmodi etiam femoralibus, ſtrophiolis, ſandaliis, cingulo vtebatur, quæ vix præ vetuſtate ſibi hærebant. ibid.
Cellam obſcuriorem,& pauperiorem ſibi eligebat. Paupertatis fragmenta, paſſim in Conuentu colligebat. an.1604.p.722.n.33.
Fr. Conradus à Balneis Laïc. paupertatem tantopere coluit, vt quæ tum victui, tum veſtitui, tum vitæ demum neceſſaria ſunt, ſibi tam parcè, atque ægrè admittenda putaret, vt perpetuum cum iis odium contraxiſſe videretur. anno 1596. pag.578. n.20.
Fr. Conradus ita in Paupertatis ſtudium ferebatur, vt ſi duo illi oua apponerentur, ab altero abſtineret: ſi plures piſciculi, vnico tantum contentus, cæteros velut paupertatis cauſa minus neceſſarios prætermitteret. an.1596. pag.578. n.20. Cui ſemper illud paupertatis Apophthegma erat: *Vel minimum ſatis.* ibid.
Fr. Marium à Piceleone Sacerd. rerum omnium paupertate diuitem ſimplex habitus, obſoletus, Cella rebus omnibus vacua, anguſtus lectus, animus ab omni rerum cupiditate alienus teſtabantur. an.1603. p.694.n.7.
Fr. Aurelius Mediolan. Sacerd. in conſtruendam fornacem fictilium patinarum, ac paropſidum, arctioris paupertatis metas excedens in morte à Dæmonibus acriter accuſatur. anno 1588. pag.355. n.25.
Fr. Innocentius à Lugano Sacerd. nummum ſub puluino geſtans graues moleſtias ſuſtinet. an.1590.p.457. n.77.
Antonius à Leoniſſa pleroſque aureos, & argenteos nummos, aureúmque laterem Dæmonis aſtu fodiens reperit; ſed ſepelit. an.1590.p.450.n.48.
Periculoſus ad pecuniam recurſus doctrina confirmatur. an.1585.p.172.n.28.
Frater paupertatem ſub neceſſitatis titulo violans à Dæmone exagitatur. an.1597.p.596.n.30.
Fratrem Capucinum rerum cupiditate poſſeſſum Dæmon præfocare tentat. an.1609.p.836.n.15.
Frater quædam ſibi aromata ſeruans damnationis periculum incurrit. an.1606.p.774.n.63.
Cultellum habens à Dæmone accuſatur. an.1595.pag. 566.n.40.
Linum ceratum vanè conſumptum Dæmon colligit:& in Dei iudicio profert. an.1581.p.23.n.72.
Pecunia & Proprietas.
Capucinis Fratribus quàm à pecuniarum delatione abſtinendum ſit, exemplo declaratur. an.1609.p. 837.n.18.
Vinum pecunia emptum, quantum Deo diſpliceat, miraculo oſtenditur. an.1610.p.864.n.66.
Aureum laterem in Cella repoſitum, dum in pauperes erogare cogitat Antonius; vide quid audiat. an.1590. p.450.n.48.
Clericus ſcopas occultans à Dæmone accuſatur. anno 1590.p.460.n.84.
Pedemontanis in Vallibus Capucini Concionatores ſtrenuè pro hæreticorum conuerſione laborant. an. 1603.p.693.n.3.
Catholica fides in Pedemontij Vallibus à Capucinis propagatur. an.1597.p.589.n.2.
Peſtis. Galliæ Capucini peſte laborantibus neceſſaria animæ, & corpori ſubminiſtrant. anno 1584. pag.141. n.164.
Fr. Petrus Beſſonius Sacerd. Fratribus dira peſte laborantibus ſollicitè miniſtrat. anno 1589. p.385. n.70.
Fr. Petrus Placentinus Concion. peſte laborantibus inſeruit, eademque corripitur. anno 1585. p.167. n.10.
Capucini peſte laborantibus inſeruiunt. an. 1588. p. 351. n.5.& an.1589.p.436.n.97.
Fr. Secundinus Aſtenſis Sacerd. noſtris peſte laborantibus omni ſtudio, & charitate miniſtrat. an.1589. p.389.n.81.
Frater Michaël à Denia Sacerd. peſte laborantibus inſeruit, eóque morbo corripitur. an.1589.p.384. n.67.
Frater Vincentius à Saleducio Sacerd. illud charitatis à Deo præmium tulit, qua peſte laborantibus ſtrenuè miniſtrauit, vnde & eodem morbo correptus plagam contraxit, quam ad mortem vſque ſaniem effundentem curauit. an. 1592. p.489. n.69.
Capucini peſte laborantibus inſeruiunt. an.1607.pag. 779.n.1.
Frater Michaëlangelus Badenſis Concion. peſte laborantibus inſeruit, eáque corripitur. an. 1609.p. 818.n.11.
Piè miniſtrantes Capucini laborantibus peſte decumbunt. an.1610.p.838.n.2.
Frater Hilarius Cebenſis Sacerd. vnà cum Hieronymo à Vigueria, dum ardentiori charitatis æſtu peſte laborantibus miniſtrant, eadem correpti occumbunt. an.1598.p.614.n.61.
Fr. Iulianus Camertes Sacerd. peſte laborantibus omni pietate miniſtrat, eodémque & ipſe morbo occumbit. an.1611.p.878.n.76.
Capucini peſte infectis ſeruientes pro charitate occumbunt. an.1611.p.867.n.6.
Pœnitentia. Diabolus moleſtè fert pœnitentiam peccatoris. an.1588.p.363.n.55.
Quanta veræ pœnitentiæ vis. anno 1588. pag. 363. n.55.
Prædicator euangelicus qualis eſſe debeat, Patrum ſententiis demonſtratur. an.1585.p.174.n.39.40.
Oratio prædicationem fouet, ac viuificat. an.1585.p. 174.n.39.
Cherubinus à Nucibus non niſi poſt longam orationem ſuggeſtum ad prædicandum aſcendebat. anno 1592.p.484.n.46.
Libera increpatio quando Apoſtolicum prædicatorem deceat. an.1593.p.509.n.26. de qua Ambroſ. *Non eſt Imperiale*, &c.
Egregia pro Prædicatoribus doctrina. an.1593. p.509. n.27.
Scelera, ac peccata liberè arguenda exemplis oſtenditur. an.1589.p.391.n.90.91.
Prædicationis euangelicæ ſimplicitas commendatur. an.1583.p.72.n.67.
Prædicator Euangelicus quæ præcepta ſeruare debet. an.1583.p.72.n.67.
Prælatus qualis eſſe debeat oſtenditur, teſte D.Bernard. an.1593.p.516.n.50.
Prælati quales eſſe debent. anno 1585. pag. 173. n.32.

Prælatus non officio, vel auctoritate; ſed virtute duntaxat præeſſe debet. an. 1592. pag.496. num.4.
Vt ſubditis vita ipſius loquax quædam virtutis lingua ſit, qua vniuerſi ad benè, beateque viuendum abundantius inſtituantur. ibid.
Proceſſus iudiciarius in reis puniendis primum Ioannes à Tiſſa inſtituit. an.1581.p.2.n.2.
Prophetiæ ſpiritus quomodo veram ſanctitatem declaret. an.1589.p.413.n.87.
Prouidentia Diuina erga Eccleſiam aſſeritur. an. 1612. p.888.n.44.
Minores Fratres diuinæ prouidentiæ fidere debent. an. 1585.p.183.n.68.
Dei confidentiæ confidentibus neceſſaria miniſtrantur. an.1585.p.183.n.70.
Diuina prouidentia erga Aprutini Conuentus Familiam explicatur. an.1581.p.23.n.73.
Dei prouidentia erga Capucinos. an.1581. pag. 12. num.40.
Deus Fratribus niue obſeſſis è cælo annonam prouidet. anno 1582. pag.50. num. 89. & pag.51. num. 92.
Dei prouidentia Fratribus in neceſſitate ſuccurritur. an. 1582.p.51.n.92.
Deus ſuis dimidium panem multiplicat. an.1582.p.51. num.93.
Fratrum familiæ à Deo panis miniſtratur. an.1583.p. 90.n.144.
Dei in noſtros prouidentia elucet. an. 1586.p.239.n. 92.93.
Pleraque diuinæ Prouidentiæ erga Fratres exempla exarantur. an.1584.p.149.n.185.186.187.188.
Fratres annonam à Deo poſtulantes exaudiuntur. an. 1585.p.183.n.68.
Fratres pauperibus panem erogantes, multiplicatum à Deo accipiunt. an.1587.p.439.n.8.
Deus ſuis abundè annonam prouidet. an. 1589.p.439. n.10.11.
Fratribus niue obſeſſis Deus neceſſaria miniſtrat. an. 1585.p.183.n.68.
Panem Deus multiplicat. an.1586. pag.226.num.40. 41.42.
Vinum miniſterio Angeli pro Capucinis ægrotis ſuppeditatur. an.1587.p.278.n.20.
Deus Fratribus panem, obſoniumque miniſtrat. an. 1589.p.439.n.10.
E cælo Fratribus annona miniſtratur. an.1600.p.659. n.45.
Dei prouidentia Fratribus ſuccurritur. an.1589.p.439. num.8.
Ægroto felis palumbum miniſtrat. an. 1599.p.645. n.100.
Felis carnes Fratrum Familiæ prouidet. an.1593.p.515. n.48.
Felis leporem defatigatis Fratribus miniſtrat. an.1585. p.184.n.74.
Felis leporem Fratribus miniſtrat. an. 1590. pag.461. num.89.
Prouidentia Dei in Capucinos nauigantes. an.1612.p. 905.n.80.
Dei in Fratres itinerantes prouidentia emicat. an. 1591.p.472.n.52.53.54.
Dei prouidentia in Fratres. an.1591. p.468.n.33.34. 52.53.54.
Vinum aduenis Fratribus Deus ſubminiſtrat. an.1587. p.346.n.21.
Angeli opera ſeni in via deliquio laboranti ſuccurritur. an.1581 p.23.n.75.
Prouidentia Dei Capucinis itinerantibus panem & aquæ fontem prouidet. an.1584.p.130.n.127.128. 130.
Deus è cælo iter agentibus Fratribus panes prouidet. an.1585 p.184.n.70.
Angelus ſub viri ſpecie itinerantes comitantur. an. 1585.p.184.n.71.
Iter agentibus Fratribus Deus panes prouidit. an.1585. p.184.n.70.
Angelus itinerantes comitatur. an. 1585.p.184.num. 71.
Capucinis Fratribus itinerantibus Deus neceſſaria prouidet. an.1586.p.212.n.92.
Quibuſdam Capucinis itinerantibus panes è cælo miniſtrantur. an.1586.p.207.n.69.
Capucini itinerantes ab Angelis noctu hoſpitio excipiuntur. an.1587.p.345.n.14.
Capucini duo itinerantes ab Angelo ad rectam viam ducuntur. an.1589.p.377.n.38.
Capucini itinerantes per imbrem, abſque imbre tota die iter faciunt. an.1589.p.376.n.37.
Prouidentia Dei in Capucinos itinerantes. an.1589.p. 377.n.39.
Dei in itinerantes Fratres ſingularis prouidentia. an. 1596.p.586.n.60.
Prouidentia Dei in Capucinos. an.1583.p.90.n.144.& p.91.n.145.
Prouidentia Dei in Capucinos. an.1584.p.152.n.196. p.153.n.197.
Prouidentia Dei in Capucinos. an.1584.p.149.n.184. 185.186.187.188.
Prouidentia in Capucinos. an. 1586. pag. 239. num. 92 93.
Prouidentia in Capucinos. an. 1587.p. 345. num.15. 16.17.
Prouidentia in noſtros. an.1589.p.376.n.35.
Dei in noſtros prouidentia elucet. an. 1593. p.524.n. 89.
Prouidentia in Capucinos. an.1608.p.801.n.46.
Prouidentia. Vide, *Benefactores.*
Egregium erga pauperem ſpiritualis prouidentiæ exemplum. an.1585.p.177.n.45.
Olera pauperibus ſata diuina virtute multiplicantur. an.1593.p.525.n.90.
Deus pauperibus panem eroganti panes multiplicat. an. 1589.p.439.n.9.
Prouinciarum vltra montes Pariſienſis, S. Bonauenturæ, Lotharingiæ, Heluetiæ, ac Belgij Michaëli Angelo Viſitatori Generali cura demandatur. an.1605. p. 753.n.3.
Purgatorium. B. Virgo, & B.P. Franciſcus Fratrem admonent, vt pro iis, qui Purgatorij pœnas luunt, frequentiores ad Deum preces fundat, ac velut rem Deo maxime gratam commendet. an. 1592.p.488. n.68.
Purgatorij pœnæ quàm graues, & atroces. an.1592.p. 498.n.9.& 10.
Anima Purgatorij pœnas luens Fratrum ſacrificiis liberatur. an.1599.p.644.n.95.
Fr. Vincentius à Saleducio Sac. id à B. Virgine, & S.P. Franciſco admonitionis tulit, vt frequentiores pro iis, qui Purgatorij pœnas luunt, preces ad Deum funderet. an.1592.p.488.n.68.

R

RApina, indigenti non tribuere, cum poſſis, exiſtimanda eſt. an.1604.p.727.n.48.

Boni Rectoris argumentum quale. an.1581.p.13.n.41.42. vſque ad 47.

Religio Paradiſus deliciis affluens. an.1587.p.268.num. 87.

Pellucida quædam vmbra Fratri oranti gratias agit, quod viuentem ad Religionem prouocauerit. an. 1588.p.365.n.62.

Fr. Michaël Angelus Venetus Conc. ſtatum Ordinis noſtri à defuncto accipit. an. 1612. pag. 886. num. 34.

Fr. Leonardus à Montealto Laïc. à B.P. Fr nciſco ad recipiendum Religionis habitum prouocatur. an. 1611.p 873.n.47.

A Religione filios auocantes funeſta ſequuntur. an. 1590.p.459.n.82.

Vide, *Nouitius*, & *Vocatio ad Religionem.*

In Religione nihil innouandum exemplo exaratur. an. 1595.p.570.n.58.

Religionis ſtatus illuſtri viſione aperitur. an. 1595.p. 559.n.15.

Religionem deſerere & armis incumbere, poteſt Sacerdos alicuius Ordinis profeſſus, in ſummo patriæ, vel fidei periculo. an.1608.p.810.n.85.

Quando titulus tum Generalis, tum Prouincialis miniſtri inchoatus fuit apud Capucinos. an.1605.p. 753.n.2.

Subordinatio, ac dependentia, quam habebat Religio Capucinorum à Generali Minorum Conuentualium Magiſtro tempore Pauli V. ſubtrahitur. an, 1605.p. 753.n.2.

Reſponſorium. S. Antonij Reſponſorio Vir abſconditus reperitur. an.1585.p.185.n.75.

S. Antonij Reſponſorio pleraque deperdita reperiuntur. an.1588.p.365.n.63.64. an.1587.p.349.n.36.37. 38. an.1594.p.555. num.16. an.1610. pag 865.num. 68.

Plurima S. Antonij Reſponſorio, & S.P. Franciſci ligno beneficia hominibus collata fuère, quæ tantummodo indicantur. an.1505.p.760.n.37.

S. Antonij Reſponſorio boues ablati reſtituuntur. an. 1597.p.599.n.41.

Mula ablata reperitur. an.1602.p.692.n.67.

Crux aurea, ac pretioſa monilia furto ſublata reſtituuntur, & fures caſtigantur. an. 1610.p.865.num. 68.

S. Antonius Vlyſiponenſis moribundum puerum vitæ reſtituit. an.1608.p.814. n.101. Aliáque miracula patrat. an.1600.p.658.n.41.& an.1601.p.679.n.66. 67.

Reuelationes cur hominibus à Deo donantur. an.1612.p. 915.n.12.

Super Ripolenſis Conuentus Eccleſia Angeli ſpectantur. an.1602.p.680.n.4.

Riſus effuſus atque intempeſtiuus à Dæmonis tentatione manat. an.1601.p.673.n.36.

Roſarium B. Virg. quanti faciendum viſione addiſcitur. an.1583.p.91.n.146.

Roſarium B. Virg. ſegniter perſoluens exemplo terretur. an.1585.p.181.n.63.

S

SAbaudia. Apud Sabaudiam Capucini Familiæ Maurianenſis peſte laborantibus miniſtrant. Braſſicas & olera ad pauperum refectionem alunt. Ingens erucarum copia irruens omnia depaſcit: Aues diuinitus ſuperueniunt: & ne vnam quidem ſuperſtitem relinquunt ex eis. an.1601.p.664.n.10.

Dux Namurcenſis à Sabaudia proprio ære noſtris Conuentu Anicij apud Allobroges à fundamentis exædificato, vt ſuam erga Capucinorum Ordinem beneuolentiam teſtaretur, corpore in Maiorum Sepulcro tumulato; Cor in Capucinorum Eccleſia ante ipſum ſacræ Euchariſtiæ Altare humari voluit. an.1590.p.441.n.5.

Sabaudiæ Cuſtodia à Lugdunenſi Prouincia diſtinguitur, & Prouinciæ nomen ſortitur. an. 1608. p.791. num.1.

Sabaudiam Ioannes Venetus Commiſſarius Generalis à Lugdunenſi Prouincia præſcindit, ac diſtinctam ab ea Prouinciam conſtituit. an.1611.p.886.num.4. A Generalibus Commiſſariis adminiſtratur, donec & ipſa ſuis Prouincialibus fruatur. ibid.

Sacerdotium. Sacerdotalis benedictio, à benefactoris agro bruchum, eum deuaſtantem, turmatim expellit. an. 1588.p.366.n.66.

Sacerdotali benedictione grex ouium à morbo curatur. an.1588. p.366.n.65.

Sacerdotalis benedictio armenta ſanat, ac præſeruat. an.1596.p.586.n.59.

Sacerdotum apud Heluetios ante Capucinorum aduentum turpis abuſus. an.1581.p.4.n.12.13. Quo prætextu errorem contegerent. ibid.

Sacerdotes apud Heluetios ante Capucinorum aduentum Concubinarij. an.1581.p.5.n.14.

S. Caroli de concubinario, Sac. reſponſum. an.1581.p. 5.n.14.

B. Felix à Cantalacio Laïc. ſummum honorem, ac reuerentiam Sacerdotibus defert. an. 1587.p.291. num. 60.

Fr. Bernardinus Trebiates Laïc. tanta reuerentia Sacerdotes proſequebatur, vt propiùs ad eos accedere vereretur. an.1588.p.357.n.28.

Fr. Seraphinus à Montegranario Laïc. obuium quemuis Sacerdotem habens, protinus omni negotio intermiſſo illius manus oſculabatur. an.1604 p.731.num. 56.

Sæculares homines omni humanitate excipiendi. anno 1594.p.534.n.22.

Salutienſium erga Religioſos pietas commendatur. an. 1586.p.240.n.97.

Salentinorum Prouincia à Lucaniæ Prouincia diſtinguitur: & illa quidem S. Mariæ de Finibus terræ appellationem ſibi vendicat: hæc verò S. Nicolai ſibi nomen retinet. an. 1590 p.441.n.4.

*Sandalia.*

Fr. Vitalis Herbitenſis Laïc. nudis pedibus perpetuò incedit. an.1583.p.19.n.93.

Fr. Hieronymus Mediolan. Laïc. Conc. perpetua nuditate pedum ſandaliis abiectis incedit. an. 1584.p. 108.n.53.

Fr. Onufrius à Colle Crucis Laic. tam hyberno, quàm æſtiuo tempore abſque ſandaliis incedebat. an.1588. p.358.c.32.

B. Felix à Cantalicio Laïc. nudis pedibus ad ſenectam vſque incedit. an.1587.p.262.n.67.

Fr. Baptiſta Rotundanus Laïc.abiectis ſandaliis, nudis pedibus glaciem calcabat. an. 1592. pag. 479. num. 21.
Fr. Rufinus Gallaratenſis Laïc. ſandalia multis corij præſegminibus ad quadrageſimum vſque annum reſarta nunquam mutauit.an. 1587. pag. 338. num. 62.
Fr. Onufrius Piſtorienſis Laïc. à ſandaliis abſtinet. an.1584.p.156.n.6.
Fr. Franciſcus à Darocha Laïc. nudipes ſemper abſque ſandaliis incedit.an.1607.p.784.n.29.
Fr. Franciſcus à Ripa Sacerdos, nudis pedibus abſque ſandaliis incedit.an.1606.p.762.n.5.
Fr. Berardinus à Collepetracio Conc.abiectis ſandaliis multo tempore nudis pedibus niuem, & glaciem calcat.an. 1594. p. 530. n. 10.ac Prouincialis nudis pariter pedibus Prouinciam totam perluſtrat.ann. 1594.p.535.n.23.
Fr. Ambroſius à Ciuitate Ducali Vmbriæ Prouinciam nudis pedibus toto triennij ſpatio viſitauit.an.1587. p.337.n.58.
Fr. Bernardinus Aragonenſis Prouincialis Cathaloniæ Prouinciam viſitat nudis ſemper pedibus abſque ſandaliis.an.1593.p.516.n.50.
Elizabeth Coſta Tertij Ordinis ſoror nudis ſemper pedibus incedit.an.1592.p.497.n.6.
Sanctorum geſta qui legunt, quid potiſſimùm animaduertere debent.an.1612.p.886.n.32.
Sanctorum geſta nos ad eorum imitationem pertrahunt.an.1604.p.749.n.57.58.
Viri Sancti lapides ſunt ad conſtruendam Eccleſiam, & Domum Dei.an.1612.p.888.n.44.
Sardinia. In Sardiniæ inſula Religionis ſemen propagatur. Eò Zephyrinus,Bergomas Commiſſarius Generalis deſtinatur: qui primum in Vrbe Calaritana Conuentum collocat.an.1591.p.462.n.3.
A Calaritanæ Vrbis Archiepiſcopo,ac Proceribus humaniſſimè Fr. Zephyrinus, ac ſocij eius excipiuntur. an.1591.p.462.n.4.
In Sardiniam Inſulam Capucinorum aduentum miro quodam modo Deus illuſtrat.ibid.
Calaritani Conuentus ædificatio Dei miraculo cõmendatur.an.1591.p.462.n.4.
Satan quorundam impugnatione Conuentus fundationem impedire conatur.an.1581.p.4.n.11.
Fr. Antonius Nucerienſis Laïc. myſticam theologiam diuinitus habuit.an.1609.p.821.n.22.
Silentium. Fr. Anſelmus à Petramolaria Conc. arctiſſimum ſilentium obſeruat,præſertim dum ieiunat. an. 1584.pag.140.n.159.
Fr. Vitus Hyrminienſis Laïc. per triennium lapillum in ore geſtauit.an.1582.p.41.n.53.
Fr. Cherubinus à Nucibus Conc. ab omni tum vano, tum inutili verbo ſe alienum ſeruat.an.1592. p. 481. n.31.
Fr.Franciſcus à Paterno Sacerdos,linguam non ſolùm à vitioſis & inutilibus;verùm & ab omni etiam bonorum colloquio,ne quando in mala deflueret,abſtinere cogebat.1598.p.612.n.50.
Fr. Bartholomæus Piſanus Cler. ita linguam frænauit; vt ne quidem ad otioſum verbum prolabi ſineret. an.1600.p.653.n.24.
Fr.Conſtantinus Mutilenſis Sacerdos,ita ſilentium adamauit, vt ne vllum quidem verbum inane ex illius ore elaberetur.an.1607.p.779.n.3.
Fr. Rogerius à Tipherno Sacerdos,otioſum nihil,nihil ſcurrile ex ipſius ore vnquam auditum fuit.an.1610. p.862.n.64.
Silliani apud Calabros Conuentus Cælo exultante extruitur.an.1590.p.441.n.7.
Silliani apud Calabros antequàm Capucinis Conuentus pararetur, noctu Angelorum viſio à pia quadam muliere haud ſemel cernitur. ann. 1590. pag. 441. num.7.
Simplicitas, quæ inter virtutes connumeratur, quænam ſit.an.1589.p.369.n.7.
Simulatio. Frater ſe hepaticum ſimulans vera hepatiſi à Deo caſtigatur.an.1599.p.645.n.97.
Solitudo commendatur.an.1602.pag.687.n.38.
Senec.lib.de Morib. *Solitudinem quærit*,&c.p.284.n.35.
B. Laurent. Iuſt.de vita ſolit. *O ſolitudo Deo dicata*,&c. p.121.n.98.
Idem de vita ſolit: *O quoties ſolitarius*, &c. pag. 124. n.107.
Fr. Ægidius Enneus Sacerd. ſolitudinem potiſſimùm colit.an.1602.p.687.n.38.
Fr. Bartholomæus à Cæſena Sacerd. quamplurimas à Dæmone infeſtationes ſuſtinet, vt orationem deſerat,& ſolitudinem.an.1592.pag. 492. n. 83. 84.86.
Fr. Alphonſus Lupus per integrum probationis annum in ſolitaria Cella,in perpetuo ſilentio, ieiunio, & oratione cæleſtem vitam ducit. an. 1593. p. 505. n.14.
Fr. Baptiſtæ Rotundani Laïc. ſolitudo.an. 1592.p.479. n.21.
Fr. Franciſcus Monopolitanus Laïc. vt purius orationi incumberet, omnem tum Fratrum, tùm ſæcularium conuerſationem fugiebat.an.1593.pag.514.n. 46.
Somnus. Fr. Vitus Hyrminienſis Laïc. dum a ſomno impeditur,dolore ipſum ſuperat. ann. 1582.p. 43.num. 60.
Fr. Paulus Barcinonenſis Clericus nudas tabulas ad ſomnum capiendum ſternit. ann. 1584. pag. 156. num.7.
Fr. Cyprianus à Montecoruino Sacerd. ſomnum conciliabat vel ſedens, vel ſtratis duabus tabulis ann. 1584.p.151.n.193.
B. Felix à Cantal. Laïc. duas horas duntaxat ſomno ſoluebat.an.1587.p.269.n.9.
Fr. Aurelius Mediolanenſis Sacerdos, adhuc ſæcularis, ſomnum ſupra nudam capiebat arcam.an. 1588. pag. 353.n.11.
Fr. Conſtantinus à Saluatore, poſt Matutinas Horas nunquam ad quietem redibat. ann. 1586. pag. 202. n.49.
Fr. Dominicus à Buſchetto Conc. non iacens,aut protenſo corpore capiebat ſomnum,ſed ſedens tantummodo.an.1589.p.370.n.10.
Fr. Petrus à Martina Laïc.parciſſimi erat ſomni, quem prolixæ in oratione vigiliæ ſequebantur. an. 1590.p. 448.n.36.
Fr. Bartholomæus à Cæſena Sacerdos, ſomnum ad ſeſquihoram,vel ad tertiam ad ſummum extendebat.an. 1592.p.490.n.74.
Fr. Rogerius à Tiferno Sacerd. poſt Matutinum Officium ad auroram vſque totum illud tempus in diuinis laudibus, ac rerum cæleſtium contemplatione inſumebat.an.1610.p.863.n.67.
Fr. Bartholomæus Cæſenas Sacerd. ad tertiam vſque non amplius horam quietem extendit:reliquam noctis partem ſacris vigiliis tribuit. ann.1592.pag. 478. n.17.

Fr.Bapti ſtæ

Fr. Baptiſtæ Rotundano Laic. breui tempore quieſcenti tabula, ſeu matta humi ſtrata lectum; lignum, vel lapis ceruical parabat. an. 1592. pag. 479. n. 21.

Fr. Auguſtinus Senenſis Laïc. nunquam ſtrato vſus eſt, cum illum ſomnus occupabat; ſed nudum naturæ ſolum ſinu illum ſemper excepit. an. 1595. pag. 558. n. 12.

Fr. Archangelus ab Arimino Conc. cum nocturnam corpori quietem dare vellet; cum eam ad trium, vel quatuor horarum ſpatia contraxiſſet, non in ſtrato iacens, ſed baculo geminis funibus ad Cellæ tabulati tigillum alligatis, ſuſtentato inſidens, ne à ſomno caperetur, in aëre capere conſueuerat. an. 1595. p. 557 n. 6.

Fr. Marcellus Curenſis Conc. breuiſſimo, quoad vixit, ſomno haud vltra tres horas producto, vſus fuit. an. 1610. p. 838. n. 6.

Fr. Vincentius à Chio Laïc. ſomni parciſſimus erat: quem ita male excipiebat, vt nudas tantum tabulas membris ſubſterneret: neque aliud præterquam ligneum ceruical capiti ſupponeret. Corpus nunquam ad quietem extendebat, ſed ligno tantum inhærens, à ſomno potius deterrebat. an. 1604. pag. 717. n. 14.

F. Franciſcus à Ripa Sacerdos, ſomnum vſque ad tertiam tantummodo horam producebat: reliquam verò noctis partem in oratione ac rerum diuinarum contemplatione inſumebat. ann. 1606. pag. 762. n. 6.

Fr. Conſtantinus Mutilenſis Sacer. breuiſſimum ſomnum in ſcamno, aut tabula capiebat. ann. 1607. pag. 779. n. 3.

Fr. Iacobus à Manfredonia Laïc. tam breuem ſibi ſomni requiem dabat, vt vix ſomnum ipſum attingere videretur. an. 1609. p. 831. n. 79.

Fr. Ioſephus à Leoniſſa Conc. ſuper nudam humum, ſeu tabulas ſomnum capiebat. an. 1612. pag. 893. num. 57.

Fr. Franciſcus à Darocha Laïc. non iacens ſomnum capit, ſed ſedens. an. 1607. p. 784. n. 29.

Fr. Vincentius à Petramelia Sacerdos, nunquam cubando, ſed ſedendo ſomnum capiebat. an. 1608. pag. 803. n. 56.

S. P. Franciſcus Monaſterij Capucinorum cellas ſua benedictione ſingulas proſequitur. an. 1609. pag 836. n. 13.

Studium Euangelicæ perfectionis maturè amplectendum. an. 1587. p. 257. n. 52. 53.

T

Tentatio Diaboli aliquando bona. Gregor. lib. 33. Moral. cap 11. *Antiquus hoſtis*, &c. p. 493 n. 88.

Tentat tunc Dæmon homines, quando videt illos onuſtos eſſe virtutibus. Chryſoſt. hom. 3. in cap. 6. Iſai. *In tempore perfectæ*, &c. p. 235. n. 76.

Timor Dei. Chryſoſt. hom. 38. in Ioan. *Sicut qui Dei*, &c. p. 132. n. 133.

Hilarius in Matth. cap. 26. *Vigilare nos*, &c. ibid.

Senec. de ſenect. orat. *Qui inſidias timet*, &c. ibid.

Poëta quidam. *Parua necat*, &c. ibid.

Tribulatio. Gregor. lib. 19. Moral. 19. cap. 18. *Palma inferius*, &c. 562. n. 26.

Chryſoſt. hom. 26. in Epiſt. ad Corint. *Quod auro ignis*, &c. p. 512. n. 38.

Greg. lib. 3. Moral. cap. 5. *Quid eſt quod*, &c. pap. 513. num. 41.

Tunica. Fr. Arſenius Mediolanenſis vnica tantummodo Tunica, & ipſa viliſſima, quoad vixit, ſine pallio contentus fuit. an. 1583. p. 60. n. 30.

Fr. Alphonſus Lupus tunica plerunque obſoleta, & ſacco reſarcita vtebatur. an. 1593. p. 506. n. 15.

Fr. Ioannes Franciſcus Bononienſis Cleric. vnica tantùm, eáque obſoleta tunica contectus, aſperrimo hyemis tempore gelu pene conſtringebatur. an. 1594. p. 547. n. 82.

Fr. Bernardinus à Collepetracio Conc. vnica tantùm tunica, eáque lacera hyemis tempore vtitur. an. 1594. p. 530. n. 10.

Fr. Ludouicus ab Alcamo Sacerdos, tunica nullo vnquam tempore vſus fuit. an. 1590. p. 452. n. 58.

Hyemis tempore frigidiſſimo Fr. Bernardus ab Auximo nunquam noua ſe veſte contegebat, ſed obſoleta tunica vtebatur, quod & miraculo comprobatur. an. 1591. p. 464. n. 11.

Fr. Iacobus Cremenſis ipſo brumali tempore vnica tantùm, eaque lacera tunica corpus contegit. an. 1591. p. 466. num. 24.

Fr. Stephanus à Tiferno Metaurenſi Sacerdos, triginta, & octo annorum ſpatio tres tantum habitus conſumpſit. an. 1603. p. 706. n. 63.

Fr. Athanaſius Tyracenienſis Sacerdos, habitum, quem ſemel in anno probationis aſſumpſit, nunquam dimiſit. an. 1582. p. 36. n. 38.

Fr. Liberius à Cortona Sacerdos, ex panni præſegminibus, quæ proiiciuntur, veſtem ſibi conſuebat. an. 1584. p. 161. n. 26.

Fr. Hieronymus à Monteflorum Generalis tunicam & pallium perpetuo reſpuit, habitum verò geſtabat ex panno confectum, qui captiuis ſeruis in triremibus diſtribuitur. an. 1584. p. 122. n. 100.

Fr. Baptiſta Rotundanus Laïc. hyberno tempore, quo cuncta gelu rigere ſolent, non veſtes duplicabat; ſed vnica, eaque viliſſima tunica contentus, rariſſimè membra obiecto igne calefaciebat. an. 1592. p. 479. n. 21.

B. Felix à Cantal. Laïc. habitum ex leuidenſi, ac rudi panno, quo triremium Captiui indui ſolent, perpetuò habuit. an. 1587. p. 263. n. 10.

Fr. Marcellus Curenſis Conc. paupertatem ſic adamauit, vt vnico habitu, breui, anguſto, ac interpolo, tunica dimiſſa contentus eſſet. an. 1610. p. 838. n. 5. Cannabaceo cingulo, quod ſemel Nouitius accepit, eodem ad obitum vſque vſus fuit. ibid.

Fr. Marcellus Trifluminenſis Sacerdos, noua omnia, & integra tam ſtudioſe vitat, vt nouo nunquam aut habitu, aut pallio vſus fuerit. Pallium, quod ab exordio primum accepit; poſtremũ quoque illi in morte fuit; tot panni ſegminibus conſarcinatum, vt quicquam in eo prioris reliquum eſſet. Breuiarium quoque quod ſecum in Religione tulerat: illud ipſum, Religionis, & vitæ curſu conſummato, aliis, vix ſibi conſtans reliquit. an. 1601. p. 670. n. 26.

Fr. Marius à Piceleone Sacerdos, ſimplicem geſtauit habitum, multis pręſegminibus interpolum. an. 1603. p. 694. n. 7.

Fr. Vincentio à Chio Laïc. vnicus habitus, tunica, pallio, & ſandaliis reiectis, in ipſis etiam hyemis algoribus, ſatis ſupérque videbatur. an. 1604. p. 717. n. 15.

Fr. Ioſephus à Leoniſſa Conc. nunquam nouam tunicam, aut pallium induit. an. 1612. p. 900. n. 70.